Countess of Sandwich

FASTI ATTICI

IN PARTES DUAS

ET

QUATUOR VOLUMINA

DISTRIBUTI.

FASTI ATTICI
IN QUIBUS
ARCHONTUM
ATHENIENSIUM SERIES
PHILOSOPHORUM, ALIORUMQUE ILLUSTRIUM
VIRORUM AETAS
ATQUE PRAECIPUA ATTICAE HISTORIAE CAPITA
PER OLYMPICOS ANNOS DISPOSITA DESCRIBUNTUR
NOVISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRANTUR

AUCTORE

EDUARDO CORSINO

CLER. REG. SCHOLARUM PIARUM

IN PISANA ACADEMIA PHILOSOPHIAE PROFESSORE.




FLORENTIAE MDCCXLIV.

Ex Typographio Jo. Pauli Giovannelli ad Insigne Palmae in Platea S. Elisabeth.

PRAESIDUM PERMISSU.

4-9.



FRANCISCO III.

LOTHARINGIAE, ET BARRII
DUCI
MAGNO DUCI ETRURIAE,
REGI HIEROSOLYMORUM,
&c. &c. &c.



EDUARDUS CORSINUS
CL. REG. SCHOLARUM PIARUM.

INTER egregias Facultates illas, quae erudiendis hominum mentibus, ipsorumque moribus ad honestatem, optimamque civilis vitae ratio-



tio-

tionem informandis institutae sunt, principem fere locum Historiae deberi veteri, constantique Sapientum voce erudimur. Etenim ubi pulcherrima Antiquitatis monumenta, res a primis usque temporibus praeclare gestae, Regnorum vicissitudines, Gentium mores, atque instituta, illustrium denique Virorum vita suis fere coloribus expressa nostris oculis obversantur, incredibile est certe quam vivida, iucundaque luce humanus animus perfundatur; simulque praeclaris exemplis illis ad gloriam, ac virtutum laudem subiectis veluti facibus incendatur. Atque eximios quidem hos fructus, qui ex Historia veluti fonte manare solent, facile intelligimus, MAGNE ETRURIAE DUX FRANCISCE, ex illarum praesertim Gentium historia profluere, quae maiori sapientiae gloria, pluribusque tum belli, tum pacis etiam ornamentis claruerunt: ut non immerito proinde plurimi existiment eo meliores, uberioresque fructus ex Scriptoribus oriri posse, quo nobilioris illi Gentis historiam ador-

adornandam susceperint. Itaque mirari certe non possumus, si duobus superioribus seculis post renatas fere literas, atque praesertim in tanta bonarum Artium luce, quibus aetas haec nostra mirifice commendatur, innumeri propemodum, doctissimique Viri ad illustrandam Atheniensis, Romanique Populi historiam omnes ingenii vires, atque operam contulerunt; quod nempe Urbes illae rerum gestarum gloria, atque incredibili quadam veterum monimentorum copia ceteras omnes excellere viderentur. Neque is certe ego sum, qui Atheniensem Urbem cum augusta illa amplissimi Imperii sede, Romanaque Civitate Gentium domina conferre velim; aut accuratius inquirere, num Romana potius, vel Atheniensis historia utilior, atque iucundior habenda sit, quaeve proinde alteri palmam praeripere, impensius coli, ingenuis denique Antiquitatis cultoribus magis in amoribus esse debeat. Id unum tamen hic ingenue, vereque dixisse iuverit, Romanos ipsos maxima quidem

imperii amplitudine, bellicae virtutis laude, rerumque geſtarum ſplendore ceteras Gentes omnes longiſſime ſuperaſſe; Athenienſes vero eximia Reipublicae forma, legum ſanctitate, ſapientum hominum gloria, optimarumque diſciplinarum ſtudio excelluiſſe; ut quidquid fere humanitatis, politioriſque doctrinae apud exteras nationes omnes, ac Romanos ipſos extitiſſe conſpicitur, ex Athenienſi Populo veluti ſacro, perennique fonte profluxerit. Etenim ſeverior illa priſcorum Quiritum virtus, mitiores iſtas, humanioreſque Literas diu neglexit; neque prius extorres, ac palantes illas ſuis ipſa laribus excepit, quam Graecia capta ferum victorem vicit, agreſtique Latio Artes intulit: ut primas proinde Poeticae, Hiſtoricaeque Facultatis favillas ea demum aetate apud Romanos Ennius excitaverit, qua liberales Artes omnes, atque honeſtiſſimae diſciplinae apud Athenienſes non modo adoleverant, ſed etiam incredibili quadam, ſummaque gloria florere videbantur. Atque

iſta

ista certe Atheniensis Populi praestantia in caussa fuit, cur de Atheniensis ego potius, quam Romanae Gentis historia nunc illustranda, meliorique quo poterat ordine contexenda cogitaverim: quod illa nempe Philosophorum, Mathematicorum, aliorumque illustrium Virorum memoriam ita complectatur, ut illorum series a Graeca, atque Atheniensi in primis historia divelli non posse videretur; adeoque consilium hoc meum cum veteri studiorum meorum ratione arctissimo veluti foedere coniungeretur. Cum enim superioribus annis eam Philosophiae partem adornandam suscepissem, quae sapientum hominum aetatem, resque ab iis praeclare gestas nitida quadam, perennique serie prosequeretur, ipsa rerum affinitas, atque connexio me sensim abripuit, ut nobiliora quoque Atticae Historiae capita novis subinde observationibus illustrata, hoc ipso demum *Fastorum Atticorum* Opere complecterer. Quod vero TE, MAGNE ETRURIAE DUX, idemque REX HIEROSOLYMORUM FRANCISCE, hu-

huiusmodi studiorum meorum Auspicem, atque Patronum optaverim, quod maximo, atque immortali Tuo munere sim consecutus, ut Opus istud Tuo inscriptum Nomini prodire nunc posset, id certe amori, clementiaeque Tuae, qua Literarum studia, atque honestissimas Facultates omnes prosequeris, referri debet. Quis enim ignoret ceteras inter egregias animi dotes, quas a MAIORIBUS TUIS immortalis gloriae Viris in TE derivatas, atque in TE uno admirabili quodam foedere coniunctas suspicimus, eximium quoque studium excellere, quo liberales Artes, ac disciplinas omnes in clientelam recipere, iisque deditos homines non amore solum, sed regia quoque munificentia fovere soles? Illustria sunt certe amoris, & clementiae huius Tuae argumenta perennis illa sollicitudo, ac vigilantia, qua post Etruscae Gentis imperium TIBI divinitus attributum in assiduis etiam, gravissimisque rerum publicarum curis de Literarum tamen studiis hic augendis,
pro-

promovendisque ita semper cogitasti, ut novus illis per TE, immensusque splendor accesserit. Ac ne ceteras Etruriae Urbes, & Academias omnes, ad quas ubertima felicitas illa manavit, hic memorem, immortalia sunt plane amoris, munificentiaeque huius Tuae monumenta, quibus Pisanam hanc Urbem, & Academiam TIBI cumulatissime devinxisti; ubi non ceteras solum Facultates omnes, quae ibi florebant, patrocinio, praesidioque Tuo decorasti; sed ingenuis etiam Adolescentibus impensius erudiendis Astronomiae, Juris Publici, atque Analyticae Matheseos studia doctissimorum hominum opera patere voluisti: ut nihil proinde in hac celeberrima, Etruscarumque omnium facile principe Academia ad optimam, absolutamque studiorum omnium rationem optari iam posse gloriemur. Haec ista vero praestantissima Literarum praesidia, quae amplissimo beneficio Tuo, MAGNE ETRURIAE DUX FRANCISCE, consecuti nunc sumus, eo nobis cariora esse de-

debent , ſummisque laudibus efferenda, quod ſemper illa cum ingenti Etruriae fauſtitate , beataeque pacis otio coniuncta fuerint: cumque univerſa fere Europa diſſidiis fervere , bellique turbinibus agitari videatur , Etruria tamen haec Tua, paterno certe conſilio, prudentiaque Tua, aurea pace perfundi , eaque tranquillitate frui nunc poſſit , quae politioribus Literis excolendis optanda maxime videbatur. Itaque, ſi liberales Artes, ac Facultates omnes, ipſarumque ſtudia ita auſpicio , praeſidioque Tuo non exornata ſolum , ſed etiam amplificata, ac mirifice confirmata conſpicimus , vereri certe non poteram, ne hanc quoque ſtudiorum meorum partem, quae tum Philoſophicae Hiſtoriae , tum diſciplinis etiam aliis illuſtrandis inſtituta fuerat , ſereno vultu , quo cetera complecti ſoles , exciperes ; cum praeſertim illam Tibi maximo , optimoque iure , veluti perenne grati animi monumentum conſecrandam eſſe intelligerem. Ut enim plurima a Te in univerſum Scholarum Piarum

Or-

Ordinem collata beneficia praeteream, quorum immortalis eſt in nobis futura, ac iucundiſſima recordatio, Tuum etiam eſt, FRANCISCE MAGNE DUX, quod Philoſophiam in Piſana Academia iam pluribus ab hinc annis ego profitear; tantumque amoris, ac beneficentiae in me Tuae in hoc obeundo munere ſim expertus, ut quidquid in ullo ſtudiorum genere eniti poſſim, id omne TIBI, clementiaeque Tuae debeatur. Atque utinam quidem ea mihi foret ingenii vis, ac orationis ubertas, qua Tuas hic laudes pro rei dignitate complecti, ſimulque Opus aliquod augusto Nomine, ac Maieſtate Tua non indignum offerre poſſem! Quandoquidem tamen ſplendidius aliud obſervantiae in TE meae monimentum extare modo non poterat, quaeſo, obteſtorque TE, ut hoc ipſum benigne, clementerque excipere nunc velis, quod REGIAE TUAE CELSITUDINI devotus offero, conſecroque; atque in illo non effuſam modo voluntatem erga TE meam, ſed ipſam quoque ar-

argumenti dignitatem , atque amplitudinem intuearis , quae non immerito fortaſſe id ſibi gloriae tribuere , vel optare poſſe videbatur , ut maximi , praeſtantiſſimique Principis nomine , & auſpicio frueretur. Quod ubi pro Tuo in Literas , ac optimarum diſciplinarum ſtudia conſtanti, regioque amore praeſtiteris , efficies profecto , ut non uberem ſolum mihi laborum meorum fructum ex auſpicio , praeſidioque Tuo gratulari nunc poſſim ; ſed acriori quoque ſtudio ad illa , quae remanent , ita incendar , ut nobilius aliquando obſequii in TE mei monumentum offerri a me poſse confidam.

FASTORUM ATTICORUM

PARS PRIMA

SIVE

APPARATUS AD FASTOS ATTICOS

IN QUO

PLURIMA AD ATHENIENSIS REIPUBLICAE FORMAM ET ARCHONTUM FASTOS SPECTANTIA XIV. DISSERTATIONIBUS EXPONUNTUR PERPETUISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRANTUR


TOMUS PRIMUS

Octo priores Dissertationes complectens.



FLORENTIAE ANNO MDCCLXIV.

IMPRIMEBAT JO: PAULUS GIOVANNELLI.



IN FASTOS ATTICOS

PRAEFATIO.





Erius aliquanto quam cogitaveram, atque Typographus, edito iampridem Operis argumento, ſpem fecerat, primum Faſtorum Atticorum *Volumen nunc prodit. Etenim conſilio, votiſque meis incommoda valetudo diutius obſtitit; quae cum primae vix paginae praelo ſubiectae forent, ita ſtudiorum meorum curſum abrupit, ut ſubito, maximoque virium languore perculſus, animum fere deſponderim; iamque mihi non de Faſtis Atticis, atque Athenienſium Archontibus, ſed de ipſa potius incolumitate, ac vita cogitandum eſſe intellexerim. Itaque, licet ſuſceptum opus nunquam fere intermiſerim; remiſſius tamen aliquando progrediendum fuit: donec animi, corporiſque vires ſenſim inſtaurari, meliorque demum ſpes affulgere caepiſſet; adeoque opus ipſum alacrius urgere poſſem, ut prima ipſius pars, primumque laborum meorum ſpecimen, quod felix fauſtumque ſit, ederetur. Haec ipſa vero memoraſſe mihi nunc libuit, non modo*

ut moram, aut cunctationem hanc quaecumque illa fuerit, excusem; verum etiam ut ab aequis bonisque Iudicibus veniam exorem si in hoc primo Operis Volumine nitor ille, splendidiorque cultus optari possit, qui ex secundis facile curis accedere potuisset; sed integras tamen corporis vires, vividioremque, ac pacatiorem animi aciem postulasset

Nihil est autem cur in ipso veluti limine, Operisque fronte, quam splendidam esse oportere Pindarus (1) *existimavit, veteri, solemnique Scriptorum ritu praefari nunc velim, sive ut argumenti dignitas ac amplitudo ostendatur, sive ut eximia ipsius utilitas, atque praestantia exponatur. Etenim, quod ad ipsam quidem argumenti dignitatem attinet, neminem certe futurum arbitror, qui non Atheniensis historiae praestantiam, atque incredibilem ipsius splendorem intelligat: fierique vix posse putaverim ut quis aut bellicae virtutis gloria, aut Sapientiae amore, aut optimarum Artium studio, aut illustrium denique rerum cognoscendarum cupiditate ducatur, quin Athenas ipsas, quas elegantissime Pindarus* columen, ac firmamentum Graeciae, Graeciam Graeciae *Tucydides*, Larem, ac Prytaneum Graecorum *Pythus Apollo appellavit* (2), omnium doctrinarum inventrices (3) *esse cum Cicerone non videat; atque Athenienses ipsos eximio quodam amoris, atque observantiae genere non complectatur*, unde doctrina, humanitas, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur (4). *Sapientissimi certe Viri merito existimarunt Philosophiae, omniumque laudatarum Artium historiam cum Graeca, atque Atheniensi in primis historia arctissimo veluti foedere coniunctam esse; ut illustrium proinde Virorum series nitide, accurateque contexi non possit, nisi diligenter illa ad Atheniensis Historiae fidem, caracteres, ac tempora referatur: & quemadmodum Cicero de Athenis ipsis eleganter olim, vereque dixerat* in hac Vrbe, quacumque ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus (5), *ita quoque de Atheniensium Fastis, dixisse liceat quaecumque demum tempora oculis, animoque nostro obversentur, semper illustrium Virorum memoria repente nobis occurrit, qui temporibus illis floruerunt.*

Exin-

(1) Olimp. VI. (2) Vid. Eustath. in Ilad. II. Num. 45. (3) Cic. de Orat. I. (4) Cic. Orat. pro L. Flacco. (5) De Fin. Lib. V. c. 2.

Exinde vero iam facile intelligi, deprehendique poterit quanta Fastorum utilitas, atque praestantia esse debeat; quantum splendoris, ac praesidii in describenda sapientum hominum aetate ex Fastis ipsis oriatur, quam facile innumera Scriptorum loca, quae alioquin implexa, vel depravata forent, emendari, restitui, uberiorique luce perfundi possint; quam purior atque accuratior rerum praeteritarum memoria exsculpi possit, si res, & historiae singulae ad annos illos diligentissime referri possint, quorum iudicia, vel characteres a Graecis Scriptoribus usurpatos praeseferunt. Itaque cum Scriptores illi illustrium Virorum aetatem, resque ab iis praeclare gestas partim Atheniensium Archontum nominibus, partim etiam Olympicorum, aliorumve Ludorum victoribus, veluti perspicuis, certisque notis, designaverint, nihil profecto utilius effingi poterat quam si nitida, ac perrennis Archontum & Victorum illorum series per Olympicos annos disposita contexeretur, simulque illustriora vel Philosophicae, vel Atticae Historiae capita ad annos illos Olympicos referrentur.

Eximiam hanc certe Factorum utilitatem apprime viderat immortalis ille Sigonius dum anno 1564. *aureolum libellum* de Atheniensium Temporibus *ederet: quemadmodum prius* de Atheniensium Republica *exquisite disserverat. Sed haec ipsa tamen Sigonii series tantum Meursii Fastis mox consequutis concedere visa fuit quantum tenuissimae facis splendor nitidissimo solis iubari concedit. Siquidem eruditissimus hic Auctor, quem optimo certe iure Graecanicae eruditionis thesaurum appellaveris in IV. Libris illis, quos anno* 1622. de Archontibus Atheniensium *conscripsit, admirabili qua fuerat Graecarum rerum peritia, ingenii acumine, atque immensa quadam beataque eruditionis copia spartam hanc eleganter adeo exornavit, ut doctissimi deinde Viri ubique fere Meursii vestigiis pressius institerint, atque in contexenda Archontum serie Meursium ipsum exscripserint; illorumque solum Archontum nomina adiecerint, quae ex Graecis Marmoribus post Meursii fata in lucem erutis affulsere; ut in Lydiatti, Petavii, Prideauxii, Dodvellique praesertim serie factum conspicimus, quae anno* 1702. *edita, ceteris omnibus uberior, atque accuratior merito existimatur.*

Nec aliam certe mihi vel methodum, vel Archontum seriem adhibendam esse putaveram ubi superioribus annis de Fastis Atticis *cogitavi; Cum enim illud unum mihi propositum foret, ut*

nitidam quandam Fastorum seriem per Olympicos annos dispositam accurate contexerem, in qua Archontum Atheniensium, simulque Romanorum Consulum nomina recenserentur; victores illi, qui tum in Olympicis, tum in reliquis etiam Graeciae Ludis palmam adepti fuerant, memorarentur, quidquid ad Philosophorum, aliorumque illustrium Virorum aetatem, aut nobiliora Graecanicae Historiae capita spectaret, atque ad Olympicos annos illos referri posset, contineretur, in digerendis Archontum temporibus non aliam prorsus ipsorum seriem adhiberi a me posse conieceram, quam quae a Meursio adornata, a Petavio exscripta, a ceteris aucta vel illustrata iam fuerat. Vix tamen operi manum admoveram, Tlesiaeque Archonti aetatem definiendam susceperam, quod in Doctissimis hisce Viris, ac Meursio praesertim, ut Dissert. I. Num. 6. & 7. ostendetur, plurima subinde corrigi, vel illustrari, vel etiam optari posse deprehendi. Etenim primo Archontes quosdam Eponymos omissos esse conspexi, qui ex perspicuis tamen Veterum testimoniis facile exsculpi possunt; ne Archontes etiam illos hic memorem, qui ex Marmoreis solum Inscriptionibus aliis nuperrime prodiere. Ipsorum plurimos subdola nominum similitudine deceptus Meursius aliena prorsus in loca vel tempora revocavit. Plurimos Eponymorum Fastis inscriptis, qui vere tamen Eponymi censeri nequeunt, adeoque merito ex Fastis ipsis expungi debent. Plures incertae aetatis fuisse dicit, simulque temere ipsorum singulos postremo tandem loco memoravit, qui facile tamen ad Olympicos quosdam annos, quibus Archontis munere perfuncti illi fuerant, referri possunt. Denique, ne liberius hic cetera persequar, aliquando Meursius Archontem unum in duos discerpsit; aliquando vicissim Archontes etiam plures in unum confudit. Quo plane fieri oportuit, ut non modo Meursii series pluribus in locis mutila, & inconstans esset, ac mirifice fluctuaret, verum etiam plurima Atticae Historiae capita, quae Archontum illorum nominibus insignita fuerant, obscura, perplexa, plurimumque perturbata forent, ut variis ipse in locis, praesertim vero Dissert VIII. manifestissime demonstravi.

Tantum vero abest ut errores eiusmodi, qui doctissimo, atque immortali Viro ad graviora properanti exciderunt, hic opportune ego memorans quidpiam ex Meursii laudibus demptum velim, aut ipsi detrahere ausim.

Haerentem capiti multa cum laude coronam (1);

ut

(1) Horat. Satir. 10. Lib. I. ver. 48.

ut exinde potius admirbilem Meursii solertiam, ac felicitatem inferri posse putaverim, quod in tanta rerum obscuritate, Scriptorumque numero ac varietate maior alicubi solum diligentia, ac severitas optari fortasse possit. Atque utinam quidem optatissima Meursianorum Operum editio, quam pluribus ab hinc annis eruditissimus Lamius adornandam susceperat, prodiisset! Nullus enim dubito quin ex accuratis doctissimi Viri observationibus plurimus mihi splendor in iis, quae disserenda a me fuerant, affulgere potuisset; ac pleraque, quae in Meursii Libris restitui, castigari, supplerique posse iam videram, uberius ab illo, longeque illustrius exposita ac emendata iam fuerint. Quandoquidem vero praestantissima haec Operum collectio publicam nondum lucem adspexit, quaecumque in Meursio opportune adnotaveram edenda fore putavi: cumque vix fieri profecto possit quin unus idemque veritatis inquirendae amor, ac Meursii illustrandi studium saepius utrumque nostrum in easdem opiniones impulerit, plurimum certe mihi laetandum erit si coniecturis hisce meis clarissimi quoque Viri suffragium accedat. Quemadmodum vero mihi Meursius ipse maximo semper in pretio, atque in amoribus esse debuit, ita quoque ingenuo prorsus obsequii, amorisque sensu complecti me decet Scaligerum, Petavium, Petitum, Dodvellum, Sponium, aliosque plurimos id genus sapientes homines, quamvis ab illis disserendo dissideam, ipsorumque hypoteses aperte refellam. Itaque si liberius fortasse alicubi, acerbius certe nunquam, verbum aliquod imprudenti mihi de Viris illis exciderit, indictum velim: quippequi praeclara illa doctrinae lumina semper ingenue sim veneratus, unoque veritatis amore incensus ipsorum hypotheses, quas perspicuis, ut opinior, argumentis falsas esse deprehenderam, opportune confutaverim. Hic ipse quoque honestatis, gratique animi sensus in caussa fuit, ut quaequmque a Scriptoribus aliis observata fuisse iam videram, quamvis illa a me pridem adnotari, atque in Adversaria congeri contigisset, laudatis ubique ipsorum nominibus semper expresserim; nihilque proinde mihi arrogantius adscripserim, quod non ipse omnium primus invenissem, aut a Scriptoribus aliis, quos consulueram, dissimulatum esse conspexissem.

Sed, ut ad Fastos ipsos, ipsorumque methodum revertar, cum veteres editosque Fastos alicubi supplendos, corrigendos alibi, alibi denique uberius illustrandos esse intelligerem, longe id

mihi commodius, atque concinnius visum fuit, si novam prorsus, accuratioremque Fastorum seriem contexendam susciperem, in qua Pseudeponymi Archontes omnes expuncti forent; Archontes Eponymi, qui mihi primum affulserant, adiungerentur; & cetera, quae Fastis Atticis illustrandis mirifice conferre poterant, exponerentur. Quandoquidem vero haec in ipsa Fastorum serie commode fieri non poterant, nisi perpetua, sibique constans temporum series abrumperetur, haec in ipso potius Fastorum limine disserenda putavi. Cumque de Pseudeponymis Archontibus illis, sive ut Dodvellus appellat, Prytaniarum Epistatis disseri certe non posset, nisi de Prytanibus etiam, Prytaniarum Epistatis, ipsorumque muneribus disputaretur; neque Prytanes ipsi, ac Prytaniarum dignitas accurate exponi, nisi de Atheniensium Tribuum ordine, Prytaniarum serie, simulque de Populis ageretur, quibus Athenienses Tribus, ac Prytaniae componebantur, haec omnia quoque suis in locis, antequam Fastorum series inciperet, opportune explicavi. Denique his omnibus rite percipiendis, Fastisque diligenter contexendis plurimum conferre posse putavi si de Archontum origine, numero, dignitate; civilis Attici anni quantitate, forma, principio, ac de monimentis illis dissererem, ex quibus Archontum series, ac nomina exsculpi possent. Itaque rerum disserendarum segetem sensim mihi uberiorem succrescere conspexi; ut res una ad aliam arctissimo veluti vinculo sibi coniunctam facem praeferre, ac nativa quadam serie manu ducere videretur; ut proinde prima longeque difficilior Operis Pars non XII., ut antea decreveram, sed XIV. Dissertationibus contexenda fuerit, quae veluti Apparatus ad Fastos Atticos haberetur; atque illa fusius, & accuratius exponeret, quae commode in Fastis ipsis exponi, vel disputari non poterant.

Qua vero serie XIV. Dissertationes istae contextae a me fuerint, quidve in illarum singulis disputatum sit, brevissime hic una complecti, vel indicasse iuverit, ut maxima rerum affinitas intelligatur; simulque universa Operis methodus, atque divisio oculis fere subiecta videatur.

I. Quandoquidem ergo Archontis Eponymi nomen, veluti perspicua quaedam temporis nota, ab Atticis, aliisve Graecis adhibetur, de Archontum numero, varietate, muneribus agendum erit; simulque tempus ostendetur, quo Archontes illi Athenis instituti, tandemque sublati fuerint.

II.

II. Proximo deinde loco mensis ille demonstrabitur quo Archontes ipsi magistratum inirent, vel Archonticus annus inciperet; ideoque prius de civilis Attici anni forma, principio, quantitate, mensium numero, serie, varietate, atque exemptilium dierum sede disputabitur.

III. Cumque civilis, & Archonticus annus non in menses solum, sed in Prytanias etiam diremptus esset, ac Tribuum Atheniensium singulae aequali temporis, annique parte Prytaniae munere fungerentur, adeoque Prytaniae numerus veluti temporis character ab Atticis Scriptoribus adhibeatur, de Tribuum ipsarum, ac Prytaniarum numero, & ordine differetur; ipsarum series a Dodvello proposita refelletur; simulque illustria quaedam Scriptorum loca, atque Atticae Historiae capita hactenus perplexa corrigentur.

IV. Ubi vero non Dodvelli solum, sed aliorum quoque Scriptorum omnium hypotheses de Tribuum Atheniensium ordine reiectae fuerint, vera, & constans Tribuum series Eruditis omnibus hactenus incomperta partim ex Scriptoribus, partim ex Marmoribus ostendetur; simulque perspicuis argumentis demonstrabitur Prytaniarum seriem incertam fuisse, hoc est Tribus ipsas in obeundo Prytaniae munere fortuitum solum ordinem singulis annis obtinuisse.

V. Quoniam autem quaelibet Atheniensium Tribus ex variis Atticae Populis constabat, ac series illae Populorum, quae a Sigonio, Meursio, Sponioque contextae fuerant, pluribus in locis corrigi, suppleriquue poterant, nova, & accuratior alia Populorum series ita contexetur, ut in illa veri solum Atticae Populi, ipsorumque Tribus, si exploratae illae fuerint, memorentur; quorumdam Tribus hactenus ignoratae indicentur; loca plurima, quae in Meursii, Sponiique seriem irrepserant, expungantur; novique Populi Scriptoribus aliis incomperti coniectura adiungantur.

VI. Tribuum, Populorumque cognitioni Atheniensis etiam Senatus, & Ecclesiae cognitio subiicienda fuerat, cum Senatus ipse, & Ecclesia ex civibus in Populos, Tribus, ac Prytanias distributis componeretur. Itaque de Senatus, & Ecclesiae forma, dignitate, partibus; adeoque de Proedrorum, ac Epistatarum numero, varietate, muneribus agendum erit, simulque Sigonii, & Dodvelli opinio confutabitur.

VII.

VII. Illud hic etiam accurate inquiri vel definiri debuit an Pseudeponymi Archontes illi, qui in Meursii Fastos irrepsere, Prytaniarum Epistates *cum Dodvello censeri possint; atque ubi Pseudeponymos Archontes istos admittendos esse contra Meursium ostensum fuerit, illos a Prytaniarum Epistatis distinguendos esse contra Dodvellum demonstrabitur; adeoque duplex alia de Pseudeponymorum Archontum origine, ac dignitate hypothesis exponetur.*

VIII. Tum corrigendis Eponymorum Fastis integra, & exquisita Pseudeponymorum Archontum omnium series ita contexetur, ut XXXIII. Archontes eiusmodi ex Fastis hactenus editis expungantur, singulorum aetas, aut annus ostendatur plurima veterum Scriptorum loca vel emendentur, vel opportune illustrentur.

IX. Postquam vero maxima haec labes ex Fastis hactenus editis sublata fuerit, Scriptores illi, vel monumenta ostendentur ex quibus veluti fontibus vera Archontum series hauriri possit: cumque maior Arhontum ipsorum numerus a Diodoro, *& Arundelliani Marmoris Auctore memoretur atque Auctores illi plurimum subinde dissideant, dissensus iste exponetur; atque ubi lacunae quaedam in* Diodoro, *Dionysioque indicatae, riteque suppletae fuerint, uterque ex Scriptoribus illis ita cum Marmore componetur, ut una eademque Archontum series ex tribus monimentis istis oriatur.*

X. Supplendis deinde augendisque Fastis Archontes Eponymi XII proferentur; qui, quamvis a Scriptoribus memorentur in Fastis tamen omnibus hactenus editis desiderantur.

XI. Ita quoque XXII. Archontes alii mox subiicientur, qui Meursio, ceterisque omnibus incogniti fuere, atque in Marmoreis Inscriptionibus mihi nunc omnium primo sunt observati.

XII. De Atheniensium quoque Numis, *atque nominibus, quae numeris ipsis inscripta conspiciuntur, agendum erit, quod plurimi Archontum Eponymorum nomina Atheniensium* Numis *inscribi consuevisse putaverint. Itaque haec opinio cum ceteris conferetur, diligenter examinabitur; atque ubi ceteris illa praeferri, probarique debeat, XL. Archontes alii Eponymorum Fastis adiungentur.*

XIII. Coronidis etiam loco de praecipuis Atheniensium, aliorumque Graecorum Fastis ideo disseretur, quod illa saepissime a Grae-

a Graecis Scriptoribus, tanquam temporis, annorumque characteres, citari consueverint. Itaque contra Petavium, & Dodvellum tempus, aut annus Olympicus ostendetur, quo Pythia celebrabantur; verum aliorum Festorum tempus definietur, quod in plurimis obscurum hactenus, & incertum esse conspicitur; simulque plura Scriptorum loca, vel Historiae capita explicabuntur.

XIV. Supremo tandem loco methodus ostendetur, qua secunda Operis Pars, sive Fasti Attici *dispositi a me fuerint; quis illorum usus in Graeca, Romanaque Historia esse debeat; variarum Gentium menses exponentur, atque inter se, sive cum Atticis, Romanisque mensibus conferentur; ut facile characteres illi, qui ab aliquo Scriptore usurpati fuerint, ad Attici, Romanique temporis characteres, hoc est ad Atticos, Romanosque menses referri possint.*

Dissertationibus istis copiosus rerum memorabilium Index, simulque Scriptorum omnium catalogus in II. Voluminis calce subiicietur, quorum testimonia in Dissertationibus ipsis laudata, tentata, restituta, vel illustrata fuerint: ac Geographica quoque Atticae Tabula proponetur, quae Populos illos exhibeat, quorum certa sedes hactenus explorari, perspicuisque Veterum testimoniis, quae proferentur, definiri potuerit.

Primam hanc Operis Partem posterior alia, longeque facilior duobus & ipsa Voluminibus comprehensa hoc ordine consequetur, ut Primum Fastos Atticos ab anno 3 Olympiadis VI. quo Vrbs Roma condita fuit, simulque Charops decennalium Archontum primus Athenis imperare cepit, praemissa tamen brevi Atheniensium Regum, perpetuorumque Archontum serie, ad Olympiadem centesimam *complectatur; alterum vero ab Olympiade* centesima *ad Olympiadem CCLXX., hoc est annum a Christo nato 305., quo Archontes Eponymi sublati iam fuerant, extendatur: ac ipsa quoque locupletissimo rerum, & Scriptorum Indice adornetur.*

Habes hic, optime, & amice Lector, universi demum Operis argumentum: splendidum illud quidem, atque incredibili quadam rerum varietate respersum, sed plurimis tamen, maximisque difficultatibus impeditum. Etenim pleraque ipse omnium primus, absit audacia verbis, investigavi, nulloque facem praeferente ex tenebris in lucem extuli. Plurima ab aliis leviter

solum,

solum, obscurius minusque feliciter exposita, severius exploravi, longeque, ut opinor, accuratiori feliciorique methodo pertractavi. Ubique fere veterum tum Scriptorum loca, tum Interpretum menda, tum doctissimorum hominum opiniones discutiendas, castigandas, ac refellendas suscepi. An vero feliciter mihi, semperque ex voto res cesserit, alii viderint: id certe mihi tribuere, paulloque licentius gratulari non audeo. Neque enim is ego sum, qui non humanae dixerim, sed meae potius imbecillitatis immemor in obscurioribus subinde, novisque rebus investigandis; aut in corrigendis etiam aliorum erroribus me nunquam deceptum, ac liberiori fortasse coniecturae genere abreptum fuisse non verear; simulque a me plura, quae praclare, & opportune variis in locis adiungi poterant, omitti potuisse non videam. Est enim argumentum istud campus, in quo alius alio plura invenire potest, nemo omnia. (1), *nihilque fere potentius ingenuum hunc modestiae, pudorisque sensum animis nostris ingerere fortasse poterit, quam si leviores etiam errores illi nostris oculis obversentur, quos Doctissimis etiam Viris excidisse conspicimus.*

Illorum tamen exemplo audendum fuit, ut alacriores alii, longeque feliciores susceptum Opus perficere, ac urgere possint; Fastosque Atticos uberius aliquando, ac illustrius adornare. Ut enim praeclare, elegantissimeque dixit Hippocrates, τὸ μεν τί τῶν μὴ ευρημένον ἐξευρίσκειν, ὅ, τι καὶ ευρεθὲν κρεσσον ἢ ἀνεξεύρετον, ξυνέσιος δοκέει επιθύμημάτε, καὶ ἔργον εἶναι. καὶ τὸ τὰ ἡμίεργα ἐς τέλος εξεργάζεσθαι ὡσαύτως (2) eorum, quae nondum inventa fuerint, aliquid invenire, quod invenisse potius quam non invenisse praestat; similiterque rudia, & inchoata perficere, id certe perspicacis solertiae studium, & opus videtur esse. *Nec alio certe consilio (quod hic ingenue testari, semelque monuisse iuverit) liberius aliquando coniecturas aliquas in corrigendis praesertim Veterum testimoniis protuli, perinde quasi praefidentius coniecturis illis indulserim, adeoque immerito Scriptorum loca sollicitaverim; nisi ut coniecturis ipsis, quas modeste semper exposui, feliciores alii fortasse uterentur, atque obscurioribus illis Scriptorum locis mederi, melioremque lucem affundere subinde possent. Quaecumque vero vel corrigi vel opportunius inseri, vel accuratius exponi posse deprehenderim,*

(1) Auson. (2) De Arte init.

rim, quemadmodum graviora quoque typographica menda, quae irrepſerint, in II. Voluminis calce proferentur. Interim vero liberaliter mecum agi, uberemque mihi laborum meorum fructum gratulari poſſe putaverim, ſi in pulcherrimo, graviſſimoque argumenti genere aliquid inveniſſe videar, quod eruditis hominibus probari, ſimulque ingenuis Adoleſcentibus erudiendis conferre poſſit.

Dabam Piſis 10. Kal. Mart. Anno 1745.



DIS-

FASTORVM ATTICORVM

PARS PRIMA

DISSERTATIO PRIMA.

SYNOPSIS.

I. *Athenienses ad innovandas imperii formas omnium maxime propensi.* II. *Initio Reges, inde perpetui, mox decennales solum Archontes Athenis imperarunt; tandemque, sublatis illis, Archontes annui sunt instituti.* III. *Temporis intervallum a Cecrope Regum primo ad Creontem Archontum annuorum primum demonstratur.* IV. *Scriptorum dissensus in definienda Archontum annuorum origine.* V. *Pausaniae a Scriptoribus aliis, atque Meursii a Sigonio dissidium.* VI. *Insignis Pausaniae locus a Meursii emendatione vindicatur. Decennalium Archontum series, atque aetas iuxta Pausaniam exponitur.* VII. *Alter Pausaniae locus contra Dodvellum defenditur.* VIII. *Pausaniae tamen opinio refellitur; & annuorum Archontum institutio anno* 2. *Olymp.* XXIV. *verisimilius adscribitur, simulque variae Scriptorum sententiae tum inter se, tum etiam cum Oxoniensi Marmore conciliantur.* IX. *Archontum annuorum numerus, varietas, & nomina.* X. *Obscurus quidam Aeliani locus explicatur.* XI. *Meursii, Perizonii, aliorumque coniecturae in castigandis, explicandisque Aeliani verbis refelluntur.* XII. *Archontes annui, sive Novemviri ex nobilioribus, ditioribusque Civibus electi.* XIII. *Exteri, quamvis Atheniensi civitate donati, Archontes esse non poterant; nequidem Plataeenses ipsi, licet illi ceteris omnibus Atheniensium honoribus fruerentur.* XIV. *Lysiae textus immerito a Meursio castigatus ostenditur, atque illustratur.* XV. *Novemviri fabis olim, simulque sortito eligebantur. Plutarchi locus explicatur.* XVI. *Solemnis* ἀρχαιρεσίας, *sive electionis ritus exponitur, ac illustratur. Harpocrationis, & Suidae locus contra Meursium defenditur, & explicatur.* XVII. *Atheniensium comitia semper olim in Pnyce celebrata.* XVIII. *Aristophanis locus explicatur. Meursii, Sponii, aliorumque error indicatur.* XIX. *Novemviri nuper electi legum cu-*

custodiam in foro ad lapidem, atque in Acropoli iureiurando pollicebantur. XX. *Solonis Leges prius in Acropoli, deinde in foro servatae. Pollucis locus, repudiata Iungermanni emendatione, tentatus.* XXI. *Archontes omnes hedera, vel potius myrto coronati. Alciphronis locus explicatus, & cum Scriptoribus aliis conciliatus.* XXII. *Novemviri in corpus unum, sive Senatum a Solone primum congregati. Tribunal, in quo ipsorum quilibet antea ius dicebat.* XXIII. *Quo loco deinde simul convenerint. Meursius semel, iterumque confutatur.* XXIV. *Novemviri singulis Populi concionibus praesidebant. Eponymus Archon aquam litigantibus distribuebat.* XXV. *Peculiaria Thesmothetarum, Polemarchi, Regis. atque eponymi Archontis munera describuntur. Plutarchi, Petiti, Meursii, aliorumque error indicatur.* XXVI. *Paredri, vel Assessores ab Archonte eponymo, Rege, & Polemarcho electi. Harpocration, & Suidas notati.* XXVII. *Novemviri singuli annuo Magistratu rite defuncti Areopagitis adiungebantur.* XXVIII. *Id quando factum. Meursii error demonstratur, locusque Demosthenis explicatur.* XXIX. *Rationes a Novemviris quando, & quibus redditae.* XXX. *Videtur Novemviros Areopagitis iam inscriptos eodem Archontis munere iterum perfungi non potuisse.* XXXI. *Exemplis tamen, & argumentis oppositum suadetur.* XXXII. *Demosthenis, Plutarchi, aliorumque loca illustrantur.* XXXIII. *Sublatis Novemviris, Servatorum Sacerdotes quando electi.* XXXIV. *Novemviri mox restituti. Meursii, Dodvelli, aliorumque errores in Diphili, Dioclisque Archontis anno definiendo demonstrantur.* XXXV. *Extincta veteri Archontum dignitate, Strategi instituti. Plutarchi, & Philostrati locus contra Meursii sententiam explicatur:* XXXVI. *Vetus Inscriptio contra Meursium exponitur, ac emendatur.* XXXVII. *Meursii inconstantia, atque error semel, iterumque indicatur.* XXXVIII. *Strategi nomen pro Archonte in Romanis Legibus usurpatum. Vetus Inscriptio emendatur, atque explicatur.* XXXIX. *Sublatis Atheniensium Archontibus, adhuc Archontis nomen, sed alio tamen sensu, usurpatum. Meursii, aliorumque errores, & Fasti corriguntur. Strategi nomen quando Nummis inscribi coeptum. Vaillantii error ostenditur.* XL. *Eponymi Archontis nomen Atheniensium Fastis inscriptum, ipsoque distincta tempora, vel anni numerati.*


DIS-



DISSERTATIO I.

DE VARIIS IMPERII FORMIS QUAE ATHENIS FLORUERUNT DE ANNUORUM ARCHONTUM ORIGINE NUMERO NOMINIBUS ORNATU MUNERIBUSQUE PRAESERTIM VERO DE ARCHONTE EPONYMO QUI FASTIS INSCRIBEBATUR.



I. Theniensis Populi historiam qui a primis usque temporibus evolvendam susceperit, illamque cum plurimis exterarum Gentium monimentis comparaverit, facile, ut opinor, intelliget Athenienses ipsos imperii amplitudine, libertatis tuendae amore, eximiis belli pacisque ornamentis, incredibili denique rerum gestarum gloria ceteros inter Graeciae Populos mirifice floruisse; sed nullam tamen ex Graecis Vrbibus memorari, quae ad perturbandos imperii sui status Atheniensi proclivior acriori novitatis amore semper exarserit; ideo-

que plures imperii formas, ac viciſſitudines experta fuerit[1]. Ac mythica quidem, vel obſcura illa tempora, quibus Athenienſes ipſi ſe cicadarum inſtar *αὐτόχθονας*, *indigenas*, ſponteque genitos, adeoque liberi, maximeque aequabilis imperii forma uſos gloriabantur[2], hic nihil moror; nihilque de temporibus etiam illis hic loquar, quibus Athenienſium Civitas vel exterarum Gentium furore, vel Civium ſuorum tyrannide ſubinde oppreſſa illud imperii genus excepit, quod invitis, ſubactiſque civibus tyrannorum temeritas, victorumque arbitrium impoſuit. Plurimae nunc ſolum mutationes illae ſpectari debent, quae incolumi patriae libertate, ſolo novitatis ſtudio, Populique aeſtuantis ardore a civibus ipſis ſunt inſtitutae: quo certe levitatis, & inconſtantiae genere Athenienſium Civitas ceteras Vrbes omnes longiſſime ſuperavit.

II. Etenim principio Reges Athenis imperarunt; primuſque Cecrops in Attica, quae ab ipſo *Cecropiae* nomen obtinuit, regnaſſe fertur. Poſt Cecropem ſexdecim Reges alii in Athenienſium imperio perenni ſerie, atque haereditario iure ſucceſſerunt; cumque Codrus Regum illorum ultimus patriae ſervandae amore ſe morti obieciſſet[3], ipſius poſteris non avitum Regis nomen, ſed mitius aliud conceſſum fuit, ut illi *Archontes* potius, vel patriae Principes vocarentur. Itaque Medon Codri filius, eiuſque poſteri, ac ſucceſſores ſemper Athenienſium *Archontes*, atque *Medontidae* ſunt appellati, quod dignitatem illam veluti haereditariam obtinerent; quamvis *ὑπεύθυνοι*, adminiſtrati nimirum imperii rationibus Populo reddendis obnoxii forent. Sed cum principatus etiam ille aſperior ſubinde, graviorque Populo videretur, ſenſimque Athenienſes ipſos liberioris, ac popularis etiam regiminis cupiditas inceſſiſſet, Medontidarum imperium ita temperatum fuit, ut poſt Alcmaeonem, qui inter Medontidas, ſive perpetuos Archontas decimum tertium locum obtinuit, Archontum quilibet decennio ſolum imperaret; ideoque ſeptem Archontes alii, Charops nimirum, Aeſimedes, Clidicus, Hippomenes, Leocrates, Apſander, & Erixias 70. annorum ſpatio Athenienſibus imperarunt, cum illorum ſinguli decennium integrum in Archontis munere exegiſſent. Denique, ſubla-

ta

(1) Aelian Var. Hiſt. Lib. V. c. 13. (2) Vid. Thucyd. Lib. I. & Euſtath. ad Iliad. III. Plato in Menex. (3) Poliaen Strat. I. c. 18. Pauſan. in Attic. Cic. Tuſc. I. c. 48. & Iuſtin. II. c. 6.

ta iam, extinctaque tum regii, tum haereditarii perpetuique, tum decennalis etiam imperii forma, Archontes annui sunt instituti, qui singulis nimirum annis ex spectatissimis primum, ditioribusque, deinde vero ex civibus omnibus eligerentur, donec effusa atque mirifice impudens assentatio, qua Athenienses ipsi Antigonum, atque Demetrium Macedoniae Reges veluti Deos, Vrbisque servatores sunt prosequuti, illos etiam impulit ut abrogata veteri Archontis dignitate Magistratus alios instituerent, quos Ἱερεῖς Σωτήρων *Servatorum Sacerdotes* vocarunt; quamvis exacto novemdecim annorum spatio, sublatis eiusmodi Sacerdotibus, eponymos Archontes iterum elegerunt, ipsorumque munera, & nomen ad illa usque tempora conservarunt, quibus expugnatis a Sylla Athenis Atheniensium civitas Romanorum Reipublicae, moxque Caesaribus subesse debuit.

III. Varias eiusmodi, atque mirifice dissidentes imperii formas, quae Athenis olim floruerunt, Sigonius, Postellus, aliique plurimi sunt prosequuti; quos inter excellere merito existimatur Meursius, qui in Libris illis, quos de Regno Attico, & de Archontibus Atheniensium conscripsit, Regum illorum, & Archontum aetatem, simulque praecipua Atheniensis historiae capita expressit. Itaque illorum vestigiis insistens plurima ego quoque in ipso *Fastorum Atticorum* limine complectar; ut perennis illa Regum, Archontumque series ad annum usque 3. Olympiadis VI. deducta, in quo Charops decennalium Archontum primus imperare coepit, oculis subiecta videatur. Vnum hic obiter observasse iuverit quod ab initio Cecropis ad Creontis Archontis annum, qui omnium primus annuum Magistratum illum obtinuit, in Oxoniensi, vel Arundelliano Marmore (1) 898. anni numerantur: in quo certe Marmoris auctor ab Eusebii, aliorumque Scriptorum calculo non plurimum fortasse dissidet. Siquidem Africanus apud Eusebium ipsum testatur (2) ab initio Cecropis ad Creontem 856. annos fluxisse; quamvis ex ipsius Eusebii calculo 833. (3) solum, vel, ut accuratius alibi in expanso Chronico Canone exprimitur, 872. annorum summa colligatur (4); quemadmodum etiam barbarus Auctor ille, qui ex primo Eusebii Libro *utilissima*, ut ait Scaliger, excerpta collegit, (5) a Cecropis initio ad Creontem usque 907. annos fluxisse dicit: quae certe an-

(1) Linea 3. Epocha 1. & lin. 48. Epoch. 33. (2) Eufeb. Lib. I. pag. 39. (3) Lib. I. (4) Lib. II. (5) Pag. 62.

annorum ſumma ad Arundelliani, vel Oxonienſis Marmoris numerum proxime, ut apparet, accedit; ut proinde tum Marmoris auctor, tum Scriptores etiam alii temporum illorum ſeriem ex iisdem fontibus hauſiſſe videantur. Sed haec, ut antea iam dixi, obiter hic ſolum innuenda fuerant, ut illa temporis ſeries, annorumque numerus oſtenderetur, quibus Athenienſes primum ſub Regibus, deinde ſub perpetuis Archontibus, poſtremo ſub decennalibus fuerunt, donec annuos, eponymoſque Archontes eligere, ipſorumque nomine civiles annos diſtinguere coeperunt; quod maximo in explorandis hiſtoriae Graecae monumentis, digerendiſque Athenienſium temporibus adiumento fuiſſe oportunius alibi oſtendam [1].

IV. Quo vero tempore, decennalibus ſublatis, annui, atque eponymi Archontes illi ſint inſtituti definiri vix poſſe videtur, cum veteres hac in parte, recentioreſque Hiſtorici mire diſſideant. Siquidem Charops decennalium Archontum primus a Dionyſio Halicarnaſſeo incepiſſe dicitur anno primo Olymp. ſeptimae ἔτυς ἐνεϛῶτος πρώτυ τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα ϛάδιον Δαικλῆς Μεσσήνιος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Χάροπος ἔτος τῆς δεκαετίας πρῶτον [2]: *anno primo ſeptimae Olympiadis, qua ſtadium vicit Daicles Meſſenius, archonte Athenis Charope, decennis eius principatus anno primo*: quemadmodum iterum conceptis verbis aſſeruit πᾶσα ἀνάγκη τὸν πρῶτον ἄρξαντα τῆς πόλεος Ῥωμύλον ἔτει πρώτῳ τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος παρειληφέναι τὴν βασιλείαν, ἄρχοντος Ἀθήνησι τῆς δεκαετίας Χάροπος ἔτος πρῶτον [3] *omnino neceſſe eſt ut primus Vrbis Rex Romulus auſpicatus ſit anno primo ſeptimae Olympiadis, Charope Athenis primum in decennali imperio annum agente*. Itaque, ſi primus Charopis annus ex Dionyſii calculo incepit anno 1. Olymp. VII. ultimus Erixiae decennalis Archontis annus incidere debet in annum 2. Olymp. XXIV.; ideoque Creon annuorum primus anno ſequenti, nimirum 3. Olymp. XXIV. imperaſſe debuit. A Dionyſii calculo minimum diſſidet Euſebius ipſe, qui ad annum 2. Olymp. XXIV. ait μετὰ τὺς Βασιλεῖς Ἄρχοντες ἐνιαυσιαῖοι ᾑρέθησαν ἐξ ευπατριδῶν, ἐννέα τε Ἀρχόντων Ἀθήνησιν ἀρχὴ κατεϛάθη [4] *poſt Reges Archontes annui ex nobilioribus electi ſunt; novemque Archontum magiſtratus Athenis conſtitutus eſt*: quamvis alibi Euſebius ipſe ex Africano dixerit ἡ δὲ τῶν ἐνιαυσίων ἀρχὴ ἔρχθη, Κρέοντος πρώτυ

ἄρ-

(1) Diſſer. IX. (2) Antiq. Rom. Lib. I. c. 71. (3) Ibi c. 75. (4) Lib. II. pag. 141.

ἄρχοντος ἡγησαμένου, ἐπὶ τῆς ιθ′ ὀλυμπιάδος, οἱ δὲ ἐπὶ κέ[1] *annuorum* Archontum *magistratus incepit Creonte* illorum *Archontum primo praeeunte, olympiade* 19. *vel, ut alii volunt*, 25. Sed varias tamen opiniones illas respuere videtur Eusebius, & Africanus; siquidem repente subdit ἀφ᾽ οὗ (Κρέοντος) ἐπὶ τὴν διακοσιοστὴν πεντηκοστὴν ὀλυμπιάδα Α᾽ρχοντες ἐννακόσιοι καὶ τρεῖς μέχρι Φιλίνου · καθ᾽ ὃν ὑπάτευον Ρ᾽ωμαίων Γρᾶτος Σαβινιανὸς, καὶ Σέλευκος: *a quo* (Creonte) *ad olympiadem ducentesimam ac quinquagesimam Archontes annui nongenti tres* fuerunt *usque ad Philinum, quo Archonte Gratus Sabinianus, & Seleucus Romanorum Consules fuerunt*. Ergo cum Coss. illi in annum 1. Olymp. CCL. Vrbisque Romae Conditae 974. inciderint, si 903. anni exinde numerentur, ad annum 2. Olymp. XXIV. pervenietur, quo Creontem annuorum Archontum primum institutum esse iam dixerat. Arundelliani quoque, vel Oxoniensis Marmoris testimonio eadem Creontis epocha mirifice confirmatur. Etenim in linea 48. sive Epocha 33. perspicue legitur ἀφ᾽ οὗ καθ᾽ ἐνιαυτὸν ἦρξεν Κρέων ἔτη ΗΗΗΗΔΔ: *ex quo Creon annuus imperavit anni* 420. ideoque, cum Marmoris anni, vel epochae ab anno 1. Olympiadis CXXIX. serie retrograda numerentur, ut alibi ostendetur, [2] Creontis annus, qui 420. annis Olympiadis CXXIX. annum primum praecessit, ad annum primum Olymp. XXIV. referri debet [3].

V. Pausanias tamen annuos Archontes illos Olympiade XXIII. iam institutos esse putavit, quippequi dixerit anno 4. eiusdem Olympiadis Tlesiam Athenis, annuis Archontibus iam institutis, imperasse. Siquidem ille de II. Messenico bello, sive secunda Messeniorum a Lacedaemoniis defectione differens ait ἀπέστησαν ἔτει τριακοστῷ μὲν καὶ ἐνάτῳ μετὰ Ι᾽θώμης ἅλωσιν, τετάρτῳ δὲ τῆς τρίτης ὀλυμπιάδος καὶ εἰκοστῆς, ἣν Ι᾽καρος Υ᾽περησιεὺς ἐνίκα στάδιον. Α᾽θήνησι δὲ οἱ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἦσαν ἤδε τότε Α᾽ρχοντες, καὶ Α᾽θηναίοις Τλησίας ἦρχεν [4] *defecerunt Messenii undequadragesimo post Ithomes excidium anno, qui quartus fuit tertiae & vicesimae Olympiadis, qua vicit in stadio Hyperesiensis Icarus. Atheniensium vero Respublica annuis iam erat magistratibus commissa, ac tunc quidem Tlesias Athenis praetor erat*. Perspicuis eiusmodi Pausaniae verbis fretus, ut opinor, Sigonius Tlesiam hunc inter annuos Archontes eponymos enumeravit [5]; ideoque

Cre-

(1) Lib. I. pag. 39. (2) Dissert. VIII. (3) Lydiat. ad Mar. Oxon. pag. 43. (4) Messen. cap. 15. (5) De Temporib. Athen.

Creontem annuorum primum in proxime praecedentem annum retulit; quemadmodum Scaliger [1] variis in locis Creontem ipsum in anno 1. Olymp. XXIII. collocavit, atque Pausaniae testimonio innixus Tlesiam ad annum 4. Olymp. XXIII. revocavit; quamvis alibi [2] sibi non constans Tlesiam quidem eodem ipso loco, sive anno 4. Olymp. XXIII. reliquerit, sed Creontem tamen ad annum 3. Olymp. XXIV. transtulerit: ac si Tlesias ipse Creontem, annuosque Archontes omnes praecessisset. Ita Meursius, cum ex Dionysii calculo Creontem ipsum ad annum 3. Olymp. XXIV. retulisset [3], Tlesiam hunc, qui a Pausania anno 4. Olymp. XXIII. Archon fuisse dicitur, Eryxiae decennalium Archontum ultimo suffectum putavit, ut proinde ipsius principatus in Eryxiae decennio contineatur [4] Superiora vero Pausaniae verba, quibus Archontes annuos Tlesiae tempore, sive anno 4. Olympiadis XXIII. iam institutos esse diserte ille dixerat, ita Meursius corrigenda fore contendit ut oppositum potius sensum efficiant; ideoque rescribendum existimavit Ἀθήνησι δὲ οὐ κατ' ἐνιαυτὸν ἦσαν ἤδη τότε Ἄρχοντες *Athenis vero nondum annui tunc erant Archontes*; idque adeo verum esse putavit, ut *viri insignis Caroli Sigonii errorem excusari non posse* dixerit, *qui Tlesiam hunc annuorum Archontum secundum facit*.

VI. Ego vero Pausaniae textum temere prorsus a Meursio sollicitatum esse contendo. Siquidem Pausanias ipse de I. Messenico bello, eiusque principio loquens ait ταύτην Λακεδαιμόνιοι πρώτην ἐπὶ Μεσσηνίους ἔξοδον ἐποιήσαντο ἔτει δευτέρῳ τῆς ἐνάτης ὀλυμπιάδος ... τότε δὲ ὑπὸ τὴν κατάληψιν τῆς Ἀμφείας Αἰσιμήδης Ἀθηναῖος ἦρχεν ὁ Αἰσχύλου πέμπτον ἔτος [5] *haec prima fuerunt in eo bello suscipiendo Lacedaemoniorum exordia, altero anno nonae Olympiadis ... Quo itaque tempore Amphea capta est, Aesimedes Atheniensis Aeschyli filius quintum iam annum summae Reipublicae praeerat*. Itaque iuxta Pausaniae hypothesim quintus Aesimedis Archontis annus cum anno 2. Olymp. IX. concurrit, ideoque decimus, atque postremus eiusdem annus cum anno 3. Olymp. X. coniungi debet, ac reliquorum decennalium Archontum series, & epocha, ita ex Pausaniae calculo disponi.

An-

(1) Ad Euseb. Chr. num. 1296. et 1433. (2) In Historiar. Synagog. (3) De Arch. Ath. Lib. I. c. 9. (4) Ibi cap. 8. (5) Messen. c. 5.

Annus	1.	Charopis est	4.	Olymp.	V.
	1.	Aesimedis	2.		VIII.
	5.		2.		IX.
	1.	Clidici	4.		X.
	1.	Hippomenis	2.		XIII.
	4.		1.		XIV.
	1.	Leocratis	4.		XV.
	1.	Apsandri	2.		XVIII.
	1.	Eryxiae	4.		XX.
	10.		1.		XXIII.

Ergo Creon annuorum Archontum primus, iuxta Pausaniae hypothesim, imperasse debuit anno 1. & 2. Olympiadis XXIII. ideoque, si Tlesias Pausania ipso teste anno 4. Olymp. XXIII. Archon fuit, post annuos Archontes Athenis iam institutos dignitatem illam obtinuit. Atque in eiusmodi certe Archontum serie contexenda, digerendisque illorum temporibus Pausanias ipse ubique sibi mirifice consentit. Etenim de Messenici eiusdem belli I. fine, simulque de Ithomes direptione differens ait illam vigesimo belli anno, simulque 1. Olymp. XIV. contigisse, qui cum 4. Hippomenis anno exeunte coniungebatur περὶ δὲ τὸν ἐνιαυτὸν λήγοντα ἐξέλιπον τὴν Ἰθώμην, πολεμήσαντες ἔτη τὰ πάντα εἴκοσι . . . . . ὁ δὲ πόλεμος ἔτος ἔλαβεν τέλος ἔτει πρώτῳ τῆς τετάρτης καὶ δεκάτης ὀλυμπιάδος, ἣν Δάμων Κορίνθιος ἐνίκα στάδιον, Ἀθήνησι Μεδοντιδῶν τὴν ἀρχὴν ἔτι ἐχόντων τὴν δεκαετῆ, καὶ ἔτους Ἱππομένει τετάρτου τῆς ἀρχῆς ἠνυσμένου (1). *belli ejus anno vigesimo iam pene exacto Ithomen deseruere .... Finem habuit bellum hoc anno primo quartae & decimae Olympiadis, qua Damon Corinthius in stadio vicit; cum apud Athenienses Medontidae decennale adhuc imperium obtinerent, & Hippomeni quartus iam exactus esset imperii annus*. Si quartus Hippomenis Archontis annus cum 1. Olymp. XIV. concurrit, manifestissime inferri debet quod 1. Hippomenis ejusdem annus cum 2.

B Olym-

(1) Messen. c. 16.

Olymp. XIII. coniungatur, ut in superiori serie conspicitur. Denique Pausanias asserit Tlesiam Archontem Athenis fuisse XXXIX. post Ithomes excidium anno, qui unus idemque fuerit ac quartus Olymp. XXIII. : ac certe, si ab anno 1. Olymp. XIV. quo Ithomen direptam fuisse iam dixerat, XXXIX. anni numerentur, illorum ultimus, adeoque Tlesiae Archontis annus, cum 4. Olymp. XXIII. accuratissime coniungetur; quo iuxta Pausaniae calculum Archontes annuos iam constitutos esse demonstravi, ut nihil proinde in Pausaniae textu mutari possit

VII. Quod si illustris ille Pausaniae locus temere a Meursio tentatus fuit, ut perspicuis argumentis illis ostendi, non multo sane feliciorem in altero Pausaniae textu corrigendo Dodvellum esse conspicio. Ille nimirum, cum in Oxoniensi Marmore Creontem ad annum primum Olymp. XXIV. referri vidisset, ac Lysiam, quem Dodvellus ipse unum, eundemque fore putavit, qui Tlesias hic a Pausania vocatur, in anno 3. eiusdem Olympiadis ab ipso Marmore collocari, optime intellexit Pausaniae calculum integro quadriennii spatio a Marmoris epocha dissidere; neque aliter Pausaniae cum Marmore convenire posse putavit, quam si primus Hippomenis Archontis annus, qui iuxta Pausaniam cum anno 1., & 2. Olymp. XIII. coniungitur, ad annum 1. Olymp. XIV. iuxta Marmoris hypothesim referatur; ut proinde annus ille 1. Olymp. XIV. qui nunc in Pausaniae textu 4. Hippomenis esse dicitur, 1. Hippomenis eiusdem annus existimetur. Itaque, ut Pausanias ipse cum Marmore concilietur, ita superiora Pausaniae verba Dodvellus corrigenda fore contendit, ut pro ἔτει πρώτῳ τῆς τεταρτης καὶ δεκάτης ὀλυμπιάδος... καὶ ἔτȢς Ἱππομένει τετάρτȢ τῆς ἀρχῆς ἠνυσμένȢ *anno primo decimae quartae Olympiadis . . . . . & Hippomeni quartus iam exactus esset imperii annus*, rescribatur καὶ ἔτȢς Ἱππομένει τετάρτῳ τῆς ἀρχῆς ἠνυσμένȢ *& Hippomeni* Archontum *quarto iam exactus esset imperii annus*: quod nimirum Hippomenes in Archontum decennalium serie quarto loco imperaverit. Ac certe, si doctissimi viri coniectura admitti posset, ideoque Hippomenis principatus ex Pausaniae calculo anno 1. Olymp. XIV. incepisset, ultimus Eryxiae decennalis Archontis annus in quartum Olymp. XXIII. incideret, adeoque in definiendo Creontis anno Pausanias ipse cum Oxoniensi Marmore conspiraret. Tantum

ta-

tamen abest ut Dodvellus Pausaniae textum sanaverit, ut illum potius corruperit. Etenim, si non τετάρτου, sed τετάρτῳ in Pausaniae codice legeretur, perennis illa Archontum series, & accurata temporum distributio, quae constanter adeo, nitideque a Pausania exprimitur, perturbanda foret; ac Pausanias ipse non uno solum in loco, cui Dodvellus medicam manum admoverat, sed in pluribus etiam aliis corrigendus esset, ne sibi contrarius, & inconstans videretur; ut facile profecto intelliget quicumque superiora Pausaniae testimonia, Archontumque seriem ex Pausaniae hypothesi a me contextam inspexerit. Itaque, ut omnia verbo complectar, nec eximius ille Pausaniae locus emendari, nec ipsius opinio cum Scriptoribus aliis componi unquam poterit, ut Meursius, ac Dodvellus etiam existimavit; sed integri potius quadriennii, sive olympiadis dissidium inter Pausaniam, & Historicos alios admitti debet.

VIII. At neque solum in definienda Archontum annuorum origine Pausaniam a ceteris Scriptoribus omnibus dissidere, sed plurimum quoque deceptum esse putaverim, cum Creontis Archontis annus longe mihi verisimilius in annum secundum Olympiadis XXIV. conferendus esse videatur. Id innuere profecto conspicitur admirabilis ille consensus, qui inter Dionysium, Eusebium, & Oxoniense Marmor reperitur. Quamvis enim Creontis annus in Marmore ad annum 1. Olympiadis XXIV. referri videatur, cum tamen omnes fere vetustiores epochae in Marmore designatae uno semper anno antiquiores, vel posteriores esse consueverint annis illis, aut epochis, quae a ceteris Scriptoribus exprimuntur, annus ille, qui in Marmore 420. sive 1. Olymp. XXIV. esse dicitur, apud Scriptores alios 2. eiusdem Olympiadis esse debet: cumque Archonticus annus a Gamelione mense, Olympicus autem ab Hecatombaeone inciperet, ideoque inter utriusque anni principium sex omnino mensium discrimen intercederet, fieri fortasse potuit ut Creontis annus, qui certe Archonticus, & civilis erat, partim in 2. partim in 3. Olympiadis XXIV. incideret; ideoque Eusebius, Dionysius, ac Marmor ipsum in definiendo Creontis anno, sive Archontum annuorum origine mire conspirent.

IX. Explicata vero, seu definita annuorum Archontum institutione iam facile ipsorum numerus, varietas, ac nomina exponi possunt, cum Scriptores omnes in describendis illis una

veluti voce conſpirent [1]. Inſignem hic ſolum Pollucis locum exſcribam, quo accuratiſſimus Auctor ille Archontum numerum, ſimulque nomen paucis expreſſit: Ἀρχόντων Ἀθήνησιν ὀνόματα. οἱ ἐννέα Ἄρχοντες· εἰσι δὲ ὁ τȣ͂ ἐνιαυτȣ͂ ἐπώνυμος Ἄρχων, Βασιλεὺς, Πολέμαρχος, καὶ Θεσμοθέται ἕξ, ἐκ τȣ́των γὰρ οἱ ἐννέα Ἄρχοντες συμπληρȣ͂νται [2] *Archontum Athenienſium nomina. Novem Archontes. Sunt vero Archon annum denominans, Rex, Polemarchus, atque ſex Theſmothetae: hiſce enim novem Archontes illi complentur.* Haec ipſa quoque Archontum varietas, illorumque nomina a Suida [3], ceteriſque Scriptoribus omnibus accuratiſſime deſcribuntur; nihilque fere apud illos frequentius, quam novem Archontum, ſive Novemvirorum mentio, nobis occurrit. Ac eiuſmodi quidem Archontum numerum ſemper eundem, conſtantemque Athenis fuiſſe exinde quoque manifeſtiſſime inferri poteſt quod ſaepius illi ſimpliciter Ἐννέα *Novem*, ſive Novemviri vocabantur: unde Pauſanias Ἀθηναίοις τῶν καλȣμένων Ἐννέα ἐπώνυμος ἐςιν εἷς Ἄρχων [4] *apud Athenienſes ex iis, qui Novem vocantur, Archon unus Eponymus eſt.* Id vero non antiquioribus ſolum, ſed ſequioribus etiam temporibus obtinuiſſe perſpicue nobis oſtendit vetus Inſcriptio circa Olympiadem CXCVII. Athenis poſita, in qua Eponymus Archon, Rex, Polemarchus, ſexque Theſmothetae recenſentur, ut in X. Diſſertatione oſtendetur.

X. Neque ab eiuſmodi Scriptorum omnium opinione diſſidere putaverim Aelianum, quamvis ipſius locum ſummus Scaliger ſe non intelligere profiteatur, aliique doctiſſimi Viri fruſtra, ut opinor, tentaverint. Siquidem Scriptor ille, ut oſtenderet Athenienſes omnium maxime ad commutandos imperii ſtatus propenſos fuiſſe, aſſerit illos initio ſub Regibus, deinde ſub Medontidis, perpetuis nimirum, ac decennalibus Archontibus fuiſſe; mox tyrannidem ſub Piſiſtratidis expertos eſſe; tandemque ſubdit ἀριςοκρατίᾳ δὲ ἐχρήσαντο μέχρι τῶν Τετρακοσίων. εἶτα ὕςερον δέκα πολιτῶν καθ' ἕκαςον ἔτος ἦρχον τῆς πόλεος. τελευταῖον δὲ ἐγένετο ἀναρχία περὶ τὴν τῶν Τριάκοντα κατάςασιν [5] *Ariſtocratia uſi ſunt uſque ad Quadringentos; deinde ſingulis annis in poſterum decem ex civibus Rempublicam geſſerunt. Poſtremo, quum XXX. Tyranni conſtituerentur, coorta eſt confuſio, & ſine Magiſtratibus Reſpublica fuit.* Itaque Scaliger adnotavit *illud Aeliani*

(1) Sigon de Republ. Ath. lib. I. c. ult. et IV. c. 3. Meurſ. de Arch. Ath. I c. 9. (2) Lib. VIII. c. 9. ſeg. 85. (3) In Archon (4) Laconic. cap. 11. (5) Var. Hiſt. V. c. 13.

liani non intelligo; *nam* ἐννέα *erant*, *non* δέκα (1). Sed doctissimus, atque incomparabilis Auctor ille Aeliani sensum paullo fortasse obscuriorem, minusque accuratum assequutus non videtur. Aelianus enim non de Archontibus, sive de prima Archontum institutione, neque de veteri, constantique Magistratuum numero differit, qui singulis annis, pacatis imperii rebus, eligebantur; sed de illa solum imperii forma nunc loquitur, quae post Quadringentos obtinuit, antequam Athenis, ut inquit ille, XXX. Tyranni eligerentur, atque Respublica ad ἀναρχίαν delapsa Magistratibus omnibus careret. Atque in eo quidem fallitur Aelianus ipse quod X. Cives illos ante XXX. Tyrannos, & ἀναρχίαν electos esse, singulisque in posterum annis imperasse putavit; sed ex Atticis tamen Historicis omnibus aperte constat anno 1. Olymp. XCII. Quadringentos electos esse, iisdemque sublatis, Tyrannos XXX. anno 1. Olymp. XCIV. suffectos, cum 2. anno eiusdem Olympiadis Respublica ad ἀναρχίαν delapsa foret: decem denique Cives illos anno 4. Olympiadis ipsius constitutos, qui Reipublicae tranquillitati consulerent: quamvis tunc temporis, ac sub Quadringentis etiam, & Tyrannis veteres Archontes alii, sive Novemviri eligerentur. Itaque hic Aelianus non de veris Atheniensium Archontibus, ut minus accurate Scaliger, aliique plures existimarunt, sed de Civibus, ac Magistratibus aliis intelligi debet, quo Harpocration (2), Suidas, ac Scriptores alii δεκαδούχους vocarunt, ipsosque μετὰ τοὺς Τριάκοντα *post* XXX. Tyrannos imperasse diserte docent.

XI. Video quidem doctissimos Viros alias iniisse vias, ut perplexum illum Aeliani locum exponerent, ipsique lucem aliquam affunderent. Meursius enim non solum Aeliani verba mirifice luxata, atque ab imperito exscriptore transposita existimavit, verum etiam pro δέκα legendum esse putavit δὲ καὶ (3) Khunius arbitratur hic de Novemviris quidem agi, sed illos tamen non *novem*, sed rotundo potius numero, ut in historiis fieri amat, *decem* vocari; nisi fortasse pro δέκα *decem* ἐννέα *novem* rescribere quis velit, ut Simsonius, atque Valesius etiam tentaverant (4). Singulas tamen opiniones, & coniecturas illas uberrime, optimeque confutavit Perizonius, simulque nitide osten-

(1) Ad Euseb. Chr. num. 1433. (2) In Μολπὶς. (3) De Arch. Ath. Lib. III. c. 15. et de Fort. Ath. c. 10. (4) Ad Aelian. loc. cit.

oſtendit Aeliani locum de Novemviris intelligi non poſſe. At non multo ſane felicior Perizonius ipſe dum Quadringentos hic ab Aeliano memoratos non alios eſſe contendit quam Cives illos, qui a Solone quatuor in Tribus diſtributi fuerant; moxque, aucto Tribuum numero, Quingenti, ac denique Sexcenti evaſere, ut illorum proinde Curia primo Quadringentorum, mox Quingentorum, tandemque Sexcentorum Senatus diceretur; decem vero cives illos, qui poſt eiuſmodi Quadringentos Athenis imperarunt, non alios fuiſſe putat Perizonius quam Strategos, qui certe ſingulis annis decem numero Athenis eligebantur, ſupremumque, ut opinatur ille, in Athenienſi Republica imperium obtinebant, ut Populum convocare, leges atque decreta ferre ſubinde poſſent. Quae certe Perizonii ſententia, quamvis ab illo erudite, fuſeque expoſita fuerit, ab Aeliani tamen mente, nitidoque ſenſu maxime abhorret. Quis enim exiſtimet *Quadringentorum* nomine Curiam Olympiade XLVIII. conſtitutam ab Aeliano deſignari, cum ceteri Scriptores omnes eadem voce Magiſtratum Olympiade ſolum XCII. inſtitutum expreſſerint? Ad haec Aelianus ipſe prius tyrannidem ſub Piſistratidis fuiſſe memorat, deinde Ariſtocratiam uſque ad Quadringentos, ſub quibus democratici imperii formam incepiſſe dicit; ergo Quadringentos ipſos longe Piſistrati aetate, ſive Olymp. LIV. qua tyrannidem is occupavit, poſteriores eſſe ſupponit, adeoque Quadringentorum nomine Curiam Olymp. XLVIII. a Solone inſtitutam intelligere non potuit Aelianus; neque Ariſtocratiae tempus Olympiade XLVIII. cum Perizonio circumſcribi poterit, cum Aelianus ipſam poſt Piſiſtratidarum tyrannidem memoraverit. In eo quoque Perizonium ipſum falli putaverim quod X. Strategos Quadringentis illis a Solone inſtitutis ſucceſſiſſe putaverit, ipſoſque ſupremam in Athenienſi Republica poteſtatem obtinuiſſe dixerit. Etenim, ut in Diſſertatione V. oportunius oſtendam, ſuprema autoritas illa convocandi Populi, legumque ferendarum nunquam Strategis conceſſa fuit; nihilque ex Demoſthenis, Epicteti, & Plutarchi loco, cui Perizonius innititur, inferri poteſt. Itaque ſic ſtatuo ſemper errorem aliquem, temporumve perturbationem in ſuperiori Aeliani loco agnoſcendam eſſe, quod Perizonius negaverat; commodioremque ſenſum alium ex Aeliani teſtimonio exſculpi non poſ-

poſſe, quam qui hactenus eſt a me expoſitus, atque a Mauſaco [1] quoque indicatus eſſe conſpicitur.

XII. Sed, ut ad Archontes ipſos, ſive Novemviros revertar, illos ἐξ εὐπατριδῶν, ſive *patriciis*, primoribuſque Civibus electos eſſe ex ſuperiori Euſebii loco, aliiſque Scriptoribus omnibus erudimur [2]. Ex ſpectatiſſimis etiam, ditioribuſque Athenienſibus eligebantur; atque inter cetera, quae in Candidatis explorari conſueverant, illud etiam a Polluce memoratur εἰ τὸ τίμημά ἐςιν ἀυτοῖς; [3] *num cenſum habeant?* unde Plutarchus obſervat Ariſtidem ideo locupletem a pluribus exiſtimatum quod ille Archontis munere perfunctus fuerit: καὶ τεκμήρια τῆς περὶ τὸν οἶκον εὐπορίας ἓν μὲν ἡγεῖται τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν, ἣν ἦρξε τῷ κυάμῳ λαχὼν, ἐκ τῶν γενῶν τῶν τὰ μέγιςα κεκτεμένων, ὃς πεντακοσιομεδίμνυς προσηγόρευον [4] *ſignum autem lauti patrimonii eius unum arbitratur Magiſtratum, a quo annus nomen trahit, quem geſſit faba ſortitus inter eas familias, quae in magno cenſu ſunt, quas Pentacoſiomedimnos vocabant quod quingentos modios haberent in cenſu.* Reprimendae tamen divitum ſuperbiae, democraticoque regimini confirmando Ariſtides ipſe γέγραφε ψήφισμα κοινὴν εἶναι τὴν πολιτεῖαν, καὶ τὺς Α᾽ρχοντας ἐξ Α᾽θηναίων πάντων αἱρεῖϑαι [5] *rogationem tulit ut Reſpublica omnibus propoſita eſſet, & Archontes ex univerſo Populo crearentur.* Sed hoc Ariſtidis decretum non diu ſervatum eſſe putaverim, cum aequabilis illa democratiae forma raro Athenis floruiſſe videatur.

XIII. Illud tamen ſeverius obſervatum eſſe conſpicimus ut Archontes omnes ex indigenis, antiquiſque civibus eligerentur; ideoque, Polluce teſte, de ipſorum ſingulis inquirebatur εἰ Α᾽θηναῖοι εἰσιν ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας; [6] *num ex utroque parente Athenienſes ſint a tertia uſque generatione?* atque Demoſthenes etiam diſerte docet exteros omnes, qui Athenienſi civitate donati fuerint, ab Archontis munere arcendos eſſe μὴ ἐξεῖναι ἀυτοῖς τῶν ἐννέα Α᾽ρχόντων γενέϑαι [7] *non licere eis ex novem Archontibus eſſe.* Hinc illa Novemvirorum dignitas, eiuſque gerendae ſpes ipſis quoque Plataeenſibus adempta fuit, quamvis illi de Athenienſi Populo Marathoniae pugnae tempore praeclare meriti in Athenienſem civitatem, eiuſque Tribus, ac Populos cooptati ceteris omnibus indigenarum civium honoribus fruerentur; ipſorum-

(1) In Harpocr. (2) Demoſth. in Neaer. (3) Lib. VIII. c. 9. ſeg. 86. (4) In Ariſtide (5) Plutar. ibi (6) Loc. cit. ſeg. 85. (7) Orat. in Neaeram.

rumque posteri eodem ipso civitatis iure uti possent, dummodo se a Plataeensibus illis, qui iam civitate donati, lapideaeque columnae inscripti fuerant, procreatos ostenderent. Haec certe singula in Decreto de Plataeensibus honorandis edito nitide memorantur, quod Demosthenes ipse nobis conservavit: Πλαταιέας εἶναι Ἀθηναίους ἀπὸ τῆς δε τῆς ἡμέρας, ἐντίμους, καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι. καὶ μετεῖναι αὐτοῖς, ὧνπερ Ἀθηναίοις μέτεστι, πάντων καὶ ἱερῶν, καὶ ὁσίων. πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη, ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους, μηδὲ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων. κατανεῖμαι δὲ τοὺς Πλαταιέας εἰς τοὺς δήμους, καὶ τὰς φυλάς: .... τοὺς δοκιμασθέντας ἀναγραφῆναι ἐν στήλῃ λιθίνῃ... ἵνα σώζεται ἡ δωρεὰ τοῖς ἐπιγιγνομένοις ... τοῦ μὴ πολλοὺς φάσκοντας Πλαταιέας εἶναι κατασκευάζειν αὐτοῖς πολιτείαν (1) .. *Plataeenses ab hac die Athenienses* cives *esse*, *honoratos ut Athenienses alii*, *& ius habere eos*, *quorum Athenienses ius habent*, *omnium*, *& sacrorum*, *& religionum: praeterquam si quod sacrificium, aut festum est gentilitium*, *exceptis item Novemviris* ... *eos*, *qui probati fuerint* Plataeenses, *lapideae pilae inscribi*... *ut beneficium id etiam posteris permaneat* ... *ut ne multi se Plataeenses esse dictitantes fraude in civitatem irreperent*.

XIV. Eiusmodi vero decretum integrum fere nunc mihi exscripsisse libuit non solum ut illustrius adhuc ostenderem quanto olim in pretio suprema haec Athenis Novemvirorum dignitas haberetur; verum etiam ut subobscurum quendam Lysiae locum exponerem, quem Meursius certe cum minime assequeretur, Lysiae textum pluribus in locis depravatum, adeoque corrigendum esse putavit. Elegantissimus Rhetor ille in Oratione, quae inscribitur κατὰ Παγκλέωνος ὅτι οὐκ ἦν Πλαταιεύς *adversus Pancleonem quod Plataeensis non sit*, asserit Pancleonem istum veluti μέτοικον, aut *inquilinum* ad Polemarchi tribunal citatum esse; ipsumque se non inquilinum, sed Atheniensem potius civem esse respondisse quod Plataeensis nimirum foret, atque Deceliae Atticae Populo inscriptus: εἶπε δὲ ὅτι Πλαταιεὺς εἴη ... ἀπεκρίνατο ὅτι Δεκελειόθεν. Hic insigne, perspicuumque mendum irrepsisse putat Meursius: *Attende*, inquit, *sodes*. *Negans Pancleon inquilinum se se esse*, *Plataeensem dictitabat*. *Quid absurdius*, *quaeso*, *potest? ut se Atticum esse probet*, *non inquilinum*, *Plataeensem Boeotum dicit*. *Quis non videt mendum? Certe Plotheensem sese dicere voluit; sic postea Decelensem dicit* (2). Itaque Meur-

(1) Loc. cit. vid. Schol. Aristoph. ad Ranas. (2) Lect. Attic. Lib. III. c. 29. & 30.

Meursius hic, alibique saepius ubi nomen illud in Oratione occurrit, *sine dubio rescribendum* asserit *Plotheam*, ac *Plotheensem*. Ego vero, doctissimi Viri pace, nihil in Lysiae textu peccatum, nihilque mutandum esse contendo. Optimo nimirum, maximoque iure Pancleon ille se non inquilinum, sed Atheniensem civem asserere, ac demostrare etiam potuit, dum se Plataeensem esse respondit, quippecum Plataeenses omnes, ut antea dixi, Atheniensium indigenarum instar, Atheniensis civitatis iure fruerentur, eodemque etiam iure Pancleon in Decelensem Atticae Populum cooptatus esset. Quod vero ad Meursii coniecturam, & emendationem attinet, illa ab universae Orationis contextu, Lysiaeque sensu maxime abhorret. Quid enim Lysias integram Orationem illam conscripsisset, ut argumentis, pluribusque testimoniis ostenderet ὅτι ὐκ ἦν Πλωθιεὺς ὁ Παγκλέων, ut hic rescribendum esse dicit Meursius, *quod Pancleon Plotheensis non sit*, si Pancleon ipse se non Plotheensem, sed Decelensem esse iam dixerat? Quid Orator ad Hippothoontidem Tribum provocasset, ut Pancleonem nunquam in illa adscriptum demonstraret, cum Plotheenses non ad Hippothoontidem certe, ut Decelenses, sed ad Aegeidem Tribum spectaverint? Denique, ut in re perspicua argumenta cetera omittam, asserit Orator, trigesima mensis die, qua Plataeenses omnes ad χλωρὸν τυρὸν, locum nempe, ubi tener, recensque caseus venibat, convenerant, illorum singulos interrogatos esse εἴ τινα γιγνώσκοιεν Παγκλέωνα πολίτην σφέτερον; *num Pancleonem quendam ipsorum civem agnoscerent*? Quis hic aperte non videat, non de Attici Pagi *popularibus*, sed de Urbis alicuius *civibus* hic agi? ut proinde Meursius, qui hic quoque *Plotheenses* rescribendum esse putavit, ex tenui Atticae Pago Urbem fecerit, eiusque Pagi *populares* nova, atque incognita phrasi Plotheenses *cives* vocaverit. Itaque nullus hic dubito quin Lysiae textus omnino sincerus haberi debeat; simulque eximio Oratoris huius testimonio ostendi possit Atheniensis civitatis iura Plataeensibus omnibus concessa fuisse; quamvis illi inter Novemviros cooptari certe non possent, aliorumque exterorum instar ab eiusmodi dignitate arcerentur. Sed haec ipsa quoque severitas, atque religio, qua exteri, adscitique cives a supremo Archontis munere prohibebantur, posterioribus certe seculis sublata fuit; cum Archontum plurimi Athenis imperaverint, qui, quamvis semper in

Atticae Populos, vel Athenienſem Urbem adſciti fuerint, Athenienſes tamen cives ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας fuiſſe non videntur, ut in Diſſertatione X. oportunius oſtendetur.

XV. Ceterum Cives illi, qui δοκιμασθέντες ſive *probati* fuerant, obeundoque Archontis muneri pares inventi, fabarum deinde ſuffragio, ſive uno ſortis arbitrio Novemviri, vel Archontes eligebantur. Hinc Lucianus aſſerit Ἀθηναίοισι νόμος κυάμοισι τὰς ἀρχὰς αἱρέεσθαι (1), *Athenienſibus lex* erat *fabis Magiſtratus eligi*; atque in Heliaſtarum Iudicum iureiurando legitur καὶ ὅσοι μετὰ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων κυαμεύονται (2) *& quicumque cum novem Archontibus faba eliguntur*: quod pluribus etiam teſtimoniis, & exemplis aliis facile oſtendi poſſet, quorum aliquot oportunius in Diſſertatione V. proferentur. Ariſtidem tamen non ſorte, ſed, eximiae virtutis ergo, Populi voce, ſive ſuffragiis electum eſſe ex Idomeneo refert Plutarchus: καὶ μὴν ἄρξαι γε τὸν Ἀριστείδην ὁ Ἰδομενεὺς οὐ κυαμευτὸν, ἀλλ' ἑλομένων Ἀθηναίων φησίν (3) *Ariſtidem Idomeneus non ſorte, ſed ſuffragiis creatum ab Athenienſibus Archontem dicit*. Sed, ut opinor, Idomeneus iſte deceptus eſt, plurimoſque alios in errorem abripuit. Siquidem Ariſtides ſemel ſolum Archontis Eponymi dignitatem obtinuit, ut, contra Meurſium, alioſque Faſtorum Scriptores alibi oſtendam (4); tumque τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν τῷ κυάμῳ λαχὼν *Eponymi dignitatem faba ſortitus*, aliorumque omnium inſtar, ſuſcepit, ut Plutarchus ipſe iam dixerat; ideoque, ſi vere Populi ſuffragiis electus aliquando imperavit, id ad Novemviri, vel Archontis Eponymi dignitatem referri non poteſt. Sequioribus tamen temporibus illis, quibus Athenienſis Reſpublica Romanorum imperio ſubeſſe coepit, Archontes omnes non ſorte, neque liberis Populi ſuffragiis; ſed Caeſarum potius, aut Proconſulum arbitrio electi videntur. Certe Plutarchus ipſe cum Periclem nunquam Archontem, vel Regem, vel Polemarchum, vel Theſmothetam ſorte electum fuiſſe dixiſſet, repente ſubdit αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ κληρωταὶ ἦσαν ἐκ παλαιοῦ (5) *hi enim magiſtratus ſortito antiquitus creabantur*; ideoque nitide oſtendit Plutarchi ipſius aetate dignitates, ac magiſtratus illos non amplius κληρωτοὺς fuiſſe. Quandoquidem vero ſortis arbitrio Novemvirorum electio commiſſa fuerat, mirari certe non poſſumus ſi non ex ſingulis Athe-

(1) In Vit. Auct. (2) Demoſth. in Timocr. (3) In Ariſtid. (4) Differt. VII. (5) In Pericle.

thenienſium Tribubus, plurium aliorum Magiſtratuum inſtar, electi illi fuerint; ſed aliquando plures ex una eademque Tribu imperaverint, cuius illuſtre exemplum ex veteri Inſcriptione Diſſertatione X. ego proferam.

XVI. Qua vero ratione, quibuſque ritibus ſolemnis illa Novemvirorum electio fieret, definiri vix poteſt, cum Veteres hac in parte nihil propemodum diſerte nobis expreſſerint; ut coniecturis proinde ſolum locus ſuperſit, quas omnium primus de Prytanum, Tribuumque ſortitione diſſerens Sigonius expoſuit[1]. Ac aereas quidem lamellas quasdam, quae πινάκια, vel χαλκεῖα vocabantur, in Theſmothetarum, adeoque Novemvirorum omnium ſortitione adhiberi conſueviſſe ex Demoſthenis loco facile deduci poteſt, quem hic exſcripſiſſe iuverit, ut Interpretum quorumdam error oſtendatur, ſimulque Harpocrationis locus defendatur. Mantitheus quidam Mantiae filius civem alium accuſat, quod ipſe quoque Mantitheus Mantiae filius vocari vellet; atque, ut oſtenderet ex eiuſmodi nominis ſimilitudine plurimas ſubinde fraudes, & incommoda oriri poſſe, ſic ait ἐὰν δ' ἀρχὴν ἥντινȣν ἡ πόλις κληροῖ, οἷον βȣλῆς, Θεσμοθέτȣ, τῶν ἄλλων, τῷ δῆλος ὁ λαχὼν ἡμῶν ἔςαι; πλὴν εἰ μὴ σημεῖον ὥσπερ ἄλλῳ τινὶ τῷ χαλκείῳ προσέςαι; quae clariſſimus Volfius latine ſic reddidit: *Si publice de quocumque Magiſtratu fiat ſortitio, ut de Senatu, Sexviratu, reliquis, qui diſcernetur, uter noſtrum ſit creatus, niſi forte nota ut altero cuipiam aereo vaſi adiiciatur?* At nullus aereo vaſi locus hic eſſe poteſt, vertendumque omnino fuerat, *niſi forte nota* quaedam *tanquam alteri cuidam diſtinctaeque aereae laminae adiiciatur*; ne ſcilicet alioquin unus, idemque Civis duabus teſſeris uti videretur, ut deinde ſubdit Orator τὸ δυοῖν πινακίοιν τὸν ἕνα κληρȣ͂σθαι τί ἄλλο ἐςίν; ἐφ' ᾧ θάνατον ζημίαν ὁ νόμος λέγει *unum duabus ſortiri tabellis quid eſt aliud? quod legibus extremo ſupplicio mulctatur.* Eiuſmodi vero Demoſthenis ſenſum, vel Athenienſium morem nitide, ut opinor, expreſſit Harpocration, & qui Harpocrationis verba prorſus exſcripſit, Suidas πινάκια τὰ καθιέμενα ἀντὶ κλήρων ὑπὸ τῶν κληρονόμων. ἔοικε δὲ ταῦτα εἶναι χαλκᾶ, ὡς ὑποσημαίνει Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ ὀνόματος, *tabellae, quae haereditatum loco ab haeredibus demittuntur; hae vero videntur eſſe aereae, ut ſubindicat Demoſthenes in Oratione de Nomine.* Meurſius tamen hic Harpocrationem de-

 ceptum

(1) De Rep. Ath. II. c. 3.

ceptum esse putavit [1], superioremque Demosthenis locum ex Hesychio potius explicandum esse contendit, qui tesseras illas ab haeredibus adhibitas buxeas esse testatur *χαλκοῦν. πινάκιον. Ἀθηναῖοι εἶχον ἕκαστος πινάκιον πύξινον ἐπιγεγραμμένον τὸ ὄνομα τοῦ αὐτοῦ, καὶ τοῦ δήμου πατρόθεν. Aeneum. Tabula. Athenienses singuli habebant tabulam buxeam inscriptam nomine ipsius, & Populi, quod a patre habebant*. Sed fieri fortasse potuit, ut buxeae, vel aereae promiscue illae forent, ut optime proinde Hesychius *χαλκοῦν, πινάκιον, πινάκιον πύξινον*, veluti synonyma, expresserit. Id vero Meursium, Portumque Suidae interpretem fefellit, quod in superiori Demosthenis, & Harpocrationis etiam loco de haeredibus, illorumque tesseris agi putarunt; perspicue siquidem ibi de sortibus, atque tesseris illis agi conspicitur, quae in publicis Magistratuum sortitionibus adhibebantur, ideoque Harpocrationis, Suidaeque locus ita latine reddendus fuerat: *tabellae, quae pro sortibus ab iis, qui sortito eligendi fuerant, deponebantur*; sicque Harpocration optime cum Demosthene, atque Hesychio conspirabit, secus ac Meursius existimaverat; cum praesertim eaedem illae tesserae, quae ab haeredibus acceptae fuerant, in publicis etiam sortitionibus adhiberi potuerint. Praeter eiusmodi tesseras fabas etiam, aut calculos in publicis illis Magistratuum omnium sortitionibus adhiberi consuevisse iam diximus, eosque primum partim solidos, partim perforatos, deinde vero partim albos, partimque nigros fuisse constat. Hinc Ulpianus *κύαμον ἐκάλουν τὸν κλῆρον αὐτὸν, καὶ τὴν ψῆφον τοῦ λαμβάνειν αὐτοὺς ἐπὶ τὸ ἄρχειν. ἦσαν δὲ αὗται ποτὲ μὲν τετρυπημέναι, καὶ ἄτρυποι, ποτὲ δὲ μέλαναι, καὶ λευκαι* [2] *Fabam vocabant sortem ipsam, & calculum, quo ipsi ad Magistratus eligebantur; erant autem aliquando quidem perforati, & integri; aliquando vero nigri, & albi*. Itaque cum tesserae Civium nominibus insignitae, simulque discolores calculi, vel fabae adhiberi consueverint, ita sortitio peragi fortasse debuit, ut in urna quadam Civium omnium nomina, qui obeundo Archontis muneri pares, atque etiam fortasse prius *δοκιμασθέντες*, sive *probati* fuerant, immitterentur; in alia vero totidem numero fabae, quarum 9. solum albae forent, ceteraeque omnes nigrae; cumque ex urna prima nomen aliquod, simulque ex altera faba quaedam educeretur, civis ille,

(1) Lect. Attic. IV. c. 32. (2) In Orat. adv. Timocr.

ille, cuius nomen simul cum alba faba prodiisset, Archon Eponymus esse deberet, alter deinde Rex, sicque deinceps, donec Novemviri omnes electi forent: idemque sortitionis ordo, ac ritus in ceteris etiam sortitionibus obtinuisse videtur, de quibus Dissertatione V. oportunius agendum erit.

XVII. Quod autem ad Urbis locum attinet, in quo Novemviri eligebantur, dubitari certe non poterit, quin Comitia illa in Pnyce haberi consueverint, ut nitide testatur Pollux. ἐνεκκλησίαζον δὲ πάλαι μὲν ἐν τῇ Πνυκί. Πνὺξ δὲ ἦν χωρίον πρὸς τὴν Ἀκρόπολιν . . . . αὖθις δὲ τὰ μὲν ἄλλα ἐν τῷ Διονυσιακῷ θεάτρῳ, μόνας δὲ τὰς ἀρχαιρεσίας ἐν τῇ Πνυκὶ, ἀφ' ἧς τὸν τοῦ δήμου θόρυβον πνυκίτην φασὶν οἱ Κωμικοί [1] *Conciones autem olim in Pnyce celebrabant* Athenienses. *Pnyx vero locus erat iuxta Acropolim . . . . deinde autem alias quidem in Bacchi theatro; sola vero Comitia in Pnyce: unde Populi tumultum Comici Pnycitem vocant*. Eiusmodi vero Urbis locus, qui Comitiis habendis a primis usque temporibus delectus fuerat, constanter adeo servatus fuit, ut cum sublatis annuis Archontibus Strategi supremum Athenis imperium occuparunt, ipsi quoque in Pnyce designari consueverint, ut ab Hesychio erudimur: Πνὺξ τόπος Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ αἱ ἐκκλησίαι ἤγοντο πάλαι μὲν πᾶσαι, νυνὶ δὲ ἅπαξ ὅταν Στρατηγὸν χειροτονῶσιν [2] *Pnyx locus Athenis, in quo Conciones fiebant antiquitus quidem omnes; nunc vero semel, quando* nimirum *Strategum eligunt*. Hinc locus ille Pnycis nomen obtinuit non παρὰ τὸ πυκνὸν τῶν πάλαι συνῳκισμένων οἰκιῶν *a densis domibus, quae illic olim aedificatae fuerunt*, ut Stephanus & Harpocration existimarunt [3], sed a maxima potius confluentium hominum densitate; quod universa nempe Civium turba Comitiis habendis in ipsam torrentis instar conflueret, ibique humeris densa consisteret, ut Aristophanis Scholiastes [4], & Suidas etiam exposuit: παρὰ τὴν τῶν λίθων πυκνότητα, ἢ ἀπὸ τοῦ πυκνοῦσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ [5] *a lapidum, vel sedium densitate, vel a verbo* πυκνοῦσθαι, *idest densari quod homines in illa Concionis habendae causa densarentur*. Hinc Venus illa, cuius statua in *foro veteri* τῇ ἀρχαίᾳ ἀγορᾷ Athenis erecta fuerat, Πάνδημος vocabatur διὰ τὸ ἐνταῦθα πάντα τὸν δῆμον συνάγεσθαι τὸ παλαιὸν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἃς ἐκάλουν ἀγοράς. [6] *propterea quod ibi Populus omnis*

(1) Lib. VIII. c. 10. seg. 133. (2) In Pnyx. (3) In Pnyx. (4) Ad Equit. (5) Suid ibi. (6) Harpocr. in Pandemos.

omnis cogeretur antiquitus in concionibus, quas ἀγορὰς *appellabant*.

XVIII. Quandoquidem vero Pnycis, simulque Aristophanis mentio nunc incidit, qui Pnycem ipsam, Populique in illa conventum accuratissime variis in locis expressit, quid prohibet quin coniecturam quandam, quae illustrando Aristophanis loco mihi iampridem affulserat, hic proferam, simulque insignem Meursii errorem ostendam? Vehemens, & acer Comicus ille Atheniensem Populum exagitare, simulque docere cupiens, qui Cleoni iniquissimo peculatori, omniumque civium oppressori summam potestatem concesserat, Niciam, atque Demosthenem praeclaros Atheniensium Duces veluti cuiusdam Δήμου Πυκνίτου servos inducit, qui de Cleonis huius conservi vafritie, fraudibus, & avaritia conquerantur; tandemque Cleone, sive, ut appellat ipse, *Paphlagone* sublato Δῆμον in libertatem asserant. Itaque Drammatis initio Demosthenes ipse servi personam assumens sic Niciam alloquitur.

Λέγοιμ᾽ ἂν ἤδη. νῷν γάρ ἐστι δεσπότης
Ἄγροικος ὀργὴν, κυαμότρωξ, ἀκράχολος,
Δῆμος Πυκνίτης, δύσκολον γερόντιον [1].

Dicam igitur iam, nobis enim est herus
Agrestis ira, fabarum esor, biliosus,
Demus Pnycites, difficile senium

Doctissimus ergo Meursius [2] hic Friscelinum Aristophanis Interpretem vituperat, qui Δῆμος Πυκνίτης latine reddiderat *Vir Tribu Pnycensis*; cumque Δῆμος Atheniensis cuiusdam civis nomen hic esse velit, vertendum esse contendit *Demos Pnycites*, Pnycemque ipsam veluti peculiarem quendam Atticae Pagum ceteris Atticae Populis adiungit, ac mirifice deceptus ipse Sponium, Potterum, aliosque plures pone sequentes in eundem errorem abripuit. At certe nihil illustrius esse unquam poterit, si modo Comici intentio, atque universa Drammatis series observetur, quam superiora Comici verba non de civium aliquo, sed allegorice potius, ut ab ipso quoque Aristophanis Scholiaste observatum esse conspicio, de universo Populo intelligenda fore, quem graphice hic Aristophanes eadem fere ratione descripsit, qua *Parrhasius* Δῆμον *Atheniensem pinxisse dicitur argumento ingenioso: volebat namque varium, iracundum, iniustum, inconstan-*

(1) Equit. ver. 41. (2) Pop. Attic. in Pnyx.

ſtantem, eundem exorabilem, clementem, miſericordem, glorioſum, humilem, ferocem, fugacem, & omnia pariter oſtendere [1]: quemadmodum a Lyſone quoque, & Leocrate Athenienſem Δῆμον expreſſum eſſe didicimus [2]: quae certe non de civium aliquo, ſed de univerſo demum Populo intelligenda fore conſpicimus. Itaque Pnyx illa ex Atticae Populis expungi debet; cum praeſertim Stephanus, Harpocration, Suidas, aliique plures, qui Pnycem ſaepiſſime memorarunt, nullibi Pnycem ipſam Atticae Populum fuiſſe dixerint; nullibi civis ullus Pnycites apud Scriptores occurrat; Pnyx denique in Acropoli, vel intra Urbem reperiretur, omnes vero Atticae Populi extra Urbis maenia per Atticae regionem diſperſi forent. Ea vero de cauſa Athenienſis Populus hic *Pnycites* vocatur quod ille in Pnyce frequentior adeſſe, ibi Comitia, & Conciones habere, fabarumque ſuffragio Magiſtratus eligere, atque de publicis rebus decernere ſoleret; unde etiam fortaſſe *fabarum eſor* ab Ariſtophane lepide, ſalſeque appellari videtur.

XIX. Ubi vero Novemviri, vel Archontes omnes in Pnyce electi iam fuerant, ſolemne iuſiurandum praeſtare conſueverant, ut Pollux teſtatur *ὤμνυον δὲ ἔτοι πρὸς τῇ βασιλείῳ ςοᾷ, ἢ ἐπὶ τῷ λίθῳ, ἐφ᾽ ᾧ τε συμφυλάξειν τοὺς νόμους, καὶ μὴ δωροδοκήσειν, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτίσαι* [3] *hi vero iurabant apud Porticum regiam, vel apud lapidem * * * ſe leges obſervaturos, & munera non ſumpturos, aut auream perſoluturos ſtatuam*: qui certe mos totidem fere verbis exprimitur ab Heraclide [4], & clarius etiam in Platonico Phaedro conſpicitur: *καὶ σοὶ ἐγὼ, ὥσπερ οἱ ἐννέα Ἄρχοντες, ὑπισχνοῦμαι χρυσῆν εἴκονα ἰσομέτρητον εἰς Δέλφους ἀναθήσειν ac tibi ego, ſicut novem Archontes, polliceor auream imaginem aequalis menſurae ad Delphos poſiturum*. Id vero a Solone inſtitutum eſſe perſpicue docet Plutarchus, cuius teſtimonio ſuperiora Pollucis verba illuſtrantur: *ὤμνυεν ἕκαςος τῶν Θεσμοθέτων ἐν ἀγορᾷ πρὸς τῷ λίθῳ καταφατίζων εἴτι παραβαίη τῶν θεσμῶν, ἀνδριάντα χρυσοῦν ἰσομέτρητον ἀναθήσειν ἐν Δελφοῖς* [5] *ſinguli Theſmothetae in foro iuxta lapidem iurabant, ſi quam violaſſent legem, auream ſtatuam paris ſibi ponderis Delphis ipſos dedicaturos*. Neque in regia ſolum porticu, vel in foro iuſiurandum illud a Novemviris praeſtabatur; ſed mox Acropolim ſubeuntes

(1) Plin. Nat. Hiſt. XXXV. c. 10. (2) Pauſan. in Attic. c. 1. & 3. (3) Loc. cit. ſeg. 86. (4) De Politiis (5) In Solone.

tes illud idem iterum concipiebant Polluce teſte : εἶτα ἐντεῦθεν εἰς Ἀκρόπολιν ἀνελθόντες ὤμνυον ταῦτα *mox inde in Acropolim aſcendentes eadem ipſa iurabant*.

XX. Ea vero de cauſa, ut opinor, iuſiurandum illud tum in regia porticu, tum in Acropoli praeſtari ſolebat quod leges ipſae prius in Acropoli deinde in regia Porticu, foro, vel Prytaneio ſervarentur : ἀπέκειντο δὲ οἵτε κύρβεις, καὶ οἱ ἄξονες ἐν Ἀκροπόλει πάλαι : αὖθις δὲ ἵνα πᾶσιν ἐξῇ ἐντυγχάνειν εἰς τὸ πρυτανεῖον, καὶ τὴν ἀγορὰν μετεκομίσθησαν (1) *Axones autem, & cyrbes olim in Acropoli reſervabantur; poſtea vero, ut omnibus horum copia fieret, in Prytaneum delatae ſunt* : idque ab Ephialte Periclis ſocio (2) factum eſſe teſtatur Harpocration (3), qui non Archontes ſolum, ſed cives etiam omnes prope lapidem, vel aram quandam iurare conſueviſſe ex Ariſtotele, Demoſthene, Philochoro diſerte docet ἐοίκασι Ἀθηναῖοι πρός τινι λίθῳ τοὺς ὅρκους ποιεῖσθαι (4) *conſueverunt Athenienſes ad lapidem quendam iurare*. Quo certe loco non video qui doctiſſimo Iungermanno Schotti obſervatio, vel emendatio probari potuerit, qui luxatum illum Pollucis textum ita legendum eſſe putavit ἐπὶ τοῦ λίθου, ὑφ' ᾧ τὰ ταμεῖα, φυλάξειν τοὺς νόμους . . *ad lapidem, ſub quo pecuniae ſervabantur, cuſtodire leges*, Quis enim exiſtimet ſubter hunc lapidem, vel, ſi mavis, aram ταμεῖα ſervata fuiſſe; cum praeſertim lapis ille ἐν τῇ ἀγορᾷ *in foro* reperiretur, publicae vero pecuniae, ſive ταμεῖα, ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Ἀκροπόλει *in Templo Palladis in arce* ſervata fuerint, ut Suidas, aliique plurimi perſpicue docent, atque in Diſſertatione V. oſtendetur. Itaque perplexus ille, mutiluſque Pollucis locus, quem Meurſius ipſe hiulcum reliquit, ita fortaſſe reſtitui, ſanarique poterit ſi non ἐπὶ τοῦ λίθου, ἐφ' ᾧ τε συμφυλάξειν τοὺς νόμους legatur, ſed ἐπὶ τοῦ λίθου, ἐφ' ᾧ εἰσὶ, φυλάξειν τοὺς νόμους, *ſuper lapidem in quo ſunt, cuſtodire leges*; ut nimirum Pollucis ſenſus ſit Novemviros legum cuſtodiam ad lapidem illum iureiurando polliceri, in quo leges ipſae vel inſcriptae, vel repoſitae, vel ſolemnis eiuſmodi ritus tempore collocatae fuerant.

XXI. Suſcepto Archontis munere Novemviri myrto, vel hedera coronari conſueverant, ut obſervavit Meurſius (5). Heſy-

(1) Pollux lib. VIII. c. 10. ſeg. 128. (2) In Axones, & Cyrbes. (3) Vid. Plut. in Pericl. & in Praec. ger. Reip. & Diod. XI. c. . . (4) In Lithos vid. Meurſ. Lect. Attic. I. c. 6. et Heſych. in Lithomotai. (5) Lect. Attic. VI. c. 6.

ſychius [1] tamen, Suidas [2], & Pollux [3] ſolum myrtum commemorant: Μυῤῥίνῃ δὲ, inquit Pollux, ἐστεφανοῦντο *myrto vero coronabantur*; quemadmodum Ariſtophanis Scholiaſtes ex Apollodoro teſtatur τοὺς Θεσμοθέτας διὰ τῆς μυρσίνης στεφέσθαι ὅτι οἰκείως ἔχει πρὸς τὸν στέφανον ἡ Θεός *Theſmothetas myrto coronari, quod corona illa Deae familiaris, & amica ſit*: quae de Venere intelligenda putavit Valeſius [4], mihique de Pallade potius, aut Cerere explicanda videntur. Alciphron tamen a Meurſio laudatus Theſmothetas ipſos hedera coronari conſueviſſe teſtatur. Nam in Epiſtola Menandri ad Glyceram ait ποῦ δὲ ὄψομαι Θεσμοθέτας ἐν ταῖς ἱεραῖς κώμαις κεκισσομένους; *ubi videbo Theſmothetas in Sacris hedera coronatos?* Sed facile Alciphronem cum Scriptoribus aliis conciliari poſſe putaverim. Suſpicor enim Theſmothetas, ac Novemvirorum alios nunc myrto, nunc hedera, pro Sacrorum varietate, coronatos fuiſſe. Sic in Dionyſiis, atque Eleuſiniis feſtis Baccho, Cererique ſacris hedera fortaſſe utebantur, cum Harpocration diſerte dixerit *hederas Baccho, Cererique, ac Proſerpinae ſacras fuiſſe* τὰς λεγομένας κίσσας ἱερὰς εἶναι ἔλεγον τοῦ Διονύσου, καὶ ταῖν Θεαῖν [5]; quamvis myrteam quoque coronam a Baccho adhibitam fuiſſe in Ariſtophane obſervaverim [6]: ut proinde facile Theſmothetae tum myrteam, tum hederaceam coronam ſubinde ferre potuerint. Neque Theſmothetae ſolum, ut innuere videtur Alciphron, & Scholiaſtes ille, ſed Archontes etiam omnes coronam geſtare conſueverant, ut nitide Pollux [7], alibique Scholiaſtes ipſe teſtatur [8]; atque Demoſthenes etiam oſtendit ἐὰν Θεσμοθέτην ὑβρίσῃ τίς, ἢ κακῶς εἴπῃ, ἄτιμος ἔσαι καθάπαξ. διατί; ὅτι ὁ τοῦτο ποιῶν προσυβρίζει τὸν ὑμέτερον κοινὸν στέφανον . . . καὶ πάλιν γε τὸν Ἄρχοντα, ταυτὸ τοῦτο. ἐὰν μὲν ἐστεφανωμένον πατάξῃ τὶς, ἢ κακῶς εἴπῃ, ἄτιμος [9] *Si Theſmothetam quis vel mulctaverit, vel conviciis inceſſerit, ignominia notabitur; cur nam? quia quiſquis id egerit, contumelia afficit veſtram communem coronam . . . & eadem prorſus ratio de Archonte: Siquis coronatum illum verberaverit, aut conviciis inceſſerit, infamis eſt*. Quod ſi Archontem ipſum non coronatum quis percuſſiſſet, decem mille drachmis mulctabatur: ὁ Ἄρχοντα τύψας, ἀποτιννύτω μυρίας δραχμάς [10].

D Qui-

(1) In Archon. (2) In Myrrhin. (3) Lib. VIII. c. 9. ſeg. 86. et lib. X. c. 19. ſeg. 69. (4) Notae ad Harpocr. (5) In Kittophoros. (6) Ran. Act. I. Scen. 7. (7) Loc. cit. (8) Ad Ranas. (9) In Mid. (10) Sopater in diviſio. Quaeſti.

Quibus ex locis aperte colligitur Archontem Eponymum interdum quidem corona redimiri, interdum vero ipsam deponere consuevisse; quemadmodum certe Rex, Novemvirorum secundus, illam Areopagum ingrediens deponebat: καὶ τὰς τοῦ φόνου δίκας εἰς Ἄρειον πάγον εἰσάγει, καὶ τὸν στέφανον ἀποθέμενος σὺν αὐτοῖς δικάζει [1]: *& caedis actiones in Areopagum inducit, coronaque deposita simul cum ipsis* Areopagitis *iudicat*: quod nempe Senatus ille hoc ipso coronae munere minime frueretur, ut Aeschines aperte docet [2], qui coronam ipsam Novemviris omnibus concessam esse iam dixerat [3] μὴ ἐξέστω αὐτῷ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων γενέσθαι ὅτι, οἶμαι, στεφανηφόρος ἡ ἀρχή *non licet illi* (qui corpus prostituisset) *ex novem Archontibus esse, quod, ut opinor, Magistratus* ille *coronam gerat*.

XXII. Porro quae fuerint in Atheniensi Republica Archontum munera accurate Pollux exposuit, simulque plurima ab illis una collectis peragi; alia vero ab illorum singulis seorsim praestari consuevisse demonstravit. Atque initio quidem Archontum quilibet seorsim ab aliis sua munera obibat antequam Solon Archontes omnes in locum unum congregaret ut de publicis rebus una decernerent; ut testatur Laertius πρῶτος τὴν συναγωγὴν τῶν ἐννέα Ἀρχόντων ἐποίησεν εἰς τὸ συνειπεῖν [4] *primus* Solon *novem Archontum coetum constituit, ut simul decernerent*; atque illustrius etiam in eximio Suidae loco conspicitur: πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς ἅμα δικάζειν, ἀλλ' ὁ μὲν Βασιλεὺς καθῆστο παρὰ τῷ καλουμένῳ Βουκολείῳ, τὸ δὲ ἦν πλησίον τοῦ Πρυτανείου. ὁ δὲ Πολέμαρχος ἐν Λυκείῳ [5] καὶ ὁ Ἄρχων παρὰ τοὺς Ἐπωνύμους. οἱ Θεσμοθέται παρὰ τὸ θεσμοθέσιον. κύριοί τε ἦσαν ὥστε τὰς δίκας αὐτοτελεῖς ποιεῖσθαι. ὕστερον δὲ Σόλωνος αὐτοῖς νομοθετήσαντος, οὐδὲν ἕτερον αὐτοῖς ἐτελεῖτο, ἢ μόνον ὑποκρίνειν τοὺς ἀντιδίκους [6]. *ac ante Solonis leges ipsis una iudicare non licebat; sed Rex quidem sedebat ad Bucoleum, quod ita vocabatur: hoc autem erat prope Prytaneum. Polemarchus vero in Lyceo; sed Archon prope Eponymos; Thesmothetae vero ad Thesmothesium. Ius autem, liberamque potestatem habebant finem litibus imponendi; postea vero ob leges ipsis a Solone latas nihil aliud ab ipsis gerebatur, nisi quod adversariis respondebant*, vel actionem dabant. Nec alio certe sensu a Plutarcho dictum putaverim quod Solon ipse συστησά-

(1) Pollux VIII. c. 9. seg. 90. (2) Orat. in Ctesiph. (3) Orat. in Timarch. (4) Lib. I. seg. 57. (5) Vid. Hesych. in Epilycaeum. (6) In Archon.

σάμενος τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν . . . δευτέραν προσκατένειμε βουλήν [1] *Concilium Areopagitarum cum constituisset . . . alteram insuper Curiam conscripsit*, nisi quod ille Novemviris unum in locum, ac veluti corpus coactis, ex illis omnibus Senatum alium constituit.

XXIII. Eiusmodi vero locum, in quo iuxta Solonis legem, Archontes omnes conveniebant, Στρατήγιον, & Βῆμα vocari consuevisse putat Meursius [2] quod Plutarchus de Nicia loquens dixerit Ἄρχων μὲν ἐν τῷ Στρατηγίῳ διετέλει μέχρι νυκτός [3] cum *Archon* esset *haerebat ad noctem usque in Praetorio*; atque in Pericle ποθούσης δὲ (πόλεως) ἐκεῖνον, καὶ καλούσης ἐπὶ τὸ Βῆμα, καὶ τὸ Στρατήγιον . . . ἐπείσθη προσελθεῖν *cumque* Civitas *illum* (Periclem) *desideraret*, *atque ad tribunal*, *Praetoriumque advocaret* ... *accedere non recusavit*. Sed id, ut opinor, Meursium fefellit, quod Niciam Archontem Eponymum fuisse putavit, adeoque Fastis etiam adscripsit [4]; cum tamen ille στρατηγὸς solum fuerit, ut Plutarchus ipse de Pericle diserte subdit quod ille tunc στρατηγὸς αἱρεθεὶς *Strategus electus* bellum administravit, quod anno 4. Olymp. LXXXVII. gestum fuit. Ergo, nisi ego fallor, στρατήγιον illud, in quo Nicias morari solebat, & ad quod Pericles vocatus fuit, non Archontum omnium sedes, sed Strategi potius, aut Polemarchi tribunal censeri facile poterit, in quo Strategus ipse, vel Polemarchus ius dixerit: ut ex superiori Suidae loco, & Pausania quoque perspicuum est Regem etiam post Solonis aetatem in regia Porticu ius dicere consuevisse. Demosthenes certe Novemvirorum tribunal non βῆμα, non στρατήγιον, sed τὸ τῶν Ἀρχόντων οἴκημα *Archontum sedem* vocavit [5] ἤδη δὲ ἑσπέρας οὔσης, καὶ σκότους, ἔρχεται ὁ Μειδίας οὑτοσὶ πρὸς τὸ τῶν Ἀρχόντων οἴκημα, καὶ καταλαμβάνει τοὺς Ἄρχοντας ἐξιόντας *crepusculo autem, & tenebris ingruentibus venit iste Midias ad Archontum praetorium, & Archontes exeuntes deprehendit*. Aristoteles vero, vel quicumque fuerit Auctor ille, qui librum *de Mundo* conscripsit, Archontum tribunal ἀρχεῖον vocavit: ἐξίασιν Ἄρχοντες ἐπὶ τὰ ἀρχεῖα: *Archontes ad Sedes exeunt*, quemadmodum Plutarchus [6], & Suidas [7] & Pollux [8] ἀρχεῖα saepissime memorarunt; ac Lysias [9] etiam Ctesiclem Archontem asseruit ἐν ἀρ-

 χείῳ

(1) In Solon. (2) De Arch. Ath. I. c. 9. (3) In Nicia. (4) De Arch. Ath. lib. IV. c. 20. (5) In Midiam. (6) In Solone. (7) In Archeion. (8) Lib. VI. c. 7. seg. 35. et lib. IX. c. 5. seg. 41. (9) Orat. pro Milite sive VIII.

χείῳ consedisse. Sed ex eiusmodi Scriptorum testimoniis nullus omnino splendor affulget; cum τῷ ἀρχείῳ nomine non peculiaris illa Novemvirorum, sed universe potius Magistratus omnis, quicumque ille fuerit, sedes exprimi consueverit: unde Etymologus de Tholo differens ait Θόλος τόπος τὶς ἐν τοῖς ἀρχείοις κληθεὶς *Tholus, locus quidam inter Magistratuum sedes* ita *vocatus*. Itaque suspicor certam illam Novemvirorum sedem nullum omnino peculiare nomen habuisse; alioquin eiusmodi nomen apud Atticos Scriptores, aliorum omnium instar, occurreret; neque Demosthenes illud τὸ τῶν Ἀρχόντων οἴκημα solum dixisset, ubi ab Ulpiano adnotatum esse conspicimus ὅπȣ συλλέγονται οἱ Ἄρχοντες, ἵνα εἴ τις δέοιτο αὐτῶν, εὑρίσκωνται *ubi Archontes congregantur, ut si quis ipsorum indigeat, inveniantur*. Non plurimum tamen a vero fortasse dissidet Archontes omnes eo loci simul convenisse ubi iampridem solum Eponymus Archon residere consueverat, nimirum παρὰ τὰς Ἐπωνύμους *apud* Tribuum *Eponymos*: quem locum Prytanum sedi, vel Prytaneo proximum fuisse Pausanias ostendit; ut proinde facile Archontes ipsi Concionibus, quae a Prytanibus indicebantur, adesse; actiones, vel controversias proponere; singulis denique Concionibus illis praesidere potuerint.

XXIV. Quod enim Novemviri dum annuo Archontis munere fungebantur conventibus, atque conciliis omnibus tum Populi, tum Senatus praeesse, primamque ubique sedem occupare consueverint, a nullo quidem Veterum diserte nobis exprimitur; sed ex variis tamen ipsorum testimoniis facile inferri potest. Ita Pollux testatur Novemviros καθ' ἑκάστην πρυτανείαν ἐπερωτᾷν εἰ δοκεῖ καλῶς ἄρχειν ἕκαστος (1) *singulis Prytaniis inquirere num quilibet bene imperare videatur?* idque in prima Concione factum videtur, in qua Magistratus omnes aut confirmari, aut amoveri consueverant, οἱ πρυτάνεις τὴν βȣλὴν συνάγȣσιν ὁσημέραι . . . . τὸν δὲ δῆμον τετράκις ἑκάστης Πρυτανείας . . . τῶν δὲ ἐκκλησιῶν ἡ μὲν κυρία ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονȣ̃σιν, εἴπερ καλῶς ἄρχȣσιν, ἢ ἀποχειροτονȣ̃σιν (2) *Prytanes Senatum quotidie congregant . . . populum vero quater in Prytania qualibet.. Concionum vero principalis dicitur, in qua Magistratus confirmant, siquidem recte imperant, aut abrogant*. Ita Novemviri post Solonis aetatem iudicia, & actiones

(1) Lib. VIII. c. 9. seg. 87. (2) Ibi seg. 95.

nes quasdam introducebant (1); atque Eponymus Archon aquam litigantibus, causasque orantibus infundebat: ἐξ ἀνάγκης γὰρ ἦν τῷ Ἄρχοντι ἀμφορέα ἑκάστῳ ἐγχέαι τῶν ἀμφισβητούντων, καὶ τρεῖς χοὰς τῷ ὑστέρῳ λόγῳ (2) *necesse enim erat Archonti amphoram unicuique accusatorum infundere, & tres choas posteriori orationi*. Ita denique Thesmothetae publicas accusationes, atque electiones, sive suffragia in Populum promulgare; quando ius dicendum foret, praescribere; plurimas actiones introducere consueverunt: ut nullus proinde dubitandi locus supersit quin Archontes omnes ad singulos Populi, Senatusque congressus convenerint, atque pro summa dignitate, qua in Atheniensi Republica fruebantur, primam ubique sedem occupaverint, ut accuratius adhuc in Dissertatione V. inquiram.

XXV. Longe tamen plura ab Archontibus ipsis privatim, praesertim vero a Thesmothetis, peragebantur, quae Pollux, aliique plurimi descripsere. Hinc suprema solum hic capita complectar, paucisque omnino illa persequar, quorum in Dissertationibus pone sequentibus est mentio reditura, ut illis exinde lux aliqua oriri subinde possit. Itaque Thesmothetae, ut ab illis exordiar, τὰς εἰσαγγελίας εἰσαγγέλλουσιν εἰς τὸν δῆμον, καὶ τὰς χειροτονίας, καὶ τὰς προβολάς. εἰσάγουσι καὶ τὰς τῶν παρανόμων γραφάς, καὶ εἴ τις μὴ ἐπιτήδειον νόμον γράψειε, καὶ Στρατηγοῖς εὐθύνας . . . εἰσάγουσι δὲ καὶ δοκιμασίαν ταῖς ἀρχαῖς (3). *publicas actiones, atque suffragia*, vel electiones *Populo promulgant*; *accusationes etiam introducunt*, & *violatarum legum actiones*, & *si quis non convenientem legem scripserit*; *a Strategis rationes exigunt*, *atque censuram* vel examen *de Magistratibus habitum exponunt*. Singulis etiam annis leges recensere, vel emendare consueverunt; ipsisque legum omnium cura commissa fuit, unde etiam Thesmothetae sunt appellati: καλοῦνται δὲ οὕτως ὅτι τῶν νόμων τὴν ἐπιμέλειαν εἶχον (4) *sic autem vocabantur quod legum curam gererent*; ἐκαλεῖτο γὰρ πάλαι ἕκαστος τῶν νόμων θεσμός *quaelibet enim lex olim* θεσμὸς *vocabatur* Polemarchus vero Marti, Dianaeque Ἀγροτέρᾳ seu Venatrici ex Miltiadis, ut opinor, voto, institutoque sacrificabat; funebre certamen iis, qui in bello ceciderant, in Academia celebrabat (5), rebusque pluribus, atque actionibus praesidebat, quae a Polluce nume-

(1) Vid. Sigon. de Rep. Ath. lib. II. c. 4. (2) Demosth. in Macartat. (3) Pollux VIII. c. 9. seg. 88. (4) Suidas et Harpocr. in Thesmotheta. (5) Philostr. lib. II. num. 30. in Philisco.

merantur (1). Regis autem erat Myſteria, Lenaea, lampadiſque feſta curare, nimirum, ut Harpocration oſtendit (2), Panathenaea, Hephaeſtia, ac Prometheia; in quorum ſingulis faces, aut lampades illae adhibebantur. Patria quoque ſacrificia peragere, de impietate, aliiſque id genus actionibus decernere conſueverat; coronaque depoſita caedis actiones in Areopagum inferre, ſimulque cum Areopagitis de ipſis iudicare (3). Denique Archon ille, qui ceteris omnibus praeerat, ideoque κατ᾽ ἐξοχὴν Archon, & Eponymus vocabatur, Orgia, & Thargelia feſta diſponere; orphanorum, pupillorum, viduarum, mulierumque, quae a viris ſeceſſerant, curam gerere; variaſque litium, & actionum ſpecies dirimere ſolebat, quas accurate Pollux exponit (4). Hinc ille, aliorum Archontum inſtar, peculiare tribunal, ſedemque habuiſſe videtur, cuius Ariſtophanes, quamvis obſcurius, mentionem iniecit ubi Veſpas tanquam Athenienſium iudices ita loquentes inducit

> Οἱ μὲν ἡμῶν οὗπερ Α῎χων, οἱ δὲ παρὰ τὸς Ε῎νδεκα
> Οἷδ᾽ ἐν Ωδείῳ δικάζες᾽ (5)
> *Pars quidem ubi Archon, pars vero ad Undecim viros,*
> *Pars autem in Odeo ius dicimus.*

Diris denique devoviſſe dicitur Archon Eponymus illos omnes, qui fructus ullos, oleo excepto, ex Atticae finibus exportaſſent; idque a Solone inſtitutum ſcribit Plutarchus: τῶν δὲ γινομένων διάθεσιν πρὸς ξένους ἐλαίου μόνον ἔδωκεν, ἄλλα δὲ ἐξάγειν ἐκώλυσεν. καὶ κατὰ τῶν ἐξαγόντων ἀρὰς τὸν Α῎ρχοντα ποιεῖσθαι προσέταξεν, ἢ ἐκτίνειν αὐτὸν ἑκατὸν δραχμὰς εἰς τὸ δημόσιον. καὶ πρῶτος ἄξων ἐστὶν ὁ τοῦτον περιέχων τὸν νόμον (6) *ex fructibus autem oleum ſolum ad peregrinos exportari licebat, aliorum nullum ius erat exportandi; & in eum, qui exportaret, ſanxit etiam Archontem execrationes facere, aut ipſum aerario centum drachmas diſſolvere. Ac prima quidem tabula ea eſt, in qua lex eiuſmodi continetur.* Sed eximium hunc Plutarchi locum, quem Meurſius (7), Petitus (8), Potterus (9), aliique plurimi exſcripſere, vitiatum, aut certe Plutarchum ipſum deceptum eſſe putaverim. Compertum eſt enim iis, qui Panathenaeis ludis Athenis viciſſent, olei amphoram veluti inſigne quoddam praemium tribui conſueviſſe; ipſiſque ſolum eiuſdem amphorae ex Atticae finibus exportandae po-

(1) Loc. cit. ſeg. 91. et Schol. Ariſtoph. ad Veſpas. (2) In Lampas. (3) Vid. Syneſ. de Regno et Sigoni. de Rep. Ath. IV. c. ult. (4) Loc. cit. ſeg. 89. (5) Veſp. verſ... (6) In Solon. (7) De Arch. Ath. I. c. 9. (8) Leg. Attic. (9) Archaeol. Graec. I. c. 26.

poteſtatem conceſſam eſſe. Id innuere primum videtur Pindarus ipſe dum in laudem Thiaei Argivi, qui Panathenaea iampridem ſemel iterumque vicerat, ita cecinit

——————— ἀδεῖ-
αἶγε μὲν ἀμβολάδαν
ἐν τελεταῖς δὶς Ἀθηναίων μιν ὀμφαὶ
κώμασαν. γαίᾳ δὲ καυ-
θείσᾳ πυρὶ καρπὸς ἐλαίας
ἔμολεν Ἥρας τὸν εὐά-
νορα λαόν, ἐν ἀγγέων
ἕρκεσιν παμποικίλοις (1)

——————— *Sua=*
veſque Athenienſium voces
in ritibus ſacris hymnos choreales
ei decantarunt bis interiecto certo
temporis ſpatio. venit igitur fructus oleae incluſus
Terrae igni coctae ad Argivos *Junonis viris illuſtrem populum, in vaſorum*
clauſtris multum variegatis.

Quemadmodum etiam Callimachus idipſum memorat, niſi quod κεράμια illa κάλπιδας ipſe appellavit, ut Diſſertatione XI. oſtendetur, ubi de Athenienſium Nummis agendum erit. Sed clarius id etiam, conceptiſque verbis teſtatur antiquus ille Pindari Scholiaſtes, qui ſuperiorem Pindari locum exponens ait ἐκ ἔστι δὲ ἐξαγωγὴ ἐλαίε ἐξ Ἀθηνῶν εἰ μὴ τοῖς νικῶσι. φησὶν οὖν ὑδρίαν πλήρη ἐλαίε κεκομικέναι ἐξ Ἀθηνῶν εἰς Ἄργος τὸν Θειαῖον νικήσαντα. τοῖς γὰρ ἀθληταῖς τοῖς τὰ Παναθήναια νενικηκόσι δίδοται ὑδρία ἐλαίε πλήρης, *oleum vero Athenis efferre, niſi victoribus, non licet. Itaque dicit hydriam* oleo *plenam Athenis Argos detuliſſe Thiaeum, qui vicerat. Athletis enim, qui Panathenaea viciſſent, hydria oleo plena dabatur*. Hinc etiam primi Comoediarum inventores Solonis ipſius aetate arculam caricarum, veluti praemium acceperunt, quod ficus in Attica rarae forent, atque exinde efferri prohiberentur, ut Plutarchus ipſe (2), Suidas (3), atque Etymologus (4) referunt. Itaque ſi oleum Athenis tunc alio efferre non licuit, ſoliſque Panathenaeorum victoribus id, veluti inſigne praemium, concedebatur, manifeſtiſſime inferri debet Solonis aetate, qua Panathenaea an. 3. Olym. LIII. ſunt inſtituta, olei efferendi poteſtatem Solonis

(1) Neme. Ode X. (2) In Solone. (3) In Sycophanta. (4) In Sycophan.

lonis ipsius lege minime concessum esse, quod Plutarchus, eiusdemque Plutarchi auctoritate Meursius, aliique plures existimarunt. Ac mirari certe quis possit, quod Meursius ipse, qui olei efferendi potestatem Solonis lege omnibus concessam esse iam dixerat [1], alibi diserte testatur [2] id solis Panathenaeorum victoribus concessum fuisse. Petitus [3] vero, atque Potterus [4] Solonis legem, ut a Plutarcho exhibetur, exscripserint, simulque tamen Atheniensium morem in victoribus honorandis indicaverint: ac si leges illae simul componi possent, neque mirifice potius dissiderent. Ac initio quidem suspicabar Plutarchi locum facile luxatum esse, ut transpositis verbis ita restitui posset ἐλαίαν μόνον ἐκώλυσεν, ἄλλα δὲ ἔδωκεν; sed, cum eiusmodi emendatio integro Plutarchi contextui repugnet, longe verisimilius existimo Plutarchum in exponenda Solonis lege deceptum, ideoque ex Pindari, eiusque Scholiastis testimonio corrigendum esse.

XXVI. Cum vero & Eponymus Archon, & Rex, & Polemarchus iudicia ferre, pluresque controversias dirimere deberent, ut accuratius illi, feliciusque suo munere perfungi possent, ipsorum cuilibet duo Πάρεδροι sive *Assessores* concedebantur: Πάρεδροι ὀνομάζονται οὓς αἱροῦνται Ἄρχων, καὶ Βασιλεὺς, καὶ Πολέμαρχος δύο ἕκαστος, οὓς βούλεται· δοκιμασθῆναι δὲ αὐτοὺς ἐχρῆν ἐν τοῖς Πεντακοσίοις, εἶτ' ἐν δικαστηρίῳ, προσαιροῦνται δὲ καὶ Γραμματέα, ὃς ἐν νόμῳ δικαστηρίῳ κρίνεται [5] *Assessores nominantur quos Archon, Rex, & Polemarchus, binos scilicet singuli quoscumque voluerint, eligunt: eos vero apud Quingentos censeri*, sive probari *oportebat*, *deinde in dicasterio. Scribam etiam eligunt, qui in legitimo iudicio iudicatur*. Aristoteles tamen, & qui Aristotelem exscripsere, Harpocration, ac Suidas Paredros illos ab Archonte solum Eponymo, & Polemarcho, nulla facta Regis mentione, electos esse testantur [6], ac si Rex ipse Paredros, vel Assessores eligere non soleret. At unicum saltem Paredrum a Rege quoque constitui consuevisse non superiori solum Pollucis testimonio; sed etiam perspicuo Demosthenis loco probari posse conspicio, qui mox opportunius proferetur. Denique Paredros illos non modo ab Archontibus libere electos esse, sed interdum etiam Novemviris, a quibus eligebantur, sanguinis cognatione coniunctos fuisse Demosthenes ipse demonstrat dum *Chariclidi* qui Eponymus Archon

(1) De Arch. Ath. I. c. 9. (2) Lect. Attic. V. c. 7. (3) Ad Leg. Attic. (4) Arch. Graec. c. 25. (5) Pollux. VIII. c. 9. seg. 92. (6) In Paredrus.

chon fuit anno 2. Olymp. CIV. patrem ipsum veluti Paredrum assedisse testatur παρεδρεύοντος Ἄρχοντι τῷ υἱεῖ [1]; quemadmodum Theogenes etiam ille, qui Regis munere fungebatur, Stephanum socerum suum sibi Paredrum elegerat, ut inferius ostendetur.

XXVII. Exacto demum Archontici, simulque civilis etiam, ac popularis anni tempore, si rite legitimeque Novemviri magistratu perfuncti forent, eiusque rationes reddidissent, in Areopagitarum Senatum cooptabantur. Οἱ δὲ ἐννέα Ἄρχοντες, inquit Pollux, οἱ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, μετὰ τὸ δοῦναι τὰς εὐθύνας, ἀεὶ τοῖς Ἀρεοπαγίταις προσετίθεντο [2]. *Novem Archontes, qui singulis annis* imperaverant, *postquam rationes reddidissent, semper Areopagitis adiungebantur* [3]: idque a Solone institutum esse, Plutarcho teste, iam diximus: συστησάμενος δὲ τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ἐκ τῶν κατ' ἐνιαυτὸν Ἀρχόντων, ἧς, διὰ τὸ ἄρξαι, καὶ αὐτὸς μετεῖχεν [4]: *Concilium Areopagitarum cum ex annuis Archontibus constituisset, in quo erat ipse quoque quod Archon fuisset*. Itaque falluntur Rhetores illi, qui apud Scholiasten [5] Demosthenis Thesmothetas solum Areopagitis adiectos esse putarunt. Siquidem Novemviros omnes peracto Archontis munere in Senatum illum adscitos esse perspicue testatur etiam Plutarchus asserens Periclem Populi favore, vel autoritate niti consuevisse κατὰ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, ἧς αὐτὸς οὐ μετεῖχε διὰ τὸ μήτ' Ἄρχων, μήτε Θεσμοθέτης, μήτε Βασιλεὺς, μήτε Πολέμαρχος λαχεῖν· αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ κληρωταί τε ἦσαν ἐκ παλαιοῦ, καὶ δι' αὐτῶν οἱ δοκιμασθέντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον *adversus Areopagi Curiam, in qua ipse non erat quod nec Archon, nec Thesmotheta, nec Rex sacrorum, nec Polemarchus sorte cooptatus fuisset: hi enim magistratus sortito antiquitus creabantur; quique in iis specimen dedissent sui, in Areopagi Curiam ascendebant* [6].

XXVIII. Id vero celebratis Baccho sacris in antiquissimo ipsius templo, quod in Limnis erat, fieri consuevisse opinatur Meursius [7], eximiumque Demosthenis locum exscribit, quo id nitide ostendi posse arbitratur. Etenim Orator ille ubi de sacris ipsis, eorumque ritibus uberrime disseruisset, repente subdit ὡς δὲ ἐγένετο τὰ ἱερὰ ταῦτα, ἀνέβησαν εἰς Ἄρειον πάγον (οἱ ἐννέα Ἄρ-

(1) Orat. in Mid. (2) Lib. VIII. c. 9 seg. 118. (3) Vid. Lysi. Orat. pro Evandro. (4) Plut. in Solo. (5) Argum. Orat. in Androt. (6) In Pericle. (7) De Arch. Ath. I. c. 9. et in Areopago c. 6.

χοντες) ἐν ταῖς καθηκούσαις ἡμέραις [1] : *cum haec ſacra fierent*, *Novemviri in Vicum Martium*, ſive Areopagum, *in legitimis diebus aſcenderunt.* Sed ambiguus ille Demoſthenis locus doctiſſimo Meurſio, aliiſque etiam pluribus [2] mirifice impoſuit; ut ex ipſo Orationis contextu facile oſtendam. Aſſerit ibi Demoſthenes Theogenem quendam, qui inter Novemviros Regis munus obtinuerat, ſimulque cum Archontibus aliis in Areopagum aſcenderat, ab illo Senatu reiectum fuiſſe quod ille non civem, ac virginem, ut ſacra lege cavebatur, ſed peregrinam potius, atque adulteram uxorem, Stephani, ſeu verius Neaerae filiam duxiſſet, eique Baccho ſacra peragere permiſiſſet. Hinc Senatus, inquit, *mulierem iſtam reprobat*, *& ſacrorum curam ſuſcipit*, *& Theogenem mulctat* τὴν γυναῖκα ταύτην ἐξήλεγχε, καὶ περὶ τῶν ἱερῶν πρόνοιαν ἐποιεῖτο, καὶ ἐζημίου τὸν Θεογένην. [3] At Theogenes ſe a Stephano deceptum dixit, ideoque *propter imperitiam rerum*, *ſuamque ſimplicitatem iſtum Aſſeſſorem ſibi adſciviſſe*, *ut is Magiſtratu fungeretur*, *tanquam benevolum*; *proptereaque contraxiſſe cum illo affinitatem* καὶ διὰ τὴν ἀπειρίαν τῶν πραγμάτων, καὶ τὴν ἀκακίαν τὴν ἑαυτοῦ τοῦτον Πάρεδρον ποιήσαιτο, ἵνα διοικήσῃ τὴν ἀρχὴν ὡς εὔνουν ὄντα, καὶ διὰ τοῦτο κηδεύσειεν αὐτῷ: atque ut innocentiam ſuam oſtenderet pollicetur, ſe, ut ab Areopago deſcenderit, ſtatim *& mulierem eiicere*, *& Stephanum ab aſſeſſu repellere*, *nec pati ut ſibi diutius aſſideret* τήν τε ἄνθρωπον ἐκβαλεῖν, καὶ Στέφανον ἀπελάσαι ἀπὸ τῆς Παρεδρίας, καὶ οὐκ ἐᾶν ἔτι παρεδρεύειν αὐτῷ; quo facto veniam ab Areopagitico Senatu impetravit. Perſpicui characteres iſti nitide oſtendunt quod Theogenes ille, dum in Areopagum aſcendit, ipſique de uxore controverſia excitata fuit, adhuc ille *Regis*, eiuſque coniux *Reginae* munere fungebatur: neque enim ipſa in ſacris illis eodem anno operari, atque repente ab Areopagitico Senatu ſummoveri potuiſſet, ſi Theogenes quidem Regis, atque ipſa Reginae munere exceſſiſſet. Accedit etiam quod Πάρεδροι, vel Aſſeſſores Archonti Eponymo, Regi, & Polemarcho concedebantur, ut paullo ſuperius oſtendi, donec illi annuo magiſtratu fruerentur; ideoque, ſi Theogenes ille ἀπὸ τῆς Παρεδρίας ſummovit Stephanum, qui Θεογένει λαχόντι Βασιλεῖ πάρεδρος γενόμενος vocatur, manifeſtiſſime inferri debet quod Stephanus adhuc Paredri, adeoque Theogenes adhuc Regis munere fungebatur. Denique, ne argumentis aliis hic immorer, Novemvi-

(1) Orat. in Neaer. (2) Potter. Arch. Lib. I. c. 19. (3) Orat. in Neaer.

virorum δοκιμασία, ſive *cenſura* antequam illi in Areopagitarum Senatum cooptarentur, publice, & a Populo, vel Magiſtratibus aliis fieri conſueverat, ut mox oſtendetur: Theogenes autem iſte *δι ἀπορρήτου, ἐν ἀπορρήτῳ δὲ καὶ διὰ κοσμιότητος ſecreto tamen, & cum modeſtia* reprehenſus, dimiſſuſque fuit. Itaque ſolemnis ille ritus, quo Novemviri poſt Dionyſii ſacra in Limnis peracta in Areopagum aſcendebant, alio propemodum ſpectaſſe debuit quam ut Archontes ipſi, depoſito iam magiſtratu, in Senatum illum inſcriberentur.

XXIX. Et certe, ſi Baccho in Limnis τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς *duodecima Antheſterionis menſis* die ſacra illa fieri conſueverant, ut Demoſthenes laudato loco, Thucydides etiam (1), Heſychius, Harpocration (2), aliique teſtantur, quis fieri potuiſſe exiſtimet ut Novemviri, qui iampridem magiſtratu exceſſerant, tum ſolum in Areopagum aſcenderent, ibique in Senatum admitterentur? Id de primis illis fortaſſe temporibus ſuſpicari quis poterit, quibus ineunte Gamelione menſe veteres Novemviri magiſtratum deponere, novique illum ſuſcipere conſueverant: at ubi poſt Olympiadem LXXXVII. civilis & Archonticus etiam annus ab Hecatombaeone incipiebat, a vero plurimum diſſidet Novemviros ipſos integris a depoſito magiſtratu menſibus ſeptem exactis probari, adeoque Areopagitis etiam adſcribi debuiſſe; cum praeſertim magiſtratus omnes peracti muneris rationem intra 30. dierum ſpatium reddere cogerentur, ut ex Harpocratione diſcimus. *Λογισταί. ἀρχή τις παρ' Ἀθηναίοις οὕτω καλουμένη. εἰσὶ δὲ τὸν ἀριθμὸν δέκα. οἳ τὰς εὐθύνας τῶν διῳκημένων ἐκλογίζονται ἐν ἡμέραις τριάκοντα, ὅταν τὰς ἀρχὰς ἀποθῶνται οἱ ἄρχοντες* (3) *Logiſtae. Magiſtratus quidam apud Athenienſes ita appellatus. Decem vero numero ſunt, qui rationes de adminiſtratis rebus excipiunt diebus triginta quando Archontes*, vel Magiſtratus *munus deponunt*. A Logiſtis illis Εὐθύναι diſtinguebantur, ut Harpocration ipſe teſtatur, qui rationes & ipſi quoque exigere ſolebant: *Εὐθύνη. ὄνομα ἀρχῆς παρ' Ἀθηναίοις. δέκα τὸν ἀριθμὸν ἦσαν, παρ' οἷς ἐδίδοσαν οἱ πρεσβεύσαντες, ἢ ἄρξαντες, ἢ διοικήσαντές τι τῶν δημοσίων τὰς εὐθύνας* (4) *Euthyne. Magiſtratus nomen apud Athenienſes. Decem numero viri erant, apud quos rationes reddebant quicumque legationem obiverant, aut imperio* vel

 Ma-

(1) Lib. II. (2) In Choes & Kytroi. (3) In Logiſtae. (4) In Euthyn.

Magistratu *functi fuerant, aut munus aliquod publicum administraverant*. Itaque Novemviros Hecatombaeone mense apud Logistas, sive Euthynas rationes reddidisse, simulque Areopagitis adscriptos fuisse putaverim, ut citius eximio hoc honore, sancteque peracti muneris praemio fruerentur.

XXX. Sed gravior hic alia, longeque obscurior quaestio suboritur, an scilicet Archontes illi, qui semel annuo magistratu defuncti, moxque Areopagitis adscripti fuerant, iterum Archontes eligi potuerint; ut unus idemque Civis, qui semel Archon fuerat, eodem iterum Archontis munere perfungi posset? quod certe illustrandis Archontum Fastis conferre plurimum poterit, ut oportunius alibi ostendam. Quicumque maximam severitatem illam inspexerit, qua Areopagitae in moribus, silentio, iudiciis, aliisque id genus omnibus utebantur, facile, ut opinor, existimabit ab illa plurimum abhorrere ut qui in Senatum illum *totius Graeciae honoratissimum, sanctissimumque*, ut Aristidis verbis utar, adlecti fuerant, Magistratibus etiam aliis, aliisque honoribus frui possent; idemque proinde Civis, qui arcanis Areopagi conventibus intererat, publicis etiam Populi concionibns adesse posset: cum praesertim actiones, vel controversiae quaedam a Novemviris ipsis, vel Populo, sive Senatu diremptae ad Areopagitarum Senatum veluti supremum tribunal deferri solerent. Accedit etiam quod Solon duos Senatus illos Athenis constituit ut unus alteri opponeretur: unde unus ἡ ἄνω βȣλὴ *superior Senatus*, alius vero ἡ κάτω βȣλὴ *inferior Senatus* (1) dicebatur: eiusmodi vero discrimen non adeo religiose, accurateque servari potuisse videtur si, quemadmodum Novemviri in Areopagum admittebantur, ita vicissim Areopagitae Archontes iterum eligi, in Senatum alium transferri, vel utrique Senatui inscribi potuissent. Denique satis verisimile videtur ut qui supremam illam Novemviri dignitatem semel Athenis obtinuerat, ab illa iterum occupanda prohiberetur, ut Civibus aliis liberior ad ipsam aditus pateret, simulque maior inter Cives ipsos aequalitas servaretur; quemadmodum certe bis Syndicum (2), aut Astynomum (3) esse non licebat.

XXXI. Altera tamen ex parte plurima subinde occurrunt, quae facile argumento esse possint Areopagitas omnes, aut saltem No-

(1) Vid. Plut. in Solon. (2) Demosth. in Leptin. (3) Demosth. Proem. 64.

Novemviros illos, qui Areopagitis adiecti fuerant, iterum Archontis munere perfunctos esse. Meursius certe, quamvis id nullibi diserte dixerit, variis tamen in locis innuere videtur unum eundemque Civem bis eodem Archontis Eponymi munere perfunctum esse. Ita in Archontum serie (1) ad an. 2. Olymp. LXXXVIII. *Diotimum*, inquit, *Euclides sequitur, occurritque iterum infra Olympiade XCIV. anno 2. Sub hoc, utro anno incertum, legem Aristophon tulit* &c. paucisque interiectis ait *Post Euclidem Euthydemus iterum magistratum illum cepit*: quod nempe Euthydemi nomen anno 2. Olymp. LXXXVII in Fastis habeatur, atque Archontum illorum uterque duobus diversis annis imperasse videatur. Ac, ne alia id genus exempla desideres, adiungi poterit Calliam anno 1. Olymp. XCII. iterumque anno 3. Olymp. XCIII. Archontum Fastis adscribi. Cephisodorus etiam anno 3. Olymp CIII. simulque 3. Olymp. CV. Archon fuit; atque, ut cetera ommittam, Archippi nomen anno 4. Olymp. CXIV. & anno 3. Olymp. CXV. in Dionysii serie conspicitur: ut a vero proinde minime abhorreat quod unus idemque civis, Consulum Romanorum instar, Archontis Eponymi dignitatem semel iterumque obtinuerit: quod de Novemviris etiam aliis facilius intelligatur. Quod si fortasse eiusmodi argumenti genus ex sola nominum similitudine, quae fortuita profecto esse potest, infirmum, dirimendaeque controversiae impar videatur, ex fontibus tamen aliis non infeliciter id ostendi posse putaverim. Ac primo quidem eximia quaedam Inscriptio (2) mihi occurrit Athenis posita, atque oportunius alibi proferenda (3), qua filii P. Herennium Dexippum honorarunt τὸν ἄρξαντα τὴν τῦ Βασιλέως ἐν Θεσμοθέταις ἀρχὴν, ϗ ἄρξαντα τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν, *qui inter Thesmothetas Regis munere perfunctus est, atque Eponymus Archon fuit*. Quis hic aperte non videat P. Herennium istum Archontis Eponymi, Regis, ac Thesmothetae munera obiisse? cumque singulae dignitates illae uno, eodemque anno obtineri non possent, de variis haec annis intelligenda fore; ut aliquo nimirum anno Rex, alio Thesmotheta, alio denique Eponymus Archon ille fuerit?

XXXII. Illustre quoque exemplum aliud in Demosthene deprehendisse videor, quod accuratius in Dissertatione II. ac VII. & fu-

(1) De Arch. Ath. III. c. 4. (2) Spon. Itiner. ad Pop. Attic. art. 49. (3) Dissert. X.

fusius exposui. Perspicuis nimirum, certisque characteribus demonstravi quod Chaerondas ille, qui certe Eponymus Archon fuit anno 3. Olymp. CX. Archontis etiam nomen, ac munus obtinuit anno 1. & 2. eiusdem Olympiadis; adeoque, nisi fortasse quis temere suspicetur non unum prorsus eundemque Chaerondam in singulis annis illis memorari, manifestissime inferri debet Chaerondam istum duobus prioribus annis inter Novemviros electum fuisse, atque postremo Archontis etiam Eponymi dignitatem obtinuisse. Ita Aristides anno 4. Olymp. LXXII. Eponymus Archon fuit, iterumque post Plataicam pugnam, paulloque ante mortem Archontis munus obtinuit, ut Demetrius Phalereus apud Plutarchum testatur. Itaque cum Aristidis nomen post Plataicae pugnae tempora, sive an. 2. Olymp. LXXV. in Fastis minime occurrat, ut optime Plutarchus ipse observavit; atque altera tamen ex parte Phalerei testimonium gravissimum censeri debeat, non alio profecto sensu Demetrii dictum intelligendum esse putaverim, quam quod Aristides ille, qui iampridem Eponymus Archon fabarum suffragiis, atque sortito electus fuerat, iterum virtutis caussa, non sortito, sed Populi plausu inter Novemviros vel Regis, vel Polemarchi, vel Thesmothetae nomine adscriptus fuerit. Atque ista quidem non obscure, ut opinor, innuere videntur Novemviris omnibus in Areopagitarum Senatum iampridem cooptatis ad Archontis dignitatem iterum obtinendam aditum patuisse. Cum tamen ex Veteribus nullus hac in parte mihi splendor affulgeat, atque argumenta singula in incerto posita videantur, nihil hic temere definire velim: cum praesertim P. Herennii exemplum, quod ceteris omnibus illustrius censeri merito poterit, de sequioribus solum temporibus intelligendum esse videatur, quibus insignis illa Areopagi severitas, atque Atheniensis Reipublicae facies mirifice labefactata iam fuerat: ac dignitates omnes non ex veteri Solonis instituto, legumque formulis; sed Proconsulum potius, Caesarumque arbitrio, atque autoritate conferebantur (1).

XXXIII. Neque post subactas solum a Romanis Athenas vetus illa Novemvirorum dignitas, ipsorumque libere eligendorum ratio paullatim sublata fuit; sed longe etiam prius ab Atheniensibus ipsis maximo cum dedecore perturbata iam fuerat. Cum enim Antigonus, atque Demetrius Macedoniae Reges die

(1) Vid. Eunap. in Iuliano.

die 26. Thargelionis anno 2. Olymp. CXVIII. Athenas repente, atque insperato advenissent, praesidiumque a Cassandro Munichiae impositum expulissent, tanto honore, tantisque plausibus ab Atheniensi Populo sunt excepti, ut Munichion mensis *Demetrion*, atque Dionysia Festa *Demetria* vocata fuerint; extrema mensis dies, quae Solone auctore ἔνη κὴ νέα dicebatur, *Demetrias* appellari coeperit; duae novae Tribus *Antigonis*, atque *Demetrias* decem veteribus adiectae fuerint; Archonte Eponymo, ac Novemviris etiam aliis, ut videtur, sublatis, Magistratus alius electus sit, qui Ἱερεὺς τῶν Σωτήρων *Sacerdos Servatorum* vocaretur, quod nempe Reges illi Atheniensium Servatores, ac Dii viderentur. Haec, aliaque id genus plurima assentantium Atheniensium deliria Plutarchus enumerans ait μόνοι δὲ Ἀθηναῖοι Σωτῆρας ἀνέγραψαν θεὺς, κὴ τὸν ἐπώνυμον, κὴ πάτριον Ἄρχοντα καταπαύσαντες, Ἱερέα Σωτήρων ἐχειροτόνυν καθ᾽ ἕκαςον ἐνιαυτὸν· κὴ τῦτον ἐπὶ τῶν ψηφισμάτων, κὴ τῶν συμβολαίων προέγραφον (1) *Soli Athenienses Servatores deos in acta retulerunt, abrogatoque veteri magistratu Archonte, a quo denominabatur in Fastis annus, Servatorum Sacerdotem quotannis creaverunt, quem Plebiscitis, contractibusque praescripserunt.*

XXXIV. Sed brevi tamen effrenis illa, atque mirifice impudens Atheniensium in Reges illos assentatio deferbuit; cumque Demetrii fortuna variis casibus labefactata, atque postremo excisa propemodum videretur, Athenienses ab illo defecerunt, Diphiloque in ordinem redacto, qui tunc Servatorum Sacerdos erat, veteres Novemviros, & Archontem Eponymum iterum elegerunt: Ἀθηναῖοι δὲ ἀπέςησαν αὐτῦ. κὴ τόν τε Δίφιλον, ὃς ἦν Ἱερεὺς τῶν Σωτήρων ἀναγεγραμμένος, ἐκ τῶν Ἐπωνύμων ἀνεῖλον, Ἄρχοντας αἱρεῖσθαι πάλιν, ὥσπερ ἦν πάτριον, ψηφισάμενοι (2) *Athenienses ab illo defecerunt, ac Diphilum, qui in acta relatus Servatorum Sacerdos erat, ex Fastis expunxerunt, sciveruntque ut Archontes denuo, quod de more iis erat, crearentur.* Ac Meursius quidem id optime ad annum 1. Olymp. CXXIII. referendum alicubi (3) existimavit; quamvis alibi (4) opinionis huius immemor, sibique non constans Diphilum hunc unum eundemque fore putaverit cum Philippo, qui in Dionysii serie anno 4. Olymp. CXXI. Fastis adscribitur: eundemque prorsus

(1) In Demetr. (2) Plut. ibi (3) De Arch. Ath. Lib. I. c. 9. (4) Lib. IV. c. 18.

ſus errorem a Lydiatto [1], Dodvello [2], ceteriſque omnibus admiſſum eſſe conſpicio. Sed doctiſſimis Viris tenuis illa, ut opinor, nominum ſimilitudo profecto impoſuit ut Diphilum iſtum cum Philippo confunderent, ac Servatorum Sacerdotes anno 4. Olymp. CXXI. ſublatos eſſe putarent; cum certe Diphilus ille nonniſi anno 1. Olymp. CXXIII. imperaverit, ideoque a Philippo diſtingui debeat, ut oportunius alibi oſtendam [3]. Id unum hic obiter indicaſſe iuverit quod Athenienſes non prius a Demetrio defecerunt quam ille a Pyrrho, aliiſque foederatis Regibus Macedoniae regno ſpoliatus eſſet, poſtquam ſeptem annis regnum illud occupaverat: *Μακεδονίας ἑπταετίαν ὑπὸ Δημητρίȣ βεβαίως ἀρχεῖσης* [4]. Itaque cum Caſſandri Regis interitus in annum 3. Olymp. CXX. inciderit, atque poſt illum Philippus filiorum natu maximus annum unum imperaverit, moxque Demetrius ipſe Philippo, & Alexandro ſublatis regnum invaſerit, Demetrii imperium nonniſi anno 1. Olymp. CXXI. incepiſſe potuit; ideoque ſeptimus Demetrii Regis annus, ac Diphili principatus cum an. 4. Olymp. CXXII. ſeu 1. Olymp. CXXIII. coniungi debet. Primum vero Archontem Eponymum, qui Sacerdotibus illis in ordinem redactis imperaverit, Dioclem illum fuiſſe opinor, qui temere prorſus a Meurſio [5], ceteriſque cum Philocle confundi ſolet, quem an. 3. Olymp. CXIV. Faſtis adſcriptum conſpicimus; ut accuratius alibi oſtendam [6].

XXXV. Eiuſmodi vero Novemvirorum, atque Eponymorum Archontum dignitas Olympiade CXXIII. iam reſtituta per aliquot etiam ſecula perſeveravit, ut ex Marmoribus illis, atque Scriptoribus inferri poteſt, qui in Diſſertatione IX. & X. oportunius proferentur; donec *Στρατηγοὶ* *Strategi* ſupremum Athenis honorem occuparunt [7], ac vetus illa Novemvirorum dignitas circa IV. Eccleſiae Seculi initium aut omnino ſublata fuit, aut obſcurior ſaltem evaſit. Quo certe loco plurimum fallitur, ſibique non conſtat Meurſius dum Archontes Eponymos Plutarchi aetate iam ſublatos eſſe contendit. Eximium ille Plutarchi locum exſcribit [8], qui in Praeceptis Politicis ait *καὶ τῶν γε τῶν βαρυτέρων (ἀρχῶν) οἷος Στρατηγίας Ἀθήνησι, καὶ Πρυτανείας ἐν Ῥόδῳ, καὶ Βοιωταρχίας παρ᾽ ἡμῖν* *atque maiorum dignitatum, qualis eſt Athe-*

(1) Ad Marm. Oxon. (2) Diſsert. III. ſect. 39. (3) Diſsert. IX. (4) Plutar. in Demetr. (5) Archon. Athen. Lib. IV. c. 14. (6) Diſsert. IX. (7) Petav. & Spanhem. ad Orat. I. Iuliani. (8) In Addit. ad Arch. Athen. Lib I. c. 9. ap. Gronov. Tom. IV. in Praef.

Athenis Praetura, Rhodi Prytania, & apud nos Boeotarchia. Sed ambiguus iste Plutarchi locus id unum ostendit quod Plutarchi, sive Traiani Caesaris aetate, qua floruit Plutarchus, Strategi dignitas Athenis ceteris gravior, illustrior, atque honoratior etiam, si velis, haberi consueverat; non vero quod Archontes Eponymi sublati forent: quemadmodum Romae vel Imperatorum, vel Tribunorum dignitas βαρύτερα vocari merito poterit, neque exinde tamen inferri quod Consules etiam minime eligerentur, suoque munere in Romana Republica fruerentur. Philostrati quoque testimonium a Meursio deinde proferri video [1], qui de Lolliano loquens ait Προύστη δὲ καὶ τοῦ Ἀθηναίων δήμου στρατηγήσας αὐτοῖς τὴν ἐπὶ τῶν ὅπλων. Ἡ δὲ ἀρχὴ αὕτη πάλαι μὲν κατέλεγέ τε, καὶ ἐξῆγεν εἰς τὰ πολέμια, νυνὶ δὲ τροφῶν ἐπιμελεῖται, καὶ σίτου ἀγορᾶς [2] *praefuit & Atheniensium Populo Praetoris apud eos munere fungens. Huius vero Magistratus olim quidem erat delectum facere militum, & ad bellum eos educere; hodie vero annonam, &, qui in foro venum exponuntur, cibos curat.* At ex eiusmodi quoque Philostrati loco id unum, ut opinor, inferri poterit quod Lollianus ille, qui unus idemque videtur esse, qui L. Egnatius Victor Lollianus Atheniensium Rhetor in veteri Inscriptione [3] ab Areopagitico Senatu Athenis posita nominatur, Strategi munere perfunctus fuerit, ideoque hac in parte, aliqua ratione, Atheniensi Populo praefuerit; non vero quod Lolliani, sive Hadriani Caesaris temporibus Archontes Eponymi sublati, vel a Strategis superati forent; cum antiquioribus etiam temporibus Strategi, simulque tamen Novemviri Athenis eligerentur. Quod vero Philostratus addidit ipsius aetate, anno nimirum Christi 239. vel 241. quo Sophistarum Vitas ille edidit [4], annonam solum a Strategis curatam esse, viderint alii quam vere, accurateque dictum censeri debeat. Ego certe eiusmodi munus Strategis aut nunquam, aut non constanter saltem iis temporibus concessum esse putaverim. Philostratus enim ille, qui Sophistarum Vitas edidit, sub Severo Caesare usque ad Philippum vixit, ut Suidas testatur [5], iisque proinde temporibus, quibus, Meursio ipso teste, & Archontes Eponymi, & Στρατηγοὶ ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας eligebantur, ut mox ostendetur. Quinetiam Constantinus Imperator, qui 80. saltem

 tem

(1) De Arch. Ath. lib. I. c. 9. (2) Vit. Sophist. lib. I. num. 23. (3) Sponi. Itin. Tom. III. pag. 17. (4) Vid. Fabric. in Philostr. (5) In Philostr.

tem annis Philostrato posterior fuit, Βασιλεὺς ὢν, καὶ κύριος πάντων, Στρατηγὸς ἐκείνων ἠξίου καλεῖσθαι [1] *cum Princeps omnium esset, ac Dominus, ducem se nihilominus illorum appellari voluit*; primusque Atheniensibus concessit ut Magistratus ille μέγας Στρατηγὸς vocaretur [2]; quemadmodum a Constantio Constantini ipsius filio Proaeresio concessum fuit ut Στρατοπεδάρχου *copiarum Praefecti* nomine appellaretur [3]. Quis vero fieri potuisse existimet ut a Constantino suscepta, aliisque etiam collata dignitas annonae solum administrandae munus complecteretur? Itaque omnino fallax, & dubia Meursii coniectura censeri debet, qui Strategos illos, *cum annona studiose procuranda obnoxium sibi Populum fecissent, paullatim summam autoritatem in se callide derivasse, & Archontes evertisse* putavit [4]. Ut enim hic argumenta cetera nihil morer, Strategi supremam, summamque autoritatem illam Athenis obtinuisse videntur cum dignitates omnes, ac munera non Populi suffragio, sed solo Caesarum, aut Romanorum Praesidum arbitrio conferrentur.

XXXVI. Denique eximius Auctor ille, ut ostenderet Strategos imperii summam, primumque honoris gradum Athenis occupasse, Archontesque Eponymos, *verum honorario solum titulo insignes, aliquandiu mansisse*, Inscriptionem hanc exhibet, *quae legebatur in Arce in vestibulo templi Minervae* τῆς πολιάδος, ibique a Cyriaco Anconitano anno 1437. exscripta fuit, atque inter Inscriptiones alias ab eodem Cyriaco collectas numer. 72. edita Romae anno 1654. quamvis iampridem a Grutero Pag. 105. num. 9. aeterni Operis, diversa tamen versuum dispositione, vulgata foret, atque exinde Meursius illam desumpsisset. Ea vero de caussa Cyriaci potius textum hic exprimam quod accuratior ille videatur, eiusque liber, cuius mihi copiam doctissimus Gorius perhumaniter fecit, eximiae raritatis sit.

Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑΙ ΡΩΜΗΙ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΩΙ
ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ
ΠΑΜΜΕΝΟΥ ΤΟΥ ΖΗΝΩΝΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ ΙΕΡΕΩΣ ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ
ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΕΝ ΑΚΡΟΠΟ
ΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ ΠΟΛΙΑΔΟΣ

ΜΕΓ-

(1) Iulian. Orat. I. pag. 8. (2) Iulian. ibi. et Gregoras lib. VII. (3) Eunap. in Proaeres. (4) Arch. Athen. lib. I. c. 9.

ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΑΣΚΛΕΠΙΑΔΟΥ ΑΛΑΙΕΩΣ
ΘΥΓΑΤΡΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΡΕΟΥ ΤΟΥ
ΜΟΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ

Populus Deae Romae, & Augusto
Caesari. Praefecto Armigerorum
Pammene Zenonis filio
Marathonio, simulque *Sacerdote Deae Romae*
& Augusti Servatoris in Acropo-
li. Sacerdote Minervae Poliadis
Megiste Asclepiadis Halaei
filia. Archonte Areo filio
Morionis Paeaniensis

Plurima hic tamen eruditissimo Meursio fraudi fuisse suspicor; atque illud in primis quod hic στρατεγὸς priori loco ante Archontem Eponymum memoretur, & Pammenes etiam ille στρατηγὸς ἐπὶ τὰς πολίτας dicatur, ac si Civibus ille singulis, atque universo Atheniensi Populo, iuxta Philostrati hypothesim, imperaverit. Sed quolibet hic ego pignore contenderim non πολίτας, verum ὁπλείτας legendum esse; idque ex veteribus Inscriptionibus aliis facile ostendi posse putaverim, in quarum plurimis στρατηγοῦντος ἐπὶ τὰς ὁπλείτας (1), sive στρατηγήσαντα ἐπὶ τὰς ὁπλείτας (2), occurrit; nullibi vero πολίτας legitur: sicuti nullo veterum testimonio probari unquam poterit dignitatem illam στρατηγήσαντος ἐπὶ τὰς πολιτας tunc Athenis fuisse. Itaque solo scriptoris, vel quadratarii vitio hic πολίτας non ὁπλείτας expressum fuit; quemadmodum certe apud Gruterum, & Meursium error hic etiam alius irrepsit ut θυγαστρος legeretur, cum dubio procul θυγατρος, sive θυγάτερος scribendum foret: sicuti in alia quoque Inscriptione legitur ἐπὶ Ἱερείας Κλαυδίας Τειμοθέας τῆς Τειμοθέου Γαργηττίου θυ (3). atque de eiusmodi feminis, quae Minervae Poliadis Sacerdotio fungebantur, apud Strabonem (4), Athenaeum (5), aliosque plures mentio subinde occurrit. Quod vero Strategi nomen ante Archontis Eponymi nomen collocetur, argumento esse non poterit Archontem ipsum *honorario solum titulo insignem* fuisse; cum in pluribus Inscriptionibus aliis,

 quae

(1) Spon. Pop. Attic. artic. 163. et 124. (2 Ibi Attic. 43. (3) Spon. Pop. Attic. artic. 32. (4) Lib. IX. (5) Lib. IX. c. . . . vid. Meurs. Lect. Attic. II. c. 14.

quae Novemviris supremam adhuc dignitatem occupantibus excitatae sunt, Strategi nomen ante nomen Archontis Eponymi collocetur; ut Dissertatione X. ostendetur, ubi de Nicia, atque Themistocle Eponymis Atheniensium Archontibus agendum erit, quorum uterque ante Hadriani, & Gallieni tempora, ideoque ante sublatos Eponymos imperavit.

XXXVII. Sed haec leviora fortasse videri poterunt, quaeque in eruditissimo Viro ad alia properante merito dissimulentur. Illud certe gravius quod opinioni huic confirmandae Inscriptionem illam attulit, quae Augusti Caesaris aetate posita fuit: iis nimirum temporibus, quibus Archontes Eponymi supremum adhuc honorem Athenis obtinebant, ut Meursius ipse fatetur; simulque Plutarchi, & Philostrati testimonia produxit, quorum tamen uterque, Meursio ipso teste, florentibus adhuc Novemviris vixisse debuit. Perspicuum est enim, pluribusque in locis (1) a Meursio demonstratum quod Hadrianus Caesar Archontis Eponymi dignitatem, veluti Athenis omnium supremam obtinuit; atque, Eponymorum aliorum instar, Dionysia Sacra celebravit. Α'δριανὸς τά τε Διονύσια τὴν μεγίςην παρ' αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας λαμπρῶς ἐπετέλησε (2) *Hadrianus Dionysia quoque supremum apud ipsos* Athenienses *magistratum gerens splendide celebravit*: quemadmodum Phlegon Hadriani ipsius libertus scriptum reliquit ἄρχοντος Α'θήνησιν Α'δριανȣ̃ τȣ̃ Α'υτοκράτορος γενομένȣ ὑπατευόντων ἐν Ρώμῃ Α'υτοκράτορος Τραιανȣ̃ τὸ ἕκτον, ϗ Τίτȣ Σεξτίȣ Α'φρικάνȣ (3) *Archonte Athenis Hadriano*, *qui* postea *fuit Imperator*, *Consulatum Romae gerentibus Imperatore Traiano sextum*, *& Tito Sextio Africano*, hoc est anno 4. Olymp. CCXXII. sive V. C. 865. Christi vero 112. Macrinus etiam Olympiadis CCXXIII. anno 4. Iason Olymp. CCXXXIII. anno 4. & Philinus anno 1. Olymp. CCL. Archon fuit. Denique Gallienus etiam, Hadriani Caesaris instar, tanquam Eponymus, a Meursio Fastis adscribitur: *Ultimus*, inquit, *omnium*, *quem invenio*, *Gallienus*; *is enim cum Imperator a militibus crearetur*, *magistratu hoc fungebatur*. *Narrat Trebellius in Gallienis*: Cum tamen sibi milites dignum Principem quaererent, Gallienus apud Athenas Archon, idest summus Magistratus, erat. *Idque factum*, *ut ex Fastis Capitolinis*, *Siculisque observare est*, *Olymp. CCLX. an.* I. *Vi-*

(1) Lib. IV. c. 19. & I. c. 9. et de Fortuna Ath. c. 10. (2) Dion. lib. 69. Xiphil. in Hadrian. et Spartian. (3) Mirabil. c. 25.

Vltra nemo, aut perpauci; & Στρατηγοὶ *invasere, ut supra dixi Libro I. cap.* 9. Ergo, si Hadrianus Caesar Olympiade CCXXII. & Gallienus Olymp. CCLX. Athenis Eponymus Archon fuit, paulloque post Olympiadem istam, sive annum Christi 253., sublatis Archontibus, Strategi invasere, manifestissime inferri debet, quod Archontis Arei, Plutarchi, Lolliani, ac Philostrati aetate, qui Gallieni Caesaris imperium longe praecesserant, nondum supremam Athenis dignitatem Strategi occupaverant, secus ac Meursius laudato loco demonstrandum susceperat. Sicuti vero Strategi dignitatem Constantini Caesaris aetate maximam, omniumque primam fuisse Meursius, Spanhemius, aliique plurimi demostrarunt, quod eam Caesar ipse susceperit; ita quoque fatendum erit Hadriani, & Gallieni temporibus Archontis Eponymi dignitatem ceteris omnibus nobiliorem adhuc fuisse, quod Caesares illi non *Strategi*, sed *Archontis* potius munere perfuncti fuerint; eamque dignitatem, veluti τὴν μεγίστην παρ᾽ Ἀθηναίοις ἀρχὴν *apud Athenienses maximam*, ut Xiphilinus diserte dixerat, *summumque Magistratum*, ut Trebellius loquitur, occupaverint. At neque Eponymus solum Archon, sed Polemarchus etiam iis temporibus eligebatur, eademque munera obibat, quae prius ab illo peragi consueverant [1]. Id ex Philostrato deprehendo, qui memorat Philiscum Sophistam circa Olymp. CCXLVIII. sepultum fuisse ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ οὗ τίθησι τὸν ἀγῶνα ἐπὶ τοῖς ἐκ τῶν πολέμων θαπτομένοις ὁ Πολέμαρχος [2] *in Academia ubi certamen super iis, qui in bello occubuerunt, Polemarchus disponit*.

XXXVIII. Quae cum ita sint Archontum Eponymorum dignitas, ac Novemvirorum Senatus ineunte IV Ecclesiae Seculo, atque praesertim Constantini Caesaris aetate sensim excidisse videtur. Translata nimirum in Orientem Romani Imperii sede, abolitis Ethnicorum Sacerdotiis, novaque regiminis forma in Orientis Urbibus instituta, facile Athenis etiam novus Magistratus nuper invectus invaluit, qui Caesaris auctoritate *Praetoris*, vel *Strategi* nomine praesideret; quamvis ille, Novemvirorum instar, Atheniensis Populi suffragiis eligeretur. Utrumque mihi perspicuus ille Hesychii locus ostendit, quem paullo superius exscripsi. Ubi nimirum dixisset Hesychius Ecclesias omnes, atque Comitia antiquitus in Pnyce celebrata fuisse,

(1) Vid. Pollu. VIII. c. 9. seg. 4. (2) Vit. Sophist. II. num. 30.

iſſe , repente ſubdit νυνὶ δὲ ἅπαξ ὅταν Στρατηγὸν χειροτονῶσιν ; *nunc vero ſemel quando Strategum eligunt*. Itaque cum Heſychius ineunte IV. Eccleſiae Seculo obierit (1), perſpicuum fiet ipſius aetate Novemviros non amplius Athenis electos fuiſſe , aut veterem certe eligendi ritum in deſuetudinem abiiſſe ; ſolumque Strategum in veteri , ſolemnique Comitiorum loco tunc eligi conſueviſſe , qui veluti ſupremus in Urbe Magiſtratus tenuem quandam veteris imperii , ac dignitatis ſpeciem exhiberet . Quinetiam poſtremis illis temporibus , quibus Athenis Novemviros adhuc floruiſſe diximus , ipſorum poteſtas mirifice labefactata iam fuerat ; ut plurima proinde , quae ad Novemviros ipſos , vel alia Athenienſium tribunalia ſpectaverant, ad Graeciae Proconſulem veluti iudicem deferrentur (2) . Philoſtratus certe in Hadriani Sophiſtae Vita memorat ipſum , cum homicidii crimen Athenis perpetraſſet , ad Graeciae Archontem delatum eſſe ; quippequi , licet Phoenicius genere , Athenienſi tamen Civitate donatus, Atticae Tribui , Populoque inſcriptus fuerat : οἱ δὲ προσήκοντες τῷ τεθνεῶτι γράφονται τὸν Σοφιστὴν φόνου παρὰ τῷ τῆς Ἑλλάδος Ἄρχοντι , ὡς ἕνα Ἀθηναίων ἐπειδὴ φυλή τε ἦν αὐτῷ , καὶ δῆμος Ἀθήνησιν (3) quae Cl. Fabricius latine ſic reddidit : *Cognati autem defuncti apud Achaiae Praeſidem caedis accuſarunt Sophiſtam , ut Athenienſium unum , quandoquidem & Tribus ipſi erat Athenis , & Pagus*. Quod ſi circa Olympiadem CCXLII. ſive annum Chriſti 193. , quo Hadrianus ille e vivis exceſſit , Novemvirorum dignitas a proprio ſplendore adeo exciderat , mirari certe non poſſumus , ſi Strategorum poteſtas , qui ſublatis Novemviris , tandem electi ſunt , anguſtis veluti finibus circumſcripta fuerit , quamvis illi ſupremam Athenis dignitatem occuparent . Ac certe quod Strategi nomine non alius quam ſupremus Urbis Moderator , vel Praeſes intelligatur perſpicue , ut opinor , oſtendit Modeſtinus , quem ad Gordiani Caeſaris tempora , ſive annum Chriſti 240. vixiſſe conſtat . Siquidem ille libro XXVII. in Digeſt. Tit. 1 de Excuſation. leg. 15. ait ἐὰν ὁ τῆς πόλεως Ἄρχων , τουτέστιν Στρατηγὸς *ſi Civitatis Archon* , Magiſtratus , *hoc eſt Strategus* . Quod autem eiuſmodi Strategi dignitas poſt Gordiani tempora Athenis etiam ſuprema fuerit , Strategique nomine , Archontis Eponymi inſtar , ani

(1) Vid. Fabrici. Bibl. Graec. lib. V. c. 5. (2) Vid. Eunap. in Iuliano , et Proaereſio , et Plin. Epiſt. 24. lib. VIII. (3) Lib. I. num. 10. c. 3.

ni, vel tempora distinguerentur ex sequenti Inscriptione colligi fortasse potest, quae inter alias a Cyriaco Anconitano collectas num. 97. edita fuerat; iterumque ex Cyriaci Schedis a Clariss. Muratorio Pag. 471. numer. 8., omisso tamen titulo, exhibetur.

Athenis ad Urnam in Palladis aede marmoream.

ΑΥΡ. ΠΑΡΑΣΙΟΣ ΕΥΤΥΛΙΔΟΥ ΦΛΙΑΣΙΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ Π. ΑΙΛ. ΑΛΚΙΔΑΜΟΥ ΧΟΛΕΙΛΟΥ ΚΗΡΥΚΟΣ
ΒΟΥΛΗΣ ΑΙΛΙΟΥ ΧΡΥΣΟΥ ΣΦΗΤΤΙΟΥ

Aurelius Parhasius Eutylidis filius *Phliasius dicavit*
Stratego P. Aelio Alcidamo Chollide. Praecone
Senatus Aelio Chrysi filio *Sphettio.*

Utrobique tamen rescribi velim Χολλείδου, ut Χολλεῖδαι Atticae Populus exprimatur, quem Meursius quidem Aegeidi, sed Harpocration Leontidi Tribui adscribit. Phliasius vero dicitur Aurelius ille quod ad Φλύαν Atticae Populum spectaverit: minus enim feliciter latinus Inscriptionis interpres apud Muratorium adnotavit: *Phliasius, idest ex Phliunte oppido Sicyoniae, aut Peloponnesi.*

XXXIX. Quamvis tamen illa Strategorum dignitas omnium suprema evasisset, nihilo tamen minus vetus etiam Archontis nomen subinde occurrit: non ut Archontem Eponymum, aut aliquem ex Novemviris significet; sed potius ut Magistratum alium, quicumque ille fuerit, exprimat. Ita Theagenes quidam Ἄρχων Ἀθηναῖος a Suida memoratur; illudque nomen Meursium abripuit ut Theagenem istum, veluti Eponymum, Archontum Fastis adiungeret (1): cum tamen Theagenes ille circa annum Christi 550. floruerit, ut Dissertatione VII. fusius ostendam, adeoque ex Eponymorum Fastis expungi debeat. Sic etiam Flavius Prulades ille, qui in altera Inscriptione apud Cyriacum (2), Gruterum (3), Sponium (4), & Muratorium (5) διασεμνότατος Ἄρχων, καὶ ἀπὸ Κομίτων vocatur, ad IV. Ecclesiae Seculum spectasse debuit, quo Comitum dignitatem institutam esse erudimur, ut eadem Dissertatione accuratius exponam. Itaque Prulades Eponymus Archon esse non potuit, ipsumque me-

(1) In Addit. ad Arch. Ath. ap. Gron. Praef. Tomo IV. (2) Num. 73. (3) Pag. 468. (4) Pag. 18. (5) Pag. 560. num. 1.

merito Meurſius in Archontum ſerie minime enumeravit: quod a Dodvello tamen, aliiſque factum conſpicimus. Neque ſublatis ſolum Novemviris, Strategiſque inſtitutis, *Archontis* nomen Magiſtratibus omnibus exprimendis adhiberi conſueverat; ſed florentibus etiam Novemviris, ipſorumque dignitate adhuc incolumi ſaepiſſime adhibebatur: ut facile exemplis innumeris oſtendi poſſet, quorum plurima ſubinde in Diſſertationibus iſtis occurrent. Eximium tamen hic locum exſcripſiſſe iuverit, quem doctiſſimo, humaniſſimoque Viro Leopoldo Guadagnio in Academia noſtra Pandectarum Interpreti, Graecarumque rerum cognitione mirifice exculto debeo. Paulus in L. Pars literarum 48. Dig. de Iudiciis = *Pars literarum D. Hadriani* = τȣ̀ς Ἄρχοντας ἐν ῷ ἄρχȣσιν ἐνιαυτῷ μήτε ἐισιέναι δίκην ἰδίαν, μή τε διωκόντων, μήτε φευγόντων, μήτε περὶ ὧν ἐπίτροποι, ἢ κȣράτορες εἶεν, κρινέτωσαν. ἐπειδὰν δὲ ἐξήκῃ ἡ ἀρχὴ, καὶ αὐτοῖς πρὸς τȣ̀ς φεύγοντας, καὶ τοῖς φεύγȣσι πρὸς αὐτȣ̀ς ἐισαγωγίμȣς εἶναι τὰς δίκας. *Archontes*, ſeu Magiſtratus, *quo anno cum imperio ſunt, neque eorum, neque quorum tutelam, vel curam gerunt, cauſam in iudicio vel agendo, vel defendendo, ſuſtinento. Simul ac vero magiſtratus dies exierint, non ipſis tantum adverſus reos ſuos; ſed etiam aliis adverſus ipſos litem intentare ius faſque eſto*. Ad legem iſtam Alciatus Diſpunctionum Lib. IV. c. 6. & Cuiacius in Librum III. Reſponſ. Iulii Pauli & ad tit. Dig. de Iudiciis haec adnotavit = *Ait* τȣ̀ς Ἄρχοντας: *non eſt ſpecialiter accipiendum de Athenienſium Magiſtratibus; accipe generaliter Magiſtratus, vel Praeſides*. Frequentius tamen poſt Hadriani Caeſaris tempora *Strategi*, quam *Archontis* nomen, ſupremis Urbium Magiſtratibus exprimendis, adhibebatur; ideoque Strategi nomen in Nummis frequentiſſime deinde occurrit, ut eſt ab Harduino obſervatum: *Illud dignum notatu ante Antonini Pii*, qui Hadriano Caeſari in Imperio ſucceſſit, *tempora* Στρατηγȣ̃ *nomen in Nummis vix ſemel occurrere; quod ab illius principatu paſſim offendas* (1); quamvis eiuſmodi Strategi nomen a Domitiani quoque aetate incepiſſe Vaillantius (2), atque Spanhemius (3) exiſtiment. Nullibi tamen, quod noverim, in Athenienſium Nummis Strategi nomen occurrit. Vaillantius quidem Nummum exhibet (4) Commodi Caeſaris aetate percuſſum, in quo di-

(1) Nummi Colon. in Aezanit. (2) Num. Imper. pag. 318. (3) Ad Orat. I. Iuliani.
(4) Pag. 66.

diserte legitur Στρα. Ηρακλειδου. Ομο. Αθηναιων. Σμυρναιων. *Stratego Heraclide. Concordia Atheniensium, & Smyrnaeorum*; ipsumque ceteros inter Atheniensium Nummos enumerat [1]. Sed Smyrnaeorum potius Nummis hunc accensendum esse plurima ostendunt, quae Dissertatione XI. oportunius proferentur. Id unum hic obiter indicasse iuverit eadem Commodi Caesaris aetate, eodemque, ut videtur, anno Nummum alium cusum fuisse, qui apud Vaillantium ipsum describitur [2], & in quo legitur Στρα. Ηρακλειδου. Ομο. Σμυρ. Λακεδαι. *Stratego Heraclide. Concordia Smyrnaeorum, & Lacedaemoniorum*. Ergo Heraclides ille, qui utrobique *Strategus* fuisse dicitur, non ad Athenienses, aut Lacedaemonios; sed ad Smyrnaeos potius, qui cum utrisque societatem iniverant, spectasse debuit; ideoque Nummus ille non Atheniensium, sed Smyrnaeorum potius censendus erit: ut optime Nummum alium eadem epigraphe insignitum a Smyrnaeis percussum fuisse Vaillantius existimavit. [3]

XL. Quandiu vero Strategi Athenis imperaverint, quibusque deinde imperii formis, ac vicissitudinibus obnoxiae illae fuerint, Meursius, Sigonius, aliique innumeri demonstrarunt. Nihil est tamen cur in exponendis illis hic immorer; cum praesertim Strategorum series omnino incerta sit, atque civiles Atheniensium anni non Strategorum, Ducumque nominibus, sed characteribus potius aliis distingui, vel numerari solerent; ideoque Strategorum nomina ad Fastos Atticos spectare minime videantur. At Regum, Archontumque series, Novemvirorum institutio, atque Eponymi praesertim Archontis dignitas accuratius explicanda nunc fuerat, quod a primis usque temporibus civiles Atheniensium anni ipsius nomine distingui, vel numerari solerent; ideoque ex eiusmodi Archontum serie, nominibusque maximus Atticae Historiae splendor accedat. Nec alia certe de caussa Archon ille Ἐπώνυμος appellabatur, nisi quod anno nomen imponeret; suoque nomine certo veluti charactere annum ipsum a ceteris omnibus distingueret; ut diserte docet Libanius in Argumento Orationis contra Androtionem: εἷς (Ἄρχων) Ἐπώνυμος, ἐξ οὗ καὶ ἐνιαυτὸς ἐπώνυμος ὠνομάζετο Archon *unus Eponymus* erat, *a quo annus* ipse *denominabatur*; quemadmodum Etymologus etiam ait ἔστιν οὖν ὁ τὴν ἐπώνυμον ἄρχων ἀρχὴν, ἀφ' οὗ καὶ ἐνιαυ-

(1) Pag. 192. (2) Pag. 74. (3) Pag. 222.

τὸς ἐμετρεῖτο (1) *est igitur Eponymus Archon, a quo annus numeratur*. Hinc ille a Polluce (2) ὁ τῶ ἐνιαυτῶ ἐπώνυμος Ἄρχων vocatur, *Archon annum denominans*; *ab illo* nimirum *tempus numeratur*, καὶ ἀφ' ἀυτοῦ ὁ χρόνος ἀριθμεῖθαι (3): ut a Philone quoque dictum conspicimus Ἄρχων Ἀθήνησιν ὁ Ἐπώνυμος, καὶ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων ἄριστος, ἀφ' οὗ οἱ χρόνοι καθαριθμοῦνται (4): est *Archon Athenis Eponymus, atque Archontum novem praecipuus, a quo tempora numerantur*. Itaque nihil in Atticis, ceterisque Graecis Scriptoribus frequentius occurrit quam Eponymi Archontis nomen, ut certus aliquis annus designetur: quod in sequentibus Dissertationibus, Atticisque Fastis exemplis innumeris ostendetur.



DIS-

(1) In Archon. (2) Lib. VIII. c. 9. seg. 85. (3) Seg. 89. (4) Lib. de Abrah.

DISSERTATIO II.

SYNOPSIS.

I. IN *Athenienſium temporibus rite digerendis verum civilis, & Archontici anni principium conſtitui debet.* II. *Maxima Scaligeri, Petavii, ac Dodvelli diligentia in exploranda, deſcribendaque civilis Attici anni forma commendatur.* III. *Scaligeri, ac Petiti ſententia de civilis Attici anni forma, & quantitate, duplicique menſium Athenienſium genere exponitur.* IV. *Petavii, ſimulque Dodvelli hypotheſes, ipſorumque argumenta contra Scaligerum indicantur.* V. *Petavii tamen, ac Dodvelli ratio ex pleniluniorum ſede deducta in dubium revocatur.* VI. *Inſignis Plutarchi locus corrigitur, ac illuſtratur; ipſoque confirmatur civiles Athenienſium menſes ſemper lunares fuiſſe, aut plenilunia in mediam civilis menſis diem, etiam ante Metonis Enneadecaeteridem, incidiſſe.* VII. *Alter Plutarchi locus emendatur.* VIII. *Athenienſium menſium ordo deſcribitur, obiterque cum Romanis menſibus illi comparantur.* IX. *Petavii, aliorumque opinio de menſium cavorum ordine, ac loco proponitur.* X. *Opinionis ipſius ambiguitas declaratur. Antiphontis tamen teſtimonio demonſtratur Hecatombaeonem aliquando plenum fuiſſe, ideoque pares menſes ſemper cavos eſſe non potuiſſe.* XI. *Variae Auctorum ſententiae circa exemptilium dierum ſedem proferuntur.* XII. *Petiti ſententia de exemptilium dierum ſede Antiphontis, atque Aeſchinis teſtimonio confutatur.* XIII. *Eiuſdem Petiti Periodus, atque ſententia de duplici menſium Athenienſium genere, & exemptilium dierum ſede Antiphontis etiam teſtimonio refellitur; & obſcura quaedam Demoſthenis loca contra Petitum ipſum, Meurſium, alioſque Faſtorum Scriptores explicantur.* XIV. *Dodvelli argumenta contra Petavium proferuntur, eorumque ambiguitas demonſtratur.* XV. *Petavii opinio circa exemptilium dierum ſedem altero Demoſthenis teſtimonio confutatur. Scholiaſtes Ariſtophanis contra Petavium, & Dodvellum exponitur. Scaligeri, Petiti, aliorumque opinio de diebus* ἀνάρχοις *impugnatur.* XVI. *Dodvelli hypotheſis de exemptilis*

diei ſede exponitur. XVII. *Eadem Dodvelli ſententia Gemini teſtimonio confutatur*. XVIII. *Plinii quoque, & Dionyſii Halicarnaſſei teſtimonia contra Dodvellum proferuntur*. XIX. *Etiam Pollucis auctoritas a Dodvello uſurpata contra Dodvellum ipſum exponitur*. XX. *Alter Pollucis locus contra Dodvellum affertur*. XXI. *Gemini doctrina contra Petavii, atque Dodvelli hypotheſim explicatur*. XXII. *Civilis, & Archonticus annus ante Olymp. LXXXVII. Gamelione menſe incipiebat. Scaligeri error demonſtratur. Civilis, & Archonticus annus poſt Olymp. LXXXVII. Hecatombaeone menſe una cum olympico incepit. Embolimaeus tamen menſis poſt Poſideonem inſerebatur. Dodvelli opinio notatur*. XXIII. *Obſcurus Thucydidis, eiuſque Scholiaſtae locus indicatur*. XXIV. *Verum civilis, ſimulque Archontici anni principium ex Demoſthene confirmatur*. XXV. *Antiphontis etiam teſtimonio probatur*. XXVI. *Idem civilis anni principium ex Prytaniarum ordine aſſeritur*. XXVII. *Quid Prytaniae nomine intelligatur. Scaligeri error oſtenditur*. XXVIII. *Petavii, & Petiti ſententia refellitur; ſimulque Ulpiani teſtimonium contra Petiti, & Prideauxii hypotheſim explicatur*. XXIX. *Prytaniarum ſeries iuxta Dodvelli hypotheſim contexitur; iterumque civilis, & Archontici anni forma iuxta Dodvellum deſcribitur*. XXX. *Maxima perturbatio indicatur, quae in civilibus Athenienſium annis, menſium ordine, dierumque numero tandem invecta fuit*.



DIS-

DISSERTATIO II.

De civilis Attici anni forma quantitate ac initio. De mensium nominibus ordine ac varietate atque exemptilium dierum sede.

I. Civiles illos, ac populares annos, qui ab Atheniensibus adhibebantur, Archontis Eponymi nomine designari, ipsoque veluti charactere distingui consuevisse, singulosque Novemviros integro civilis anni spatio supremam dignitatem illam Athenis obtinuisse superiori Dissertatione demonstravi. Itaque nativus rerum differendarum ordo iam postulat ut de civilis eiusmodi, vel popularis anni forma, quantitate, principioque nunc loquar; ut Archontici simul anni principium, vel mensis ille ostendatur, quo Athenis Novemviri magistratum illum susceperint. Incredibile est enim quantum exinde splendoris, atque praesidii in Atheniensis Historiae temporibus rite digerendis oriatur, ut res quaedam Archontis alicuius nomine ab Historico designata ad annum illum olympicum, quo ipsa vere contigerit, referatur: cum praesertim civilis Atticus annus non ab uno, eodemque mense semper inceperit, ut inferius ostendetur; sed aliquando quidem a Gamelione, aliquando vero ab Hecatombaeone mense processerit: ut sex proinde mensium intervallum inter utrumque civilis anni principium intercesserit. Sic, ut exemplo res clarior fiat, cum Peloponnesiacum bellum Pythodoro Athenis Archonte, ac Munichione mense exarserit, ut testatur Thucydides (1), ipsius initium ad annum 1. Olymp. LXXXVII. manifestissime referri debet, quod, instituta iam Metonis Enneadecaeteride, civilis, & Archonticus etiam Pythodori annus una cum olympico a superiori Hecatombaeone procederet. Quod si Pythodorus ipse, praecedentium Archontum

(1) Lib. I.

tum instar, Gamelione mense magistratum iniisset, Peloponnesiaci belli principium ad praecedentem annum 4. Olymp. LXXXVI. referri deberet.

II. Atque in illustranda quidem civilis Attici anni forma plurima dicenda mihi suppeterent ex optimis quibusque Scriptoribus derivata, quibus & anni quantitas, & mensium ordo, & exemptilium dierum sedes, & alia id genus plura subtilius exponerentur, quae a doctissimis Viris maximo opinionum dissidio, ingeniique gloria disputata fore conspicimus. Sed illa Fastorum Atticorum series, quam contexendam suscepi, subtiliorem istam, accuratioremque civilis anni cognitionem minime requirit, quae singula ad vivum resecet, atque incredibilem varietatem illam, quae in Graecis Historicis, atque Astronomis etiam subinde occurrit, legentium oculis longa Tabularum serie subiiciat. Accedit etiam quod argumentum illud a summis, doctissimisque viris Scaligero, Petavio, ac Dodvello subtiliter adeo, erudite, copioseque pertractatum fuit, ut tres illi maiorum gentium Chronologi materiam omnem exhausisse, eamque immortalibus, aureisque Operibus illustrasse merito existimentur: ut nihil proinde afferri nunc posse videatur, in quo Scriptores illi vel ingenii acumine, vel ipsa temporis oportunitate ceteris pone sequentibus palmam non praeripuerint. Itaque, ne ab instituto deflectam, simulque tamen eam civilis Attici anni cognitionem in ipso Fastorum Atticorum limine exponam, quae Atheniensium temporibus rite digerendis, Fastisque ipsis accurate illustrandis par esse possit, suprema solum hic rerum capita complectar; atque ubi singulas opiniones illas expressero, quae de civilis Attici anni forma a clarissimis Viris illis inventae fuerant, meliori quo poterit ordine plura subinde proferam, quibus ipsorum hypotheses aliquando corrigi, si falsae illae fuerint; aliquando confirmari, si ambiguae sint; aliquando denique novis observationibus, Veterumque testimoniis illustrari commode possint. Cetera siquidem diligens earum rerum perscrutator ex uberrimis fontibus illis, atque Dodvello praesertim, haurire poterit; simulque etiam plura neque iniucunda, neque inutilia seligere, quae variis in locis, prout rerum oportunitas tulerit, in Fastis istis, praecipue vero in Dissertatione III. & X. proferentur.

III. Vt

III. Vt vero a Scaligero exordiar, qui primus in maxima obſcuritate facem extulit, primuſque veram Chronologiae inſtaurandae rationem poſteris demonſtravit, accuratiſſimus Auctor ille civiles, ac populares Athenienſium annos ſemper ſolares fuiſſe exiſtimavit (1): cumque perſpicuis Veterum teſtimoniis lunarem etiam annum ab Athenienſibus uſurpatum eſſe intelligeret, hanc anni lunaris formam a Magiſtratibus ſolum adhiberi conſueviſſe putavit, cum Populus conſtantiſſime ſolaribus menſibus uteretur. Hinc duplex etiam menſium genus, ut Scaligero videbatur, Athenis obtinuit; quorum alii quidem lunares, atque alterne pleni, cavique forent, ideoque lunarem annum 354. diebus conſtantem componerent; alii vero ſolares, iidemque civiles eſſent, quorum ſinguli τριακονθήμεροι, ſive *triginta dierum* forent, adeoque civiles annos 360. dierum efficerent. Duodecim tamen civilibus menſibus illis, ſive Poſideoni ſolarium menſium olim poſtremo ſingulis annis duo ἄναρχοι dies adiungebantur (2), quibus nimirum, veteribus Magiſtratibus in ordinem redactis, univerſa demum poteſtas uni Populo conceſſa foret, atque Comitia novis creandis Magiſtratibus haberentur (3): ideoque civilis, ac popularis annus 362. dies complecti debuit. Quandoquidem vero Athenienſes Apollinis oraculo, atque Solonis inſtituto ad Solis, ſimulque Lunae rationes tempora diſponere, feſtoſque dies peragere iubebantur, duplex illa lunarium, ſolariumque menſium ſeries hoc tandem veluti foedere coniungebatur, ut ſolaris anni principium, ſive prima menſis Hecatombaeonis ſolaris dies, peracta populari Tetraeteride, ſive 4. civilium annorum ſpatio, iterum in primam Hecatombaeonis lunaris diem, ſive neomeniam incideret; ideoque lunaris anni principium cum civilis, ac popularis anni principio iterum coniungeretur. Siquidem Tetraeteris illa civilis, aut 4. civiles anni, 48. populares menſes octoque ἀνάρχους dies, ſive dierum 1448. ſummam conficiunt; lunaris vero Tetraeteridis, ſive Olympiadis ſpatium 49. lunares menſes, ſive 1447. dies complectebatur, cum olympici ludi peracto 49. menſium ſpatio redirent (4); quorum 48. communes eſſent; ultimus vero, Poſideonis II. nomine deſignatus, inſititius, ac embolimaeus foret, adeoque poſtremum Tetraeteridis lunaris annum 13. menſium efficeret.

(1) De Emend. Temp. Lib. I. pag. 13. 42. et Canon. Iſag. Lib. III. c. 7. (2) Can. Iſag. Lib. c. 7. (3) Ex Arg. in Demoſth. contra Androt. (4) Schol. Pindar. ad Olymp. III.

ceret. Itaque unicus ſolum dies ex populari Tetraeteride eximendus erat ut quinti popularis anni principium cum quinti lunaris anni principio conſpiraret. Exemptilem vero diem iſtam non aliam fuiſſe putavit Scaliger quam ſecundam Boedromionis, quae certe, Plutarcho teſte, ab Athenienſibus eximebatur, ut inferius oſtendam [1]. Atque iſta quidem fuit *ingenioſiſſima*, ut ait Scaliger, popularis Tetraeteris illa, quae ſemper olim Athenis a Populo uſurpata fuit: ſiquidem, ut opinatur ille, *lunaris anni forma tantum ad Magiſtratus pertinebat, neque ea unquam Populus uſus eſt, a quo menſes τριακονθήμεροι, & Tetraeterides extorqueri nunquam potuerunt, ne tunc quidem cum annus lunaris ab Hipparcho emendatior editus eſſet* [2]. Haec ipſa quoque lunarium, & popularium menſium varietas, atque diſcrimen Petito probata fuit [3] quippequi civilem Atticum annum 360. diebus ita compoſitum fuiſſe dixerit, ut popularium menſium dies a Prytaniae, vel Magiſtratuum diebus ſubinde plurimum diſſiderent: quamvis ipſius hypotheſis, atque Periodus, qua popularis anni principium cum lunaris anni principio iterum coniungeretur, a Scaligeri ſententia, ſive Periodo diſtinguatur. Illuſtrandae vero, vel confirmandae ſententiae ſuae plurima Scaliger, ſubtiliter ille quidem, ac ingenioſe congeſſit: atque illud in primis quod ſi popularis Athenienſium annus lunaris, adeoque populares etiam menſes lunares fuiſſent, ſemper eclipſes lunae, vel plenilunia in mediam menſis civilis, ac popularis diem incidere debuiſſent; cum tamen a Diodoro, Plutarcho, aliiſque Hiſtoricis plenilunia, & eclipſes quaedam memorentur, quae a media civilium, aut popularium menſium die aberraverint.

IV. Scaligeri hypotheſim, atque ingenioſiſſimam Tetraeteridem illam acerrime exagitavit Petavius [4]; perſpicuis nimirum, certiſque argumentis oſtendit quod non ſolum ab Olym. LXXXVII. inſtituta Metonis Enneadecaeteride, ſive 19. annorum Periodo, qua peracta, ſolaris anni principium cum lunaris anni principio conſpiraret; ſed ab ipſa quoque Solonis aetate, ſive Olymp. XLVI. lunares omnino menſes in civilibus etiam, ac popularibus annis ab Athenienſibus adhibebantur; ut civilis proinde, ac popularis annus ex 12. lunaribus menſibus

(1) Num. XV. (2) De Emend. Temp. Lib. II. pag. 63. (3) Eclog. Chronol. de Anno Atti. (4) De Doctr. Temp. Lib. I. c. 8. et Appen. ad Vranol. Lib. IV. c. 1, 2, 13.

bus alterne plenis, cavisque compositus 354. dies complecteretur, mensiumque embolimorum ope, iuxta varias Cleostrati, Metonis, Calippi, aliorumque Periodos tandem cum vero solari anno coniungeretur. Vt autem ostenderet ex testimoniis etiam illis, quae a Scaligero proferebantur, ipsius hypothesim, atque lunarium mensium a popularibus discrimen impugnari, illud etiam Petavius, veluti perspicuum certumque sententiae suae argumentum, arripuit quod *circa diem* 15. *popularium mensium plenilunia*, *& eclipses acciderunt* [1], quae a Diodoro, Plutarcho, aliisque Graeciae Scriptoribus memorantur. Haec ipsa quoque civilis, & popularis Attici anni forma subtilius deinde a Dodvello demonstrata fuit [2]; & quamvis ille post institutam Metonis Enneadecaeteridem in civilibus annis non 354. solum, ut volebat Petavius, sed potius 360. dies numeratos esse putaverit; lunarem tamen hunc annum fuisse dicit, quod ablatis nimirum 5. aut 6. exemptilibus diebus illis, qui iuxta Metonis hypothesim inferius exponendam singulis annis expungebantur, 354. sive 355. dies in anno communi superessent, qui in 12. menses distributi illos civiles simul, atque lunares efficerent. Ita vero lunares illi, simulque civiles Atheniensium anni in Metonis Enneadecaeteride cum veris solaribus annis coniungebantur ut, peracta 19. annorum periodo, lunaris Hecatombaeonis initium ad idem solaris anni punctum, sive solaris Hecatombaeonis initium rediret. Siquidem 19. solares anni, quorum quilibet 365. dies, & quartam insuper diei partem contineat, 6940. dierum summam conficiunt, quae in 235. lunares menses ita accurate distingui poterat, ut 230. ex illis alterne pleni, cavique forent, & 5. reliqui, qui suis in locis tanquam embolimaei in 19. annorum serie insererentur, 31. dierum forent. At Metoni integram illam 6940. dierum summam ita in 235. lunares menses partiri libuit, ut ex illis 125. pleni, & 110. cavi fierent. Etenim, si lunares menses illi 235. omnes *τριακονθήμεροι*, sive pleni forent, 7050. dierum summam conficerent; adeoque summam aliam ex 19. solaribus annis conflatam 110. diebus excederent. Ergo, ut solares tandem anni cum lunaribus annis conspirarent, in integra Enneadecaeteride, sive 235. lunarium mensium serie, 110. dies eximendi, sive 110. menses excavandi fuerant; ut proinde reliqui 125. pleni forent.

(1) Doctr. Temp. Lib. I. c. 8. (2) De Cyclis Differt. I. sect. 14. et. 32.

rent. Eiusmodi vero plenorum, cavorumque mensium sedem alternam esse non voluit Meto; sed cum numerus 110., dies nempe, qui in integra Enneadecaeteride eximendi fuerant, sit fere sexagesima tertia pars numeri 6940., hoc est dierum, qui in tota Enneadecaeteride continentur, ita exemptilium dierum rationem instituit, ut dies illa, quae a Cycli, vel Enneadecaeteridis initio 63. foret, exemptilis esset; iterumque post 62. dies alios altera dies eximeretur: sicque deinceps donec proinde in integra Enneadecaeteride, sive 6940. dierum serie, 110. dies exempti, adeoque 110. menses excavati forent. Embolimaei vero menses ita in Metonis Enneadecaeteride disponebantur, ut 3. 5. 8. 11. 13. 16. 19. Enneadecaeteridis anni semper embolimaei forent, tresdecim nimirum lunares menses continerent, quorum addititius ille Posideonis II. nomine distingueretur. Ac certe civiles eiusmodi, ac populares Atheniensium annos lunares fuisse exinde quoque perspicuum fieri putat Dodvellus quod plenilunia, lunaeque eclipses a civilium mensium dimidio minime dissiderent (1).

V. Doctissimis Viris illis, atque Dodvello praesertim, facile assentior; nihilque, ut opinor, illustrius, ac certius haberi unquam poterit, quam lunares menses Athenis tum a Populo, tum a Magistratibus etiam usurpatos esse; ut proinde ingeniosissima Tetraeteris illa, quae a Scaligero excogitata fuerat, simulque civilium mensium a lunaribus discrimen, quod Scaligeri vestigiis insistens Petitus etiam admiserat, manifestissime refelli debeat. Itaque tantum abest ut in definienda civilis Attici anni quantitate quidpiam subtilius, aut accuratius afferri a me posse nunc censeam, ut non aliam potius anni formam in Fastis istis contexendis adhibendam esse putaverim, quam quae a Dodvello proponitur; eamque novis Scriptorum testimoniis confirmandam, variisque ambiguitatibus, quae in illa supererant, eximendam susceperim. Ac certe, quod ad eclipsium, vel pleniluniorum sedem attinet, quamvis Dodvellus ipse cum Petavio nitide ostenderit lunares eclipses omnes, ac plenilunia, quae a Graecis Historicis memorantur, in mediam fere civilium, ac popularium mensium diem incidisse; facile tamen suspicari quis poterit ex paucis exemplis illis, quae tum a Petavio, tum a Dodvello proferuntur, inferri non posse

(1) Dissert. I. Sect. 7.

ſe quod menſes ipſi ab Athenienſibus uſurpati lunares eſſe debuerint. Etenim, quamvis illi cum Scaligero ſolares fuiſſe dicerentur, fieri tamen ſubinde poterat ut plenilunium aliquod, ſive media lunaris menſis dies in ſolaris etiam menſis dimidium incideret; quemadmodum certe in ſolaribus menſibus illis contingit, quibus in Iuliani anni forma nunc utimur. Accedit etiam quod plenilunia, & eclipſes illae, quae tum a Petavio, tum a Dodvello contra Scaligerum proferuntur, ſi fortaſſe plenilunium illud exceperis, quod tempore Salaminiae pugnae, ſive anno 3. Olymp. LXXXII. contigit [1], recentioribus omnia temporibus, atque inſtituta iam Metonis Enneadecaeteride, contigerunt; ideoque ambiguum ſemper ſupererit an ante Metonis aetatem lunaribus, an vero potius ſolaribus menſibus in popularibus ipſorum annis Athenienſes uti conſueverint. Itaque perſpicuis teſtimoniis aliis oſtendendum fuerat non aliquando ſolum, & poſt Metonis Enneadecaeteridem; ſed ubique potius, atque conſtanter antiquioribus etiam ante Metonem temporibus, plenilunia, aut eclipſes in civilium menſium dimidium incidiſſe: quod ex perſpicuo quidem Gemini teſtimonio Petavius, ex ipſa vero Metonicae Enneadecaeteridis natura deduxit Dodvellus. Sed, cum Metonis Enneadecaeteridem in popularibus annis uſurpatam eſſe Petavius negaverit [2]; atque viciſſim Dodvellus Gemini auctoritatem iu ſuſpicionem vocaverit, quippequi in deſcribenda Graeci anni forma non Athenienſis, ſed alterius fortaſſe Vrbis mores exprimere, atque non antiquiora, ſed ſua potius tempora reſpicere videatur [3], haec ipſa quoque pleniluniorum ſedes, adeoque civilis anni forma ambigua, vel obſcurior efficitur, niſi clarioribus monumentis aliis oſtendatur. Itaque e re futurum putaverim ſi communem hanc Petavii, & Dodvelli ſententiam illuſtri Plutarchi loco confirmem: quem ea quoque de cauſſa libenter hic proferam quod ipſius vis a nullo prorſus Interpretum explorata, ſed mirifice potius perturbata ſit; ſimulque depravatum alium Plutarchi locum reſtituam.

VI. Primus ille Plutarchi locus occurrit in Libro *de Herodoti malignitate*. Herodotus Lib. VI. commemorans Lacedaemonios ab Athenienſibus accitos eſſe, ut coniunctis omnium viri-

H 2 bus

(1) Thucyd. Lib. I. & Diod. Lib. XII. c. 4. (2) Doctr. Temp. Lib. II. c. 10. (3) Diſſer. I. ſect. 32.

bus in Marathone Perſis occurrerent ait Lacedaemonios Athenienſium legato reſpondiſſe tunc nonam menſis diem eſſe, ſibique proinde non licere tunc arma ſumere, quippequi lege prohiberentur in praelium ante plenilunium exire: *ἀδύνατα δέ σφιν τὸ παραυτίκα ποιέειν ταῦτα ἐ βελομένοισιν λύειν τὸν νόμον· ἦν γὰρ ἱςαμένε τε μηνός· ἐνάτη δὲ ἐκ ἐξελεύσεσθαι ἔφασαν, ἐ πλήρεος ἐόντος τε κύκλε· ἔτοι μέν ἐν τὴν πανσέληνον ἔμενον*: *non poterant vero iſto haec tempore facere quia violare legem nolebant*: *erat enim nona menſis dies, qua die exire ſibi licere negabant, orbe lunae non pleno*: *itaque plenilunium opperiebantur*. Deinde vero narrat Herodotus quod Lacedaemones ipſi poſt plenilunium Athenas celerrime tridui ſolius itinere convolarunt, ut Perſarum proinde cadavera adhuc inſepulta conſpexerint. Plutarchus vero, cum ſuperiora Herodoti verba exſcripſiſſet, ut Herodotum ipſum aperti mendacii, ac malignitatis argueret, aſſerit Lacedaemonios & alias ſaepius, & tunc etiam, non expectato plenilunio, in praelium exiiſſe; cumque Marathonia pugna ſexta Boedromionis menſis die contigerit, parum abfuiſſe quin Lacedaemones Athenas progreſſi praelium ipſum ſpectarent: tum ad Herodotum ipſum converſus repente ſubdit Σὺ δὲ μεταφέρεις τὴν πανσέληνον εἰς ἀρχὴν μηνὸς, διχομηνίας ἔσης, καὶ τὸν οὐρανὸν ὁμοῦ, καὶ τὰς ἡμέρας, καὶ τὰ πράγματα συνταράσσεις. Eximium hunc Plutarchi locum ita vertit Xylander = *Tu quidem, Herodote, plenilunium transfers in principium menſis quando luna dimidio orbe fulget; unoque conatu coelum, tempora, & res omnes conturbas*. Cruſerius vero = *Tu plenilunium in initium transfers dimidiae lunae*; quemadmodum voces illas ἦν γὰρ ἱςαμένε τε μηνὸς ἐνάτη &c. ita reddiderat = *Erat enim menſis dies primus; nova vero luna* &c. Quae ſane interpretationes tantum abeſt ut verum Plutarchi ſenſum exprimant, ut ne commodus quidem exinde ſenſus ullus exculpi poſſit. Itaque primo in graeco Plutarchi textu legendum exiſtimo ἦν γὰρ ἱςαμένε μηνὸς ἐνάτη, ἐνάτη δὲ &c. *erat enim nona menſis dies. Nona vero*: ſive ἐν αὐτῇ δὲ *in ipſa vero*. Deinde vero Plutarchi verba ſic intelligenda contendo ut ſenſum iſtum efficiant = *Tu quidem, Herodote, transfers plenilunium in principium menſis, cum plenilunium ipſum in dimidio menſis eſſe debeat*. Ac certe διχομηνίας nomine non aliud intelligere aut potuit, aut conſueverat Plutarchus, quam mediam menſis diem; illam nimirum, quae menſem bifariam divideret,

ret, & quae ab Hesiodo, Polluce teste [1], *μέση media*; ab aliis vero *πεντεκαιδεκαταία*, sive decimaquinta dicebatur. Ita Plutarchus ipse in *Dione* lunae eclipsim commemorans, quae contigit anno 1. Olymp. CV. ait *ἦν μὲν οὖν θέρους ἀκμὴ . . . ἡ δὲ σελήνη διχομηνίαν ἦγεν . . . ἐξέλιπεν ἡ σελήνη itaque adulta aestas erat, ac luna in plenilunio reperiebatur . . luna defecit*. Sic etiam *διχομηνία* definitur a Suida *τοῦ μηνὸς τὸ ἥμισυ. καὶ διχομηνιαία πεντεκαιδεκαταία τοῦ μηνὸς, ἢ τῆς σελήνης* [2] *mensis medietas & dies διχομηνιαία* est *decimaquinta mensis, vel lunae* dies. Denique Achilles Tatius in Aratum ait *πεντεκαιδεκαταία γὰρ ἐστι πληρωθεῖσα, ὅ ἐστι ἥμισυ μηνὸς* [3] *decimaquinta enim luna plena est, quod est mensis dimidium*: quemadmodum etiam Geminus [4] a Petavio, simulque Dodvello laudatus asserit quod plenilunia tribuuntur *νυκτὶ τῇ φερούσῃ εἰς διχομηνίαν illi nocti, quae tendit ad medietatem mensis*, atque *πανσέληνος ἐστι περὶ τὴν διχομηνίαν plenilunium circa dimidium mensis contingit*. Sed quid diutius hic immoror? Scaliger etiam ipse, ac Petitus, qui Plutarchi testimoniis uti subinde solent, facile concederent ex ipsius hypothesi plenilunia in mediam solum mensis diem incidere potuisse, ideoque illa temere ad initium mensis transferri. Sed haec ipsa tamen non de civilibus illi, vel popularibus, sed de lunaribus solum mensibus intelligenda fore reponerent. Verum, si Plutarchi sensus, & ratio, eiusque argumenti vis perpendatur, facile, ut opinor, constabit eiusmodi mensium discrimen Plutarcho, ceterisque proinde Atticis Scriptoribus omnino incognitum, adeoque commentitium habendum esse. Etenim, si Plutarchus ipse Atheniensis historiae, atque Chronologiae cognitione mirifice excultus deprehendisset populares aliquando menses a Graecis Scriptoribus, atque Atheniensi Populo usurpatos a lunaribus diversos fuisse, illud etiam facile, ac necessario observasset, quod media aliquando lunaris mensis dies, aut plenilunium, in sextam popularis mensis diem incidere poterat; adeoque fieri potuisse intellexisset ut Marathonia pugna sexta Boedromionis popularis die, simulque tamen circa plenilunii tempus, vel lunaris mensis medium contingeret. Ergo, si Plutarchus Herodoto veluti manifesti mendacii crimen opponit quod ille Marathoniam pugnam, quae sexta Boedromionis die commissa fuit, circa pleni-

(1) Lib. I. c. 7. (2) In Dichomen. (3) Cap. 21. (4) Cap. 6. vid Schol. Pind. ad Od. III. Olym.

nilunium contigiſſe dixerit, ipſumque proinde caelum, tempora, atque omnia ſimul conturbaſſe contendit, manifeſtiſſime inferri debet quod Plutarchus illud menſium diſcrimen omnino ignoravit, adeoque populares Athenienſium menſes non Herodoti ſolum, ſed etiam Marathoniae pugnae tempore ſemper lunares fuiſſe putavit; cumque Marathonia clades anno 2. Olymp. LXXII., ideoque 60. annis ante inſtitutam Metonis Enneadecaeteridem contigerit, ex eiuſmodi Plutarchi teſtimonio perſpicuum fiet populares omnes Athenienſium menſes ſemper lunares fuiſſe, veramque pleniluniorum ſedem non in lunaribus ſolum, ut volebat Scaliger, ſed in popularibus etiam menſibus circa mediam ipſorum diem incidiſſe. Nec erit ſane cur eiuſmodi argumenti vim ideo infirmari poſſe quis cenſeat quod immerito fortaſſe Plutarchus Herodotum reprehendiſſe videatur, atque Plutarchus ipſe in definiendo Marathoniae pugnae tempore erraverit, ut oportunius alibi inquiram (1). Etenim, ſive Plutarcho, ſive Herodoto potius hac in parte quis aſſentiatur, ex Plutarchi tamen hypotheſi, & argumento ſemper inferri debet ipſius aetate maximum illud lunarium, ac popularium menſium diſcrimen, quod primus omnium Scaliger ex variis Plutarchi ipſius teſtimoniis invexit, Plutarcho incognitum fuiſſe, adeoque ex Attica hiſtoria, ſive Chronologia reiiciendum.

VII. Alter Plutarchi locus mihi nunc obiter corrigendus reperitur in Libro *de facie in ore Lunae*. Ibi nimirum Plutarchus ipſe cum praemiſiſſet ad Solis, Lunaeque eclipſes efficiendas tria corpora, Solis nimirum, Lunae, ac Telluris requiri, ſubdit ἐκλείπει γὰρ οὗτος (ἥλιος) μὲν σελήνης, σελήνη δὲ γῆς ἐν μέσῳ τῶν τρίων ἱςαμένης· ὧν γίνεται τὸ μὲν ἐν συνόδῳ, τὸ δὲ ἐν διχοτομίᾳ *nam iſte quidem* (Sol) *deficit ubi Luna, Luna vero ubi Tellus in medio trium reperitur: quorum illud quidem in coniunctione*, vel novilunio *contingit; iſtud vero in dichotomia*. Quo quidem loco Palmerius adnotavit: *Plutarchus dum ſcribebat, aut aliud agebat, & hoc excidit illi incurioſe ſcribenti; vel* διχοτομίαν *accipit alio modo quam accipiant omnes alii Scriptores, & Aſtrologi; nam* διχότομον σελήνην *accipiunt, ut verbum ſonat, pro dimidiata* (2); ubi nempe facies illa, vel orbis lunae, qui a nobis conſpicitur, dimidia ſui parte illuſtra-

(1) Diſser. IV. (2) Exercit. pag. 230.

ſtratur: quod non in plenilunio, lunariſque eclipſis tempore, ſed in quadraturis ſolum contingit. Ego vero, Palmerii pace, non video cur in doctiſſimo Viro, earumque rerum quamqui maxime perito aut oſcitantiam, aut inconſtantiam illam hic temere ſuſpicemur. Itaque potius a Plutarcho olim ſcriptum, ideoque in ipſius textu nunc depravato reſcribendum exiſtimo *ἐν διχομηνίᾳ in plenilunio*, vel *dimidio menſis*. Atque ita certe legendum eſſe duo ſuperiora Plutarchi teſtimonia nitide oſtendunt: ſicuti viciſſim ex hoc ipſo quoque Plutarchi loco confirmatur plenilunia, & eclipſes lunae ſemper in mediam civilium Athenienſium menſium diem incidiſſe: cum Plutarchus ipſe civiles eiuſmodi menſes a lunaribus diſtinctos nullibi agnoverit; ſed aperte potius, ut dixi, refutaverit.

VIII. Quemadmodum vero clariſſimi Scriptores illi Petavius, atque Dodvellus in definienda civilis Attici anni forma, vel quantitate a Scaligeri ſententia plurimum diſſident; ita quoque illorum hypotheſes in contexenda Atticorum menſium ſerie, vel ipſorum ordine deſcribendo a Scaligeri opinione diſſidentes eſſe conſpicimus. Siquidem Scaliger Gazam ſequutus, qui omnium primus aureolum *de Menſibus Atticis* Libellum conſcripſit, Pyanepſionem menſem quarto, Maemacterionem vero quinto loco collocaverat; Petavius autem Maemacterionem viciſſim ante Pyanepſionem conſtituit; atque Antheſterionem, quem Gaza Maemacterioni ſubiecerat, Petavius ipſe Scaligeri veſtigiis inſiſtens poſt Gamelionem collocavit. Itaque duodecim Atticorum menſium ſeries hoc ordine iuxta Petavium contexi debet

1.	Ἑκατομβαιών	Hecatombaeon	*Iulius*
2.	Μεταγειτνιών	Metagitnion	*Auguſtus*
3.	Βοηδρομιών	Boedromion	*September*
4.	Μαιμακτηριών	Maemacterion	*October*
5.	Πυανεψιών	Pyanepſion	*November*
6.	Ποσειδεών	Poſideon	*December*
7.	Γαμηλιών	Gamelion	*Ianuarius*

8. Ἀν-

8.	Ἀνθεστηριών	Anthesterion	*Februarius*
9.	Ἐλαφηβολιών	Elaphebolion	*Martius*
10.	Μουνιχιών	Munichion	*Aprilis*
11.	Θαργηλιών	Thargelion	*Maius*
12.	Σκιρροφοριών	Scirrophorion	*Iunius*

Haec ipsa quoque mensium Atticorum series a Dodvello recepta, novisque argumentis confirmata fuit (1): nisi quod ille Maemacterionis, Pyanepsionisque sedem posterioribus demum temporibus ita permutatam fuisse dicit, ut Pyanepsion ipse in Maemacterionis, sive quartum locum migraverit (2). Neque perspicuo solum Harpocrationis loco movetur Dodvellus, qui Maemacterionem quintum Atheniensium mensem appellat, simulque variis, ambiguis tamen, Plutarchi, & Diodori testimoniis, quae Scaliger ipse laudaverat; sed plurimis etiam Codicibus, in quibus Atheniensium mensium series ita contexitur, ut Pyanepsion quartum, Maemacterion vero quintum locum obtineat (3). Illud etiam observat Dodvellus quod in duabus Inscriptionibus, quas Athenis Sponius exscripserat, Pyanepsion ipse semper ante Maemacterionem collocatur: *si nempe recte illas descripsit Auctor alioqui diligentissimus* (4). Quo certe loco non video cur Sponii diligentiam Dodvellus in dubium revocaverit; cum praesertim eadem prorsus mensium series, quae in Inscriptionibus illis apud Sponium conspicitur, in pluribus etiam monimentis aliis a Dodvello citatis occurrat; & Sponius ipse varietatem hanc, qua Marmora a communi, receptaque Petavii sententia diffident, veluti observatione dignissimam accurate notaverit. Verum de novo hoc mensium Atticorum ordine, atque etiam aetate, qua Athenis ille invaluit, accuratius, atque oportunius agendum erit Dissertatione X. ubi duo Marmora a Sponio descripta proferentur; quemadmodum etiam Differ. XII. perspicuis, certisque testimoniis ostendam qua ratione civiles Romanorum, aliarumque Gentium menses cum civilibus Atheniensium mensibus committi debant: in quo certe omnes fere veteres Graeco-

(1) Differt. II. Sect. 4. & 5. (2) Ibi Sect. 16. (3) Vide Prideaux. ad Marm. Oxon.
(4) Diff. II. Sect. 5.

corum Scriptorum Interpretes deceptos esse conspicimus. Id unum hic obiter observasse sufficiat quod civilis Atheniensium annus, ut num. XXII. mox ostendetur, ante Olymp. LXXXVII. a Gamelione mense, deinde vero ab Hecatombaeone semper incepit; ut Gamelionis proinde initium ab hyberno solstitio duceretur; Hecatombaeonis vero principium *περὶ τὰς τροπὰς θερινὰς circa solstitium aestium* contingeret. Itaque Hecatombaeon maiore sui parte cum Iulio mense coniungebatur; quamvis ex variis Plutarchi, aliorumque testimoniis, quae num. XXX. proferentur, Hecatombaeonis initium in Augusti Kalendas aliquando incidisse videatur. Sed haec Atheniensium mensium aberratio aut inconstans, aut sequioribns certe temporibus invecta fuit. Quandiu nimirum civilis Atticus annus lunaris, civilesque menses lunares fuerunt, cuiusmodi certe illos fuisse contra Scaligerum, atque Petitum ostendimus, Hecatombaeonis mensis, adeoque civilis anni principium circa aestivi solstitii tempora contigisse debuit, ut Petavius ipse, Dodvellus, aliique plurimi demonstrarunt.

IX. Quod si civilis Atticus annus lunaris esse, adeoque lunaribus etiam mensibus ita constare debuit ut 354. dies ille complecteretur, manifestissime inferri debet quod 12. menses omnes *τριακονθήμεροι triginta dierum*, sive pleni esse non poterant; sed in illorum aliquibus dies aliquis eximendus erat, qui *ἐξαιρέσιμος*, vel *exemptilis* appellabatur; mensemque ipsum, a quo eximebatur, *ἐξαιρεσιμαῖον* sive *cavum* efficiebat. In definienda vero cavorum eiusmodi mensium sede ita doctissimos Viros conspirare conspicimus, ut 12. anni menses alterne plenos, cavosque fuisse illi velint; ut sex nimirum anni menses diebus 30., alii vero sex 29. solum diebus constarent. Atque alternam hanc quidem mensium plenorum, cavorumque seriem Petavius in popularibus annis, etiam instituta Metonis Enneadecaeteride, semper usurpatam esse putavit [1]. Scaliger [2] vero ac Petitus [3] illam non in popularibus quidem, sed in Prytaniae solum, vel Magistratuum annis semper obtinuisse existimarunt. Dodvellus denique alternum hunc inaequalium mensium ordinem ante Metonis Enneadecaeteridem, sive annum 1. Olymp. LXXXVII. floruisse [4], iterumque Olymp. CXII.

(1) Doctr. Temp. Lib. I. c 10. & 5. (2) Emend. Temp. Lib. I. pag. 42. (3) In Kalend. Attic. & Ecl. Chr. c. 2. 9. (4) Differt. I. Sect. 38.

anno 3., inventa Calippi Periodo, restitutum fuisse [1] dixit, ipsumque Gemini aetate, ac posterioribus etiam temporibus in civilibus semper, ac popularibus annis usurpatum esse. Ac sane alternus ille mensium ordo in popularibus annis perspicue a Gemino demonstrari videtur. Ita nimirum ille de popularibus mensibus differit Ἔστι δὲ ὁ μὲν ἀκριβὴς μηνιαῖος χρόνος ἡμερῶν κθ $\frac{\alpha}{\beta}$ $\frac{\alpha}{\lambda\gamma}$ οἱ δὲ πρὸς τὴν πολιτικὴν ἀγωγὴν ὁλοσχερέστερον λαμβανόμενοι μηνιαῖοι χρόνοι εἰσὶν ἡμερῶν κθ $\frac{\alpha}{\beta}$, ὥστε τὸν δίμηνον χρόνον γενέσθαι ἡμερῶν νθ'· ὅθεν διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν οἱ κατὰ πόλιν μῆνες ἐναλλὰξ ἄγονται πλήρεις, καὶ κοῖλοι . . . ἐκ δὲ τούτων συνάγεται ὁ κατὰ σελήνην ἐνιαυτὸς ἡμερῶν τνδ' *est autem exactum menstruum tempus dierum* 29.$\frac{1}{2}$ $\frac{1}{33}$; *quae vero menstrua tempora ad civilem usum minus accurate sumuntur, ea sunt dierum* 29. $\frac{1}{2}$ *ita ut bimestre tempus fiat dierum* 59. *unde propter hanc causam civiles menses alternatim aguntur pleni, & cavi: Ex his autem colligitur lunaris annus dierum* 354. paulloque inferius ὅθεν κοῖλον, καὶ πλήρη μῆνα παρὰ μέρος ἄγουσιν . . . ἓν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἓξ πλήρεις, καὶ ἓξ κοῖλοι [2] *unde cavum, & plenum mensem per vices agunt... fiunt in anno sex menses pleni, & sex cavi.*

X. Perspicuis eiusmodi Gemini verbis tum Petavius, tum Dodvellus etiam veram civilis Attici anni formam contra Scaligerum demonstrarunt. Sed maxime tamen, ut opinor, intererat perspicuis etiam characteribus demonstrare quis ordo in cavis, plenisque mensibus haberetur; utri nimirum alios praecederent. Ac Petavius quidem, simulque Dodvellus [3] id ex superiori Gemini testimonio satis ostendi posse putarunt quod pleni ita cavos ubique praecesserint, ut primus, tertius, aliique impares, pleni fuerint; secundus, vero, quartus, aliique pares, cavi forent; ideoque variis in locis hunc mensium cavorum ordinem, veluti certum, supponunt. Perspicue tamen, nisi mea me fallit opinio, id ex allatis Gemini verbis inferri non poterat. Quamvis enim ille semel, iterumque dicat quod menses agebantur πλήρεις, καὶ κοῖλοι. *pleni & cavi...* ἓξ πλήρεις καὶ ἓξ κοῖλοι *sex pleni, & sex cavi*, ac si in mensium ordine pleni ca-

(1) In Tab. Attic. Pag. 721. (2) Elemen. Astron. c. 6. (3) Differt. III. Sect. 23.

cavos praecederent; aliquando tamen cavos ante plenos commemorat, ut cum asserit quod Graeci *κοῖλον, ϗ πλήρη μῆνα παρὰ μέρος ἄγουσι* *partim cavum*, & partim *plenum mensem agunt*; atque de Metonis Enneadecaeteride loquens ait in illa non agi *ϗ ἕνα κοῖλον, ϗ πλήρη μῆνα* *mensem alterne cavum*, & *plenum*, sicuti in civilibus, & popularibus annis olim agebatur. Ergo semper ambiguum supererit an primus ex. gr. anni mensis cavus, vel plenus haberi debeat; simulque Tribuum, ac Prytaniarum series incerta foret. Quicumque tamen Petavii hypothesim amplecti velit, atque instituta Metonis Enneadecaeteride civiles Atheniensium menses ita alterne plenos, cavosque fuisse existimet, ut ubique cavos pleni praecesserint, facile ambiguitatem illam dirimere profecto poterit illustri Antiphontis testimonio, ex quo plurima variis Atticae Historiae capitibus illustrandis oportune deducam. Eximius Orator ille Choragum quendam defendendum susceperat, qui tanquam veneficii reus ad Regem, sive Novemvirorum secundum, delatus fuerat; sed elapso tamen legitimo dierum numero, qui intentandis eiusmodi actionibus Atheniensium lege praescribebatur. Itaque Choragus ille sit ait *τῆς δ' ἀρχῆς αὐτῷ Βασιλεῖ λοιποὶ δύο μῆνες ἦσαν Θαργηλιὼν, ϗ Σκιῤῥοφοριὼν . . . ἐπειδὴ γὰρ οὑτοσὶ ὁ Βασιλεὺς εἰσῆλθεν, ἐξὸν αὐτοῖς ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας ἀρξαμένοις τοῦ Ἑκατομβαιῶνος μηνὸς τριακονθ' ἡμέρας συνεχῶς τούτων ἥτινι ἐβούλοντο ἀπογράφεσαι, ἀπεγράφοντο οὐδὲ μιᾷ· ϗ αὖθις τοῦ Μεταγειτνιῶνος μηνὸς ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας ἀρξαμένοις ἐξὸν αὐτοῖς ἀπογράφεσθαι ἥτινι ἐβούλοντο, οὐδ' ἐνταῦθα αὐτὸ ἀπεγράψαντο, ἀλλὰ παρῆσαν ϗ τούτου τοῦ μηνὸς εἴκοσιν ἡμέρας. ὥστε αἱ σύμπασαι ἡμέραι ἐγένοντο αὐτοῖς πλέον ἢ πεντήκοντα ἐπὶ τούτου τοῦ Βασιλέως, ἐν αἷς ἐξὸν αὐτοῖς ἀπογράψασθαι, οὐκ ἀπεγράψαντο ὁρῶντες δέ με βουλεύοντα. . . . ϗ πρὸς τούτοις πρυτανεύσαντα τὴν πρώτην Πρυτάνειαν ἅπασαν, πλὴν δυοῖν ἡμέραιν* (1) *Magistratus vero ipsi Regi duo* adhuc *menses supererant, Thargelion, & Scirrophorion. Postquam autem hic Rex ingressus est, cum eis a prima die Hecatombaeonis incipiendo deferre liceret triginta diebus continuis, quacumque ipsarum voluissent, in nulla detulerunt. Et rursum a prima die Metagitnionis mensis incipiendo illis, quacumque voluissent, accusare licebat; neque tunc hoc detulerunt: sed & huius mensis viginti dies elabi permiserunt; ita ut integrae* 50. & *amplius dies*

(1) Orat. XVI.

dies tempore Regis fuerint, in quibus illis accuſare licebat, & non detulerunt. Cum me Senatorem eſſe viderent: ac inſuper Prytanis munere fungentem toto primae Prytaniae tempore, duobus diebus exceptis. Ex perſpicuis eiuſmodi antiqui Rhetoris verbis, qui circa Olympiadem XC. floruit, non modo quatuor Athenienſium menſium ordo, ut id obiter moneam, ſimulque Archontici anni principium inferri poteſt, ſed aperte quoque colligitur tunc Hecatombaeonem τριακονθήμερον, plenum, ſive 30. *dierum* fuiſſe, cum Orator in illo *triginta continuos dies* diſerte numeraverit; iterumque a prima Hecatombaeonis die ad vigeſimam ſequentis Metagitnionis quinquaginta dies fluxiſſe dixerit. Ergo Hecatombaeon cavus eſſe non poterat; ideoque, ſi Antiphontis aetate civiles Athenienſium menſes alterne pleni, cavique fuere, ut ex Gemino Petavius exiſtimavit, perſpicuum fiet menſes omnes pari numero deſignatos ſemper plenos, ac impari numero expreſſos ſemper cavos eſſe oportere: quod ex ambiguis Gemini verbis nitide inferri non poſſe iam dixi.

XI. Sed ut haec ipſa menſium plenorum, cavorumque ſeries accuratius exploretur, ac diſſidentes illae doctiſſimorum hominum ſententiae excutiantur, variae illorum hypotheſes in definienda exemptilium dierum ſede prius exponi, ſimulque perſpicuis, ut opinor, argumentis ipſarum ſingulae refelli debent. Atque initio quidem Scriptores illi hac in parte mirifice conſpirant, ut cum in cavis menſibus dies aliqua diſſimulari, praeteriri, ſive non numerari debuerit, exemptilis iſta dies nunquam trigeſima, ſive poſtrema menſis fuerit, quae Solonis inſtituto ἕνη καὶ νέα *vetus & nova* dicebatur; cum τριακὰς ipſa, ſive *trigeſima dies*, in menſibus omnibus, etiam cavis, numerari conſueverit, ut nitide teſtatur Geminus οὐδὲ ἐξαιρέσιμος ἡ τριακὰς διὰ παντὸς (1) *neque exemptilis omnino trigeſima* (2). Itaque exemptilis illa menſium cavorum dies non illorum trigeſima, ſed praecedentium aliqua eſſe debuit; ut non modo Petavius, atque Dodvellus exiſtimant, qui ἐξαίρεσιν *exemptionem* illam in lunaribus, iisdemque ſimul popularibus Athenienſium annis, factam putarunt; ſed Scaliger etiam, atque Petitus, qui ipſam in Prytaniae ſolum, vel Magiſtratuum annis uſurpatam eſſe contendunt. In definienda vero exemptilis huius

(1) Cap. 6. (2) Dodv. Diſſer. III. Sect. 23.

ius diei sede Scriptores illi plurimum diffident. Siquidem Scaliger (1), atque Petitus (2) δευτέραν ἱσαμένου μηνὸς *secundam incipientis mensis diem* semper in cavis lunaribusque mensibus exemptam esse dixerunt. Petavius vero (3) δεκάτην φθίνοντος μηνὸς *decimam desinentis mensis diem*, sive *vigesimam primam* exemptilem fuisse arbitratur. Denique Dodvellus iis temporibus, quibus Metonica Enneadecaeteris minime adhibebatur, adeoque menses alterni pleni, cavique in popularibus annis usurpabantur, exemptilem horum diem δευτέραν φθίνοντος μηνὸς *secundam desinentis mensis diem*, sive *vigesimam nonam* fuisse dicit (4). Quandoquidem vero triplex illa doctissimorum hominum sententia non certa ratione, sed ambiguis solum, nisi mea me fallit opinio, coniecturis innititur, e re futurum putaverim si in illarum singulas accuratius inquiram; cumque Scaligeri, Petiti, ac Petavii hypotheses falsas demonstravero, Metonis Enneadecaeteridem, sive exemptilium dierum sedem in illa constitutam, etiam post Olympiadem CXII. floruisse contra Dodvellum ostendam.

XII. Atque, ut a Scaligeri, simulque Petiti sententia exordiar, qui in lunaribus saltem mensibus *secundam* cavorum diem exemptilem fuisse dicunt, celebri Plutarchi testimonio confirmari fortasse illa poterit, quo secundam Boedromionis diem non ad Lunae rationes, sed alia potius de caussa exemptam esse testatur: τὴν δευτέραν τοῦ Βοηδρομιῶνος ἡμέραν ἐξῄρημεν, οὐ πρὸς τὴν σελήνην, ἀλλ' ὅτι ταύτῃ δοκοῦσιν ἐρίσαι περὶ τῆς χώρας οἱ Θεοί. (5) *secundam Boedromionis diem eximimus, non propter Lunam, sed quod ea die de Attica regione contentio Diis credatur fuisse*; quemadmodum alibi de Atheniensibus ipsis, ait τὴν δευτέραν Βοηδρομιῶνος ἐξαιροῦσιν ἀεὶ, ὡς ἐν ἐκείνῃ τῷ Ποσειδῶνι πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν γενομένης τῆς διαφορᾶς (6) *secundam Boedromionis semper eximunt, quod ea die Neptuno cum Minerva contentio fuerit*. Itaque, si Plutarchus secundam Boedromionis, qui plenus esse debebat, non ex cycli lunaris legibus, lunarisque mensis natura, sed alia de caussa ab Atheniensibus exemptam esse testatur, satis innuere videtur secundam illam mensium diem ex Lunae rationibus in mensibus aliis exemptam esse, qui cavi esse debebant. Sed ex ambiguis eiusmodi Plutarchi verbis con-

(1) Emend. Temp. Lib. I. pag. 11. (2) In Ecl. Chr. c. 2. 9. (3) Doctr. Temp. Lib. I. c. 5. & Lib. II. c. 10. (4) Diss. I. Sect. 38. (5) Symp. Lib. IX. Quaest. 6. (6) De Frater. Amore.

constans illa exemptilium dierum sedes inferri certe non poterit, quam Scaliger, atque Petitus excogitarunt: cum praesertim Plutarchus ipse secundam illam mensium lunarium diem in cavis etiam mensibus numeratam esse putaverit. Siquidem ille secundam mensium omnium diem Heroibus, atque Daemonibus sacram apud Graecos fuisse dicit: Ἕλληνες ἐν τῇ νουμενίᾳ τοὺς Θεοὺς σεβόμενοι τὴν δευτέραν Ἥρωσι, καὶ Δαίμοσιν ἀποδεδώκασι (1). *Graeci Deos neomenia*, sive prima mensis lunaris die *venerati*, *secundam Heroibus*, *atque Daemonibus tribuerunt*. Hic dubitari certe non poterit quin secunda illa mensium dies Heroibus sacra lunarium mensium secunda fuerit, cum Plutarchus illam post neomeniam, sive primam lunaris utique mensis diem numeraverit. Verisimile est etiam Plutarchum ibi celebrem Atheniensium quoque morem innuere, qui Solonis lege Deos, Heroasque colere iubebantur. Quis vero fieri potuisse existimet ut dies illa Heroibus honorandis singulis mensibus dicata foret, quae alternis omnino mensibus eximebatur? Certe, si in cavis anni mensibus secunda illa dies semper exemptilis esse, ideoque in ipsius exemptae locum tertia descendere debuisset, non erat sane cur *secundam* potius, quam *tertiam* mensis diem Heroibus sacram esse Plutarchus diceret; cum praesertim Plutarchus ipse (2) exemptilium dierum rationem habuisse Petito videatur; nec alia de caussa Plataicam pugnam, quae vere *tertia* Boedromionis die contigerat, in *quartam* Boedromionis ipsius diem aliquando contulerit, nisi quod una eademque dies, quae tertia fuerat, exemptili quoque sive secunda, quae semper, ut diximus, eximebatur, numerata, quarta appellari potuerit. At ne coniecturis hic immorer, illustrem illum Antiphontis locum observari maxime velim, quem paullo superius exposui. Siquidem accuratissimus Orator ille a prima Hecatombaeonis die ad vigesimam sequentis Metagitnionis diem 50. continuos, solidosque dies diserte numeravit, quibus ineuntis anni Rex in imperio, vel Magistratu fuerat, atque Choragus integro primae Prytaniae tempore Prytanis munere perfunctus erat. Ergo, si menses illi, qui in Prytaniis, ac Magistratibus adhibebantur, certe lunares erant, ut Scaliger ipse, ac Petitus optime existimarunt, adeoque Metagitnion ille ab Antiphonte numeratus luna-

(1) Quaest. Graec. (2) Eclog. Chron. c. 4.

lunaris esse debebat, quis aperte non videat ante vigesimam Metagitnionis diem nullam omnino diem exemptam esse; ideoque, cum ex illorum hypothesi Metagitnion cavus esse deberet, in cavis eiusmodi mensibus secundam illorum diem semper exemptilem esse non potuisse? Clarius id etiam, atque accuratius adhuc deprehendisse videor in Decreto quodam, quod ab Aeschine memoratur, ubi Demosthenem muris instaurandis praefectum, eoque Magistratu adhuc perfunctum esse demonstrat cum illi corona a Ctesiphonte decreta foret: Ἐπὶ Χαιρωνίδου Ἄρχοντος, Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος, ἔγραψε (Δημοσθένης) ψήφισμα ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν Σκιρροφοριῶνος δευτέρᾳ ἱσαμένου, καὶ τρίτῃ ἐπέταξεν ἐν τῷ ψηφίσματι... *Chaeronda Archonte secunda Thargelionis desinentis die*, sive vigesima nona *rogationem tulit* Demosthenes *ut Tribuum conventus fieret secunda Scirrophorionis die*; *atque tertia die in Decreto sancivit*... Exinde vero deducit Aeschines, quod cum aurea corona Demostheni 22. Pyanepsionis die decreta fuerit, ut mox ostendetur, honor ille Demostheni collatus erat μεσοῦντα τὴν ἀρχὴν *dum in medio Magistratus tempore reperiretur*. Itaque & Pyanepsion ille, & Scirrophorion, quibus Aeschines & Tribuum conventum, & Magistratus tempora accuratissime supputavit, lunaris omnino censendus erit; cumque Scirrophorion duodecimus anni mensis, ideoque cavus esse deberet, *secunda* tamen, ac *tertia* dies in illo numerata conspicitur: quod argumento certe esse poterit in reliquis etiam cavis anni lunaris mensibus secundam ipsorum diem minime exemptam esse: ut illa proinde immerito a Scaligero, atque Petito semper exemptilis existimetur

XIII. Optime quidem novi perspicuo alioquin Aeschinis testimonio facile ex Scaligeri, simulque Petiti sententia reponi posse secundam illam Scirrophorionis diem, qua Tribus omnes convocari debebant, non lunaris, sed popularis potius mensis habendam esse, quae ex illorum hypothesi minime eximebatur. At illa mensium varietas explicando Plutarchi, vel Antiphontis testimonio adhiberi certe non poterit; cum illorum uterque vel perspicue lunaris mensis diem, vel Prytaniae saltem, aut Magistratus, quod perinde esse debet, expresserit. Deinde vero hypothesis illa, mensiumque discrimen, cuius inventi gloria Scaliger ipse mirifice delectabatur, manifestis adeo, certisque rationibus a Petavio refutatum esse conspicitur,

tur, ut argumentis aliis, noviſque Veterum teſtimoniis iterum refelli minime debeat; adeoque argumenta ſingula, quibus oſtenditur in popularibus anni menſibus ſecundam illorum diem minime exemptam eſſe, ſimul etiam oſtendant lunarium menſium ſecundam exemptilem eſſe non potuiſſe: cum lunares menſes iſti a popularibus nullo diſcrimine diſtinguerentur. Unicum hic tamen argumentum aliud addidiſſe liceat, quod a Petavio, ceteriſque fere diſſimulatum eſſe conſpicio, ut illo quoque Scaligeri, atque Petiti ſententia impugnetur; ſimulque nitide oſtendi poſſit quas illi ambages in Graecam Hiſtoriam invexerint, ut lunarium, civiliumque menſium diſcrimen exemplis etiam ex Attica Hiſtoria petitis confirmarent. Itaque obſervari maxime velim quod ſicuti, Plutarcho teſte, ſecunda illa menſium dies, quae apud Graecos Heroibus ſacra fuerat, lunaris profecto eſſe debuit; ita quoque dierum illorum ſinguli, qui apud Athenienſes veluti Diis conſecrati haberi conſueverant, & quibus proinde Athenienſes feriari, ſacra peragere, feſtoſque dies celebrare iubebantur, ad Lunae rationes dirigi, ſive lunarium menſium eſſe debebant. Id facile teſtimoniis innumeris oſtendi poſſet, ſed unum hic tamen ex Ariſtophane proferam, quod minus accurate, ut opinor, Scaliger ipſe interpretatur. Lepidiſſimus Comicus ille ita in Nubibus Lunam de Athenienſibus loquentem inducit

Ἄλλα τ' εὖ δρᾷν φησὶν ὑμᾶς. οὐκ ἄγειν τὰς ἡμέρας
Οὐδὲν ὀρθῶς, ἀλλ' ἄνω τε, ϗ κάτω κυδοιδοπᾷν
Ὥς τ' ἀπειλεῖν φησὶν αὐτῇ τοὺς Θεοὺς ἑκάστοτε
Ἡνίκ' ἂν ψεύσθῶσι δείπνου κἀπίωσιν οἴκαδε
Τῆς ἑορτῆς μὴ τυχόντες κατὰ λόγον τῶν ἡμερῶν.
Κᾆθ' ὅταν θύειν δέῃ, στρεβλοῦτε, ϗ δικάζετε(1)
Alia vos bene facere dicit; at nullos recte dies
Tranſigere; ſed ſurſum, atque deorſum confundere omnia:
Ac proinde ſibi minari Deos ait ſubinde, cum
Fruſtrantur convivio, & domum redeunt feſti ſui
Compotes non redditi, iuxta dierum rationem.
Sed & cum ſacrificare oportet, vos reos quaeſtioni
accipitis, & iudicia exercetis fori.

Hunc Ariſtophanis locum exſcripſit Scaliger (2) ut oſtenderet ipſius aetate Harpali Octaeteridem fidem decoxiſſe, ipſamque pro-

(1) Act. IV. in fine (2) Can. Iſag. Lib. III. c. 8. pag. 232.

proinde hic a Luna, ſive ab Ariſtophane reprehenſam eſſe putavit. Ego vero non Harpali Octaeteridem; ſed ipſam potius Metonis Enneadecaeteridem a Comico traductam eſſe putaverim. Siquidem Nubes anno 1. Olymp. LXXXIX. editae ſunt; adeoque nono anno poſtquam, Harpali Octaeteride iam repudiata, Athenienſes omnes Metonis Enneadecaeteride feliciter utebantur. Ergo non Octaederidis errores, Harpalique Periodum, quae iam obſoleverat, taxavit hic Ariſtophanes; ſed illa potius vitia, & errores, quos Enneadecaeteridi ineſſe ſuſpicabatur; quemadmodum certe Metonis induſtriam, caeleſtiumque rerum ſtudium alio in loco feſtive invidioſeque traducit, eamque rudi populo deridendam proponit. Ceterum, ſive Harpali, ſive Metonis potius Periodum reprehenderit hic Ariſtophanes, perinde eſt: ſemper enim perſpicue conſtabit aut Harpali Octaeteride adhuc florente, aut inſtituta iam Metonis Enneadecaeteride dies omnes, qui Diis ſacri fuerant, in lunaribus omnino menſibus diſtinctos, ac numeratos eſſe oportere [1]. Ergo ſexta Boedromionis dies, qua Dianae Venatrici ex Miltiadis voto ſacrificabatur, ob victoriam ea die Marathone partam, lunaris erit. Lunaris etiam ſextadecima eiuſdem menſis, qua libari conſueverat ob navalem Chabriae victoriam ad Naxum [2]. Lunaris quoque ſextadecima Munichionis Dianae ſacra quod ipſo die Graecis ad Salaminam pugnantibus pleno orbe fulſiſſet. Lunares denique, ſive in lunaribus anni menſibus deſignati, dies illi, qui tum a Plutarcho [3], tum ab aliis Scriptoribus memorantur; ideoque Diis conſecrati fuiſſe dicuntur quod in ipſis illuſtre quiddam, fauſtumque Athenienſibus contigiſſet. Itaque mirari plane quis poterit cur Scaliger ipſe, ac Petitus [4] ſextam illam Boedromionis, aut ſextam decimam Munichionis, alioſque menſium dies ab Hiſtoricis memoratos non ad lunares, ſed ad civiles potius menſes referendos eſſe putaverint, qui a lunaribus diſſiderent; eaſque Periodos excogitaverint, in quibus celebres illi dies, veluti populares, cum aliis menſium lunarium diebus accuratiſſime committerentur. Exempla ſingula, quae tum a Petito, tum a Scaligero proferuntur, accuratius excutere nec iuvat, nec decet. Inſignem hic ſolum Demoſthenis locum exponam,

K quo

(1) Plutarch. de Gloria Athen. (2) Plut. ibi & in Phocione. (3) De Gloria Athen. (4) C. 8.

quo Petitus Periodum ſuam confirmari poſſe putavit; non modo ut Petiti ipſius error oſtendatur, verum etiam ut locus ille, perplexus ſane, quique proinde Meurſio, Dodvello, ceteriſque facile impoſuit, oportune illuſtretur. Demoſthenes in Oratione *de Corona* hoc Decretum exhibet Ἐπὶ Χαιρωνίδου Ἡγήμονος Ἄρχοντος, Γαμηλιῶνος ἕκτη ἀπίοντος, φυλῆς πρυτανευούσης Λεοντίδος, Ἀριστόνικος Φρεάῤῥιος εἶπεν . . . ἐπαινέσαι Δημοσθένην, καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ *Chaeronda Hegemonis* filio *Archonte*, *die Gamelionis deſinentis ſexta*, ſive vigeſima quinta, *Leontide Tribu Prytaniae munere fungente*, *Ariſtonicus Phrearrhius dixit... laudari Demoſthenem*, & *aurea corona coronari*[1]. Petitus hic aſſerit Decretum iſtud anno 3. Olymp. CX. factum eſſe, quo certe Chaerondas Eponymus Archon in Faſtis occurrit. Obſervat etiam Eccleſias κυρίας, *ſtatas*, legitimaſque, *decima*, *vigeſima*, ac *trigeſima* menſis lunaris die, quae a Magiſtratibus adhibebatur, celebratas eſſe; ideoque concludit anno 3. Olymp. CX. vigeſimam quintam Gamelionis popularis diem in vigeſimam Prytaniae, ſive lunaris menſis diem incidiſſe; idque in ſua XL. annorum Periodo optime conſpirare gloriatur: quemadmodum etiam alibi Decretum aliud exſcribens, quod a Laertio in Zenonis[2] Vita memoratur, illud *vigeſima* quidem Maemacterionis popularis die, ſimulque tamen *trigeſima tertia* Prytaniae, vel menſis lunaris factum aſſerit, quod nimirum tunc temporis Tribuum Athenienſium ſingulae 35. diebus in anno lunari Eccleſiis praeſiderent, ſive Prytaniae munere fungerentur. Utrumque tamen exemplum illud immerito prorſus, ac temere a Petito profertur: tantumque abeſt ut teſtimoniis illis Petiti Periodus confirmari unquam poſſit, ut potius exinde quoque perſpicue refellatur. Ac de ſtatis quidem, legitimiſque Eccleſiarum, ſive Concionum diebus Differt. VI. accuratius agendum erit, ubi celebre Decretum illud, quod ex Laertio Petitus attulit, oportunius exponam. Id unum obiter hic obſervari velim quod δεκάτη ὑστέρα non *vigeſimam*, ut interpretatur Petitus, ſed *undecimam* potius menſis diem ſignificat; deinde vero quod eiuſmodi Decreti, ſive Zenonis Cittiaei, tempore Athenienſes Tribus duodecim numero iam factae fuerant, ut Petitus ipſe fatetur; ideoque ipſarum quaelibet non 35. diebus, ut opinatur Petitus, ſed integro ſo-

(1) Ecl. Chron. c. 4. (2) Ibi c. 5.

solum mensis spatio praesidebat: adeoque in Laertii textu τριακοςῇ τρίτῃ *trigesima tertia* Prytaniae dies rescribi certe non poterit. Quod vero ad Decretum aliud a Demosthene memoratum attinet, in eo Petitus, aliique plurimi errarunt quod ipsum anno 3. Olymp. CX. factum putaverint, cum certe ad 1. eiusdem Olympiadis manifestissime referri debeat; ut ex ipsa temporum, rerumque serie a Demosthene exposita deprehendi: Pluribus enim in locis Demosthenes ipse constanter asserit honores sibi, aureamque coronam prius ab Hyperide, tum ab Aristonico, tandemque a Ctesiphonte decretam esse; idque Plutarchus etiam diserte testatur. Eiusmodi vero Ctesiphontis Decretum, veluti legibus contrarium, ideo ab Aeschine accusatum fuit, quod ille honores Demostheni decrevisset dum adhuc Demosthenes ipse moenibus instaurandis praefectus erat; neque eius muneris adhuc rationes reddiderat; sed potius in *medio magistratus tempore* reperiebatur. Age vero horum omnium tempora ex iisdem ipsis Scriptoribus inquiramus. Demosthenes murorum reficiendorum curator electus fuit ἐπὶ Χαιρωνίδȣ Α῎ρχοντος Σκιῤῥοφοριῶνος τρίτῃ ἱςαμένȣ *Chaeronda Archonte tertia Scirrophorionis ineuntis die*, ut nitide in Decreto superius exposito memoratur. Honores illi, & corona a Ctesiphonte decreta fuit vigesima secunda Pyanepsionis die, ut in hoc Decreto conspicitur Ε῍πὶ Α῎ρχοντος Ευθυκλέους, Πυανεψιῶνος ἐννάτῃ ἀπίοντος Φυλῆς πρυτανευέσης Ο᾿ινηΐδος Κτησιφῶν Λεωσθένȣς Α᾿ναφλύςιος ἔιπεν: Ε῍πειδὴ Δημοσθένης γενόμενος ἐπιμελήτης τῆς τῶν τειχῶν ἐπισκευῆς . . . δεδόχθαι τῇ βȣλῇ, καὶ τῷ δήμῳ ἐπαινέσαι Δημοσθένην, καὶ ςεφανῶσαι χρυσῷ ςεφάνῳ *Archonte Euthycle, nona Pyanepsionis desinentis die*, sive vigesima secunda, *Oeneide Tribu Prytaniae munere fungente, Ctesiphon Leosthenis Anaphlystius dixit. Quoniam Demosthenes muris reficiendis curator factus. . . placere Senatui, Populoque laudare Demosthenem, & ornare corona aurea*. Denique Decretum istud a Ctesiphonte factum tandem ab Aeschine sexta Elaphebolionis die delatum fuit: Ε῍πὶ Χαιρωνίδȣ Α῎ρχοντος, Ε᾿λαφηβολιῶνος ἕκτῃ ἱςαμένȣ Αἰσχίνης Α᾿τρομήτȣ Κοθωκίδης ἀπήνεγκε πρὸς τὸν Α῎ρχοντα παρανομων γραφὴν κατα Κτησιφῶντος . . ὅτι ἔγραψε παράνομον ψήφισμα ὡς ἄρα δεῖ ςεφανῶσαι Δημοσθένην *Chaeronda Archonte, Elaphebolionis ineuntis sexta die, Aeschines Atrometi filius Cothocides detulit ad Archontem violatarum legum actionem contra Ctesiphontem... quod ille decretum legibus*

contrarium scripserit coronandum esse Demosthenem. Ex tribus vero Decretis illis, quae Archontis Chaerondae nomen praeseferunt, nullum, ne postremum quidem, anno 3. Olympiadis CX. Chaeronda Athenis Eponymo factum fuit. Siquidem Plutarchus [1] asserit Ctesiphontis Decretum paullo ante bellum Chaeronense ab Aeschine delatum esse, quamvis iudicium illud post Philippi Macedonis mortem peractum fuerit: *εἰσήχθη δὲ τότε ἡ περὶ τȣ̃ ςεφάνȣ γραφὴ κατὰ Κτησιφῶντος, γραφεῖσα μὲν ἐπὶ Χαιρώνδȣ Α'ρχοντος, μικρὸν ἐπάνω τῶν Χαιρωνικῶν· κριθεῖσα δ' ὕςερον ἔτεσι δέκα ἐπ' Α'ριςοφῶντος. tunc etiam agitata fuit actio de Corona contra Ctesiphontem, intentata quidem Chaeronda Archonte paullo ante Chaeronica, iudicata vero post annos decem sub Aristophonte* Archonte. Haec ipsa quoque temporis nota, quo Ctesiphontis Decretum ab Aeschine delatum fuit, perspicuis etiam Aeschinis ipsius, Ciceronis, aliorumque testimoniis ostendi posset, quae Dissert. VIII. oportunius proferentur. Itaque, cum Chaeronensis clades [2], & Isocratis etiam mors, quae Plutarcho teste Chaeronda Athenis Archonte, simulque paucis post Chaeronense bellum diebus accidit [2], ad ineuntem annum 3 Olymp. CX. manifestissime referri debeat, dubitari certe non poterit quin Ctesiphontis Decretum sexta Elaphebolionis die superioris anni 2. ab Aeschine delatum fuerit. Ergo Decretum ipsum superiori Pyanepsione latum fuerat, cum praecedentis anni 1. Scirrophorione Demosthenes murorum curator electus esset; ideoque Aristonici Decretum, quod ante Ctesiphontis Decretum editum fuit, atque sextaGamelionis die factum asseritur, ad annum 1. Olymp. CX. necessario spectasse debuit, quo Theophrastus Eponymus Archon in Fastis reperitur. Itaque Petiti hypothesis, atque Periodus, quae fluxis eiusmodi, falsisque principiis innititur, omnino corruat oportet. Quandoquidem, si sexta Elaphebolionis popularis dies cum vigesima Prytaniae, sive lunaris mensis die anno 3. Olymp. CX. iuxta Periodi leges accuratissime coniungebatur, quis aperte non videat, id anno 1. eiusdem Olympiadis, quo vere Decretum illud editum fuerat, fieri certe non potuisse; adeoque Petiti hypothesim ex ipso quoque Demosthenis testimonio, cui Petitus innititur, impugnari? Insignis autem ille Petiti, aliorumque Scriptorum error, qui superiora Demosthenis verba ad Chaeron-

(1) Plutar. in Camillo. (2) Vita X. Rhet in Isocr.

rondam illum spectare existimant, qui anno 3. Olymp. CX. Eponymorum Fastis adscribitur, exinde veluti fonte manavit, quod illi Archontes omnes a Demosthene memoratos Eponymos esse putaverint; cum tamen Chaerondas ille, qui vigesima Gamelionis die, iterumque tertia Scirrophorionis Archon fuisse dicitur, Pseudeponymus Archon fuerit, simulque cum Theophrasto anno 1. Olymp. CX. imperaverit. Chaerondas etiam ille, cuius nomen Decreto sexta Elaphebolionis die edito inscribitur, Pseudeponymus esse debuit, atque anno 2. eiusdem Olympiadis imperavit: quamvis etiam Euthycles vigesima secunda Pyanepsionis die Archontis nomine decoretur. Atque ista quidem ut Petiti Periodus, eiusque levitas ostendatur, simulque perplexus ille Demosthenis locus, qui omnibus Fastorum Scriptoribus fraudi fuerat, illustretur.

XIV. Quod vero ad Petavii sententiam attinet, qui vigesimam primam cavi mensis diem exemptilem fuisse dicit [1], illa depravato Pollucis loco innititur, quem Petavius ipse sic emendare, vel restituere conatur, ut Pollux opinioni suae suffragetur. Siquidem Pollux Lib. I. c. 7. seg. 63. exponens ordinem, quo singuli mensis dies a Graecis exprimi, vel enumerari consueverant, ait *ἡμῖν δε ῥητεον ά ἐπὶ ί, β' ἐπί ί, κ̀ μέχρι τῆς ἐικοσάδος. τὸ δὲ ἀπὸ τέτε ά ἐπι εικάδι. ἡ δ' ἀυτὴ κ̀ θ' φθίνοντος· θ' γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κά. κ̀ ὁμοίως ἄχρι τῆς τριακάδος, ἣν Ἀττικοὶ καλἕσιν ἕνην κ̀ νέαν nobis vero ita dicendum est: dies undecimus, duodecimus & sic in reliquis usque ad vicesimum diem. Ab hoc dein dicendum vigesimus primus dies, qui idem nonus desinentis mensis dies dicitur; nam novem adhuc a vigesimo primo sunt reliqui; & ita simili ratione usque ad trigesimum diem, quem Attici veterem, & novum vocant.* Eximium hunc Pollucis locum non de mensibus omnibus, sed de cavis solum intelligendum esse putavit Petavius [1], & qui Petavio hac in parte facem praetulerat, Gaza [2]; ideoque Pollucis locum ita corrigendum esse Petavius existimavit ... *ἡ δ' ἀυτὴ κ̀ θ' φθίνοντος, ὅτε θ' γίνεται λοιπὰ ἀπὸ τῆς κά haec ipsa vero* dies *etiam nona desinentis* mensis vocatur, *quando a vigesima novem dies supersunt*: ut in cavis nimirum mensibus *ενάτη φθίνοντος nona desinentis* sit vigesima prima mensis dies; sed in plenis *ἐνάτη φθίνοντος nona desinentis* non vigesima prima, sed vigesima secunda esse debeat.

Dod-

(1) Doct. Temp. Libr. II. c. 10. (2) De Mens. Attic. c. 4.

Dodvellus vero [1] cum in Mſſ. Pollucis Codice, quo Iſaacus Voſſius utebatur, ita periocham illam legiſſet, τὸ δὲ ἀπὸ τούτου ά ἐπὶ εἰκάδι (ἡ δὲ αὐτὴ καὶ δεκάτη φθίνοντος, καὶ δευτέρα ἐπὶ εἰκάδι) ἡ δὲ αὐτὴ καὶ ἐνάτη φθίνοντος *Ab hoc dein dicendum vigeſimus primus (idemque etiam decimus deſinentis; & vigeſimus ſecundus) qui idem etiam nonus deſinentis*: verba uncis incluſa in vulgatis Pollucis Codicibus excidiſſe putavit, ideoque Pollucem non de cavis ſolum, ſed de plenis etiam menſibus loquutum exiſtimavit; ſimulque vigeſimam primam menſis diem exemptilem eſſe negavit. Pollucis locum feliciter hic a Dodvello ſuppletum eſſe profiteor; cum praeſertim eadem prorſus lectio in alio quoque Pollucis Codice habeatur, ut teſtatur Allatius [2], & in aliis etiam Codicibus hanc reperiri nuperus Pollucis editor moneat. Non inde tamen efficitur, aut contra Petavium feliciter inferri poteſt quod δεκάτη φθίνοντος *decima deſinentis*, ſive *vigeſima prima* menſis dies nunquam eximi conſueverit. Facile nimirum ſuſpicari, vel reſpondere quis poterit ibi Pollucem de plenis ſolum, non de cavis menſibus eſſe loquutum; ideoque exemptilis diei ſedes, etiam reſtituto Pollucis textu, ſemper ambigua, vel incerta ſupererit.

XV. Itaque, ut ambiguitas illa auferatur, atque Petavii ſententia certioribus argumentis aliis impugnetur, Demoſthenis teſtimonium hic ego proferam, quod certe miror tum a Petavio, tum a Dodvello quoque diſſimulatum fuiſſe; cum alia tamen Demoſthenis loca in definienda veteris anni forma uterque laudaverit. Demoſthenes ergo in Oratione *de falſa Legatione* ubi iam pacem ab Athenienſibus cum Philippo Macedone conſtitutam dixiſſet, Legatos inſuper exigendi iuriſiurandi cauſſa ad Regem miſſos; illorum moram in Macedonia, reditumque Athenas commemoraſſet, haec ait ἡ μὲν τοίνυν εἰρήνη Ἐλαφηβολιῶνος ἕκτη ἐπὶ δέκα ἐγένετο· ἀπεδημήσαμεν δ' ἡμεῖς ἐπὶ τοὺς ὅρκους τρεῖς ὅλους μῆνας, καὶ τοῦτον ἅπαντα τὸν χρόνον ἦσαν οἱ Φωκεῖς σῶοι. ἥκομεν δὲ δεῦρο ἀπὸ τῆς πρεσβείας τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους τρίτῃ ἐπὶ δεκάτῃ τοῦ Σκιρροφοριῶνος μηνός. *Pax igitur ſextadecima Elaphebolionis die facta eſt. Peregre autem abfuimus nos ad exigendum iuſiurandum tres menſes totos; & hoc toto tempore Phocenſes fuerunt incolumes. A legatione propter exigendum iuſiurandum ſuſcepta huc reverſi ſumus decimatertia Scirrophorionis menſis.* Deinde ſubdit ab Aeſchi-

(1) Differt. I. Sect. 38. & Diſser. III. Sect. 23. (2) De menſura Temp. c. 11.

Aeſchine Legatorum uno Athenienſes deceptos eſſe in concione, quae Athenis ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τῦ Σκιῤῥοφοριῶνος ἐγίγνετο *ſextadecima Scirrophorionis die facta fuit* : idque Phocenſes Athenienſium foederatos quinta poſt die, ſive 20. eiusdem menſis reſcire potuiſſe: tum ita proſequitur ὑκῦν εἰκὰς, ἣ τίθεμεν πυθέσθαι τὺς Φωκέας τὰ παῤ ὑμῶν· ἀπὸ γὰρ τῆς ἕκτης εἰς ταυτὴν πέμπτη γίνεται. ὑςέρα τοίνυν δεκάτη, ἐνάτη, ὀγδόη, ταύτῃ ἐγίγνοντο αἱ σπονδαὶ . . . τῇ τετράδι φθίνοντος ἐκκλησίαζετε μὲν ὑμεῖς τότ᾽ ἐν Πειραιεῖ περὶ τῶν ἐν τοῖς νεωρίοις. ἧκε Δερκύλλος ἐκ Χαλκίδος, ϗ ἀπήγγειλεν ὑμῖν ὅτι πάντα τὰ πράγματα ἐγκεχείρικε Θηβαίοις ὁ Φίλιππος. ϗ πέμπτην ἡμέραν εἶναι ταύτην ἐλογίζετο, ἀφ᾽ ὗ γεγόνασιν αἱ σπονδαί· ὀγδόη τοίνυν, ἑβδόμη, ἕκτη, πέμπτη, τέτρας; αυτὸ συμβαίνει εις ταύτην εἶναι πέμπτην. *Itaque vigeſima* Scirrophorionis *dies, qua ponimus Phocenſes ea, quae apud vos agebantur, cognoviſſe; a ſextadecima enim menſis die ad vigeſimam iſtam quintus hic dies. Proxima igitur decima, nona, octava* menſis deſinentis dies : *hac factum eſt foedus. . . . quarta deſinentis* menſis die *concionem vos habebatis in Piraeeo de navalibus; venit Dercyllus Chalcide, & vobis nunciat Philippum ſummam rerum commiſiſſe Thebanis, & quintum eum eſſe diem ponebat, ex quo foedus eſſet factum. Octava igitur, ſeptima, ſexta, quinta, quarta. Accurate contingit quintam* ab inito foedere *diem hanc eſſe*. Ex hoc illuſtri Demoſthenis loco, ex quo ſubinde plura tum illuſtrandae Phocenſis belli hiſtoriae, tum variis Scriptoribus corrigendis, explicandiſque oportunius alibi deducam [1], id interim perſpicue erudimur quod in Scirrophorione menſe δεκάτῃ φθίνοντος *decima deſinentis*, veluti ὑςέρα μετὰ εἰκάδα *proxima poſt vigeſimam*, numerata fuit; ideoque, cum Scirrophorion duodecimus anni menſis, adeoque cavus eſſet, manifeſtiſſime contra Petavium inferri debet, quod in Scirrophorione, ideoque in ceteris etiam cavis menſibus, vigeſima prima exemptilis eſſe non potuit. Colligitur etiam quod a decima quinta Scirrophorionis die uſque ad vigeſimam octavam nulla prorſus dies exemptilis haberi potuit, cum dierum illorum ſinguli uſque ad τετράδα φθίνοντος *vigeſimam ſeptimam* a Demoſthene aut expreſſe memorentur, aut certe in accurata dierum ſupputatione ab illo inſtituta contineantur; cumque eadem prorſus dierum ſeries apud Vlpianum Demoſthenis enarratorem habeatur,

(1) Diſsert. III. Num. XIX.

tur, perspicuum fiet, nullum omnino errorem in Demosthenis textum irrepsisse. Refellendae quoque Petavii hypothesi mirifice conferre posset Decretum aliud, quod ab ipso Demosthene memoratur, nisi insignis ille Demosthenis locus depravatus esset, ut sequenti Dissertatione contra Dodvellum ostendam. Asserit Orator ille quod audita Phocensium clade sequens Decretum Athenis factum fuit Ἐπὶ Μνεσιφίλου Ἄρχοντος συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ Στρατηγῶν, καὶ Πρυτάνεων, καὶ βουλῆς γνώμῃ, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος Καλλισθένης εἶπε μηδένα Ἀθηναίων μηδεμιᾷ παρευρέσει ἐν τῇ χώρᾳ κοιταῖον γίγνεσθαι *Mnesiphilo Archonte, concione a Strategis convocata, & de Prytanum, ac senatus sententia, Maemacterionis desinentis decima die, Callisthenes dixit ne quis Atheniensium ulla de causa in agro pernoctet*. Si perspicuus iste Demosthenis locus integer etiam, atque sincerus habendus esset, nihil certe illustrius afferri unquam posset ut nitide ostenderetur in cavis mensibus *decimam desinentis*, sive vigesimam primam illorum diem minime exemptam esse; cum Maemacterion ex Petavii hypothesi quartus, adeoque cavus esse debuerit, ac decima tamen ipsius desinentis dies hic nitide memoretur. Verum cum Phocensium clades vigesima septima Scirrophorionis die Athenas nunciata fuerit, ut superius ostendi, Decretum non Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος *Maemacterionis vigesima prima*, sed Σκιρροφοριῶνος τετράδι φθίνοντος *Scirrophorionis vigesima septima* fieri profecto debuit; ideoque Petavii hypothesis non hoc depravato Demosthenis testimonio, sed superiori potius loco refelli debet. Haec ipsa quoque dierum series, quae in superiori Demosthenis loco usurpata conspicitur, Vlpiani, atque Aristophanis Scholiastae testimonio confirmatur. Vlpianus enim ad superiora Demosthenis verba adnotavit: ἀριθμοῦσιν οἱ Ἀθηναῖοι ἐκ τῆς πρώτης καὶ εἰκάδος ἐξ ὑποστροφῆς λέγοντες εἰκάδα ὑστέραν δεκάτην, καὶ τὴν δευτεραν εἰκάδα ἐννάτην, καὶ την τρίτην εικαδα ὀγδόην καὶ ὁμοιως οὕτως ἕως τῆς τριακαδος *Athenienses a vigesima prima mensis die retrograda serie numerant pro vigesima prima dicentes decimam, pro vigesima secunda nonam, pro vigesima tertia octavam, sicque similiter usque ad trigesimam*. Aristophanes vero Strepsiadem aere alieno gravatum inducit, qui cum fenebrem pecuniam ἕνῃ καὶ νέᾳ, sive trigesima mensis die iuxta Atheniensium morem solvendam esse intelligeret, ita extremas mensis dies enumerat

Πέμ-

Πέμπτη, τετρὰς, τρίτη· μετὰ ταύτην δευτέρα,
Εἶθ' ἣν ἐγὼ μάλιςα πασῶν ἡμερῶν
Δέδοικα, . . . εὐθὺς ἔνη τε κ̀ νέα [1].
Quinta, quarta, tertia, post istam secunda,
Deinde illa, quam omnium dierum maxime
Timeo, repente vetus & nova, sive trigesima.

Ad ista vero Aristophanis verba Scholiastes adnotavit τὴν ἀκάδα πρώτην καλῦσιν ὑςέραν δεκάδα, κ̀ μετὰ ταύτην ἐννάτην φθίνοντος ἕως δευτέρας φθίνοντος, ἥτις ἐςὶν κθ'· τὴν δὲ τριακάδα ἔνην κ̀ νέαν *vigesimam primam appellant* ὑςέραν εἰκάδα (sic enim legendum existimo) *atque post istam nonam desinentis mensis usque ad secundam desinentis, quae est vigesima nona, trigesimam vero veterem ac novam* vocant: quemadmodum superius eadem ipsa serie singulos decem desinentis mensis dies expresserat. Scholiastes tamen alius ubi in contexenda dierum serie ad vigesimam pervenisset, ait ἡ αὐτὴ δὲ κ̀ εἰκὰς, μεθ ἣν ενδεκάτην φθίνοντος, ἢ δεκάτην, ἢ ἐννάτην, ἢ ὀγδόην, ὡς ἔτυχεν ἔχων ὁ μὴν, κ̀ ἑξῆς ἀναλύοντι ἄχρι δευτέρας. *eadem vero etiam vigesima* nominatur, *post quam undecimam desinentis* numerant, *vel decimam, vel nonam, vel octavam, prout mensem se habere contigerit; sicque deinceps usque ad secundam*. Eiusmodi vero Scholiastae verba Dodvellus arripuit ut ostenderet in Boedromione mense, qui plenus esse debebat, quamvis in illo secunda semper exempta foret, post vigesimam diem aliam insertam esse, quae ἐνδεκάτη φθίνοντος *undecima desinentis* appellaretur [2]; idque longe verisimilius esse putavit, quam si in secundae ipsius exemptae locum dies alia suffecta, vel numerata dicatur, quae alioquin ex Cycli lege eximenda fuerat [3]. Mihi vero suspicio suboritur quod Scholiastes ille non veterem Atheniensium morem, mensiumque formam respexerit, quae antiquioribus olim temporibus adhibebatur; sed illam potius, quae Athenis invaluit, postquam Athenienses ipsi solaribus, Romanisque mensibus uti coeperunt, quorum alii 31. alii 30. alius 29, vel 28. diebus constarent; ut optime proinde post vigesimam aut undecima, aut decima, aut nona, aut octava, pro mensium varietate, numerari debuerit. Ac certe, quamvis undecimam desinentis diem in Boedromione mense numerari potuisse Dodvello concedatur, in veteribus tamen Atheniensium mensibus octava repente post vigesimam supputari

L

(1) Aristoph. Nub. Act. IV. Scen. I. (2) Dissert. I. Sect. 39. (3) Ibi Sect. 29.

tari non potuit. Illud hic etiam coronidis loco addidisse iuverit Scaligeri [1], Petiti [2], aliorumque hypothesim, qui in lunaris anni fine quatuor ἀνάρχους dies numeratos esse putarunt [3], superiori Demosthenis testimonio clarissime confutari. Siquidem Demosthenes ipse testatur τετράδι φθίνοντος Σκιρροφοριῶνος *vigesima septima Scirrophorionis* die, qua Phocensium clades Athenis audita fuit, Athenienses ipsos concionem in Piraeeo de navalibus habuisse; ac insuper etiam Decretum exibet, quod eadem die *Mnesiphilo Archonte* factum fuit. Ergo, si Scirrophorion ille lunaris, idemque civilis fuit, ut plerique sentiunt, ac contra Scaligerum, Petitumque demonstrant, inferri profecto debet, quod quatuor illi ἄναρχοι dies in Scirrophorionis vel anni lunaris fine admitti non possunt: quandoquidem τετρὰς φθίνοντος *vigesima septima* mensis dies, prima ex quatuor ἀνάρχοις illis esset futura, nullusque proinde Archon in illa imperare, ac nulla de navalibus in Piraeeo concio haberi potuisset, sed Populus omnis in Pnycem ad Comitia, sive novos Magistratus creandos convenisset.

XVI. Examinanda postremo nunc superest Dodvelli opinio, quae quamvis ceteris omnibus accuratior haberi debeat, subinde tamen in vera exemptilium dierum sede definienda inconstans esse conspicitur. Subtiliter ille primum, ac ingeniose inquirit quaenam dies in Cyclis Metone antiquioribus exempta fuerit; atque accurate demonstrat, quod *in Cyclis, qui alternis mensibus plenis, cavisque constabant, trigesimus semper in cavis eximebatur* [4] sed ita tamen, ut non τριακὰς ipsa, sive *trigesima* dies, sed potius vigesima nona expungeretur, atque τριακὰς in vigesimae nonae iam exemptae locum descenderet: quod obscurius quidem Geminus innuit, qui in Cyclis Metone antiquioribus τριακάδα διὰ παντὸς *trigesimam semper* exemptilem fuisse significat; clarius vero Proclus expressit, & Tzezes, qui δευτέραν φθίνοντος *secundam desinentis* mensis diem exemptilem fuisse dicunt [5]. Instituta vero Metonis Enneadecaeteride ita exemptilium quoque dierum series variata fuit, ut ab initio Cycli sexagesimus tertius quisque dies eximeretur. Ita, cum Cyclus Olymp. LXXXVII. anno 1. ab initio Hecatombaeonis incepisset, primus exemptilis dies in ter-

(1) Canon. Isag. Lib. III. c. 7. (2) Ecl. Chron. c. 4. (3) Vid. Dodv. Diss. I. Sect. 10. (4) Diss. I. Sect. 38. (5) Vid. Dodv. Diss. III. Sect. 24.

tertium Boedromionis incidere debuit ; atque numeratis exinde 63. diebus aliis , ſecundus exemptilis eſſe debuit ſextus Pyanepſionis; rurſumque , numeratis iterum aliis 63. diebus , tertius exemptilis fuit nonus Gamelionis ; atque ita ſemper : ut in cavis proinde menſibus dies , quae exemptilis eſſe poterat , una ex ſequentibus eſſe debuerit 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. Atque eiuſmodi quidem exemptilium dierum ordinem ex Gemino obſervavit Dodvellus , qui Metonis Cyclum cum antiquioribus aliis conferens ait *δι ἡμερῶν ἄρα ξγ΄ ἐξαιρέσιμον τὴν ἡμέραν ἄγειν δεῖ ἐν αὐτῇ τῇ περιόδῳ. οὐδὲ γίνεται ἐξαιρέσιμος ἡ τριακὰς διὰ παντὸς, ἀλλ' ἡ διὰ τῶν ξγ΄ ἡμερῶν πίπτουσα ἐξαιρέσιμος λέγεται*; *Per dies igitur 63. oportet unum exemptilem facere diem in eadem Periodo, neque ſemper fit exemptilis dies trigeſimus*; *ſed is qui poſt 63. dies cadit, exemptilis dicitur*; idque Dodvellus coniecturis etiam , & argumentis aliis contra Petavium demonſtravit [1] , qui Metonis Cyclum , atque exemptilium dierum ordinem ab illo inſtitutum in popularibus annis uſurpatum eſſe negaverat [2]. Brevi tamen hanc ipſam exemptilium dierum methodum viguiſſe putat Dodvellus ; atque praeſertim ab anno 3. Olymp. CXII. quo Calippica Periodus inſtituta fuit , antiquam illam exemptilium dierum ſeriem , quae ante Metonem uſurpata fuerat , iterum obtinuiſſe dicit ; ut exemptilis ille , ſive ſexageſimus tertius dies ab initio Cycli ſucceſſive numeratus , videatur ſolum deſignaſſe menſem , in quo aliquis dies eximendus eſſet : ac *in menſe , qui diem exemptilem habebat , dies menſis Attici revera vigeſimus nonus τριακὰς appellatus fuerit. Sic menſem potius excavandum deſignabat exemptilis , quam locum menſis , in quo dies erat eximendus . Similiter procedendum in Cycli etiam Calippici diebus exemptilibus . Ita quidem temporibus recentioribus . Antiquioribus enim ipſum exemptilem detractum fuiſſe , docere videntur exempla in Hiſtoria* [3].

XVII. Quid doctiſſimum Virum impulerit , ut opinionem illam complecteretur , divinari vix poteſt . Suſpicor tamen id ex ſola Gemini auctoritate prodiiſſe ; qui , cum in Graecis popularibus annis ſex menſes alterne plenos , totidemque cavos diſtinxiſſet [4] , atque bimeſtre ſpatium 59. dierum fuiſſe dixiſſet , facile Dodvellum impulit , ut poſterioribus

 ſal-

(1) Diſſ. I Sect. 24. (2) Doctr. Temp. Lib. II. c. 10. (3) Ad Tabulas Cycli Meton. Enneadecaet. VI. & Diſs. I. Sect. 38. (4) Elemen. Aſtr. c. 6.

ſaltem temporibus, atque ipſa proinde Gemini aetate novam hanc aliam exemptilium dierum formam a Metonica prorſus diverſam invaluiſſe crederet. Mihi vero rem diligentius conſideranti longe veriſimilius videri ſolet florentibus adhuc Athenis, eademque anni forma prorſus incolumi, eandem illam Metonis ſeriem accurate ſervatam eſſe; niſi fortaſſe contrarium perſpicuis Veterum teſtimoniis oſtendatur, quae nulla tamen hac in parte a Dodvello, ſi ambiguam illam Gemini autoritatem exceperis, afferuntur. Compertum eſt quidem Olympiade CXII. Calippicam Periodum inventam eſſe, qua labes, & error aliquis ex Metonis Enneadecaeteride expungeretur; at illa Metonici Cycli labes non in exemptilium dierum ordine reperiebatur, ſed in ipſa potius anni quantitate, quam 76. annorum ſpatio unico die iuſto maiorem putaverat olim Meto, quem proinde diem Calippus in ſua 76. annorum Periodo expungendum decrevit. Nullibi tamen aut in Gemino, aut in Scriptoribus etiam aliis offenditur quod exemptilium dierum ſedes a Metone iam conſtituta, deinde a Calippo mutata fuerit; cum tamen Geminus ipſe de Metonis Enneadecaeteride loquens illud etiam accurate monuerit quod in illa nova exemptilium dierum ſeries inſtituta fuit: idem profecto de Calippica quoque Periodo dicturus, ſi in illa nova quaedam exemptilium dierum forma, menſiumque alterne plenorum, cavorumque varietas inducta foret, quam Dodvellus exiſtimavit.

XVIII. At neque perſpicua ſolum Veterum teſtimonia deeſſe video, quibus Dodvelli ſententia defendi poſſit; ſed plurima potius occurrunt, quibus illa fortaſſe refelli poſſe videatur. Certe ſi conſtans illa menſium alterne cavorum, plenorumque varietas, Graecique anni forma, quae a Gemino fuſe deſcribitur, ſaltem Olympiade CXII. uſurpata fuiſſet, facile exemptiles anni dies non amplius in anno numerati fuiſſent; ideoque annus ipſe non 360., ſed 354. dierum fuiſſet, ut ſemel iterumque Geminus aſſeruit, atque Dodvellus ipſe de recentioribus eiuſmodi temporibus intelligendum eſſe putavit. Sed perſpicuis Veterum teſtimoniis erudimur quod circa Olympiadem CXVIII. adhuc in anno 360. dies numerabantur, cum Demetrio Phalereo 360. ſtatuae Athenis erectae fuerint (1) toti-

(1) Laert. Lib. V. ſeg. 75.

totidem nimirum, ut Plinius [1], & Varro apud Nonnium explicarunt,

Quot luces habet annus absolutus

Ad haec, si Calippi aetate menses alterne pleni, cavique usurpari caepissent, atque ita quidem ut ex Dodvelli sententia pleni cavos praecederent, Scirrophorion, duodecimus anni mensis, necessario cavus, sive 29. dierum fuisset. At mensis ille Dionysii Halicarnassaei aetate plenus fuisse conspicitur: Siquidem accuratissimus Auctor ille de Troiano excidio loquens ait illud vigesima tertia Thargelionis die contigisse; atque exinde ad anni finem, iuxta Atheniensis anni formam, 37. dies numerandos esse; Ἴλιον μὲν ἥλω τελευτῶντος ἤδη τȣ̃ ἔαρος ἑπτακαίδεκα πρότερον ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς, ὀγδόῃ φθίνοντος μηνὸς Θαργηλιῶνος, ὡς Ἀθηναῖοι τȣ̀ς χρόνȣς ἄγȣσι. περιτταὶ δὲ ἦσαν αἱ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἐκπληρȣ̃σαι μετὰ τὴν τροπὴν εἴκοσι ἡμέραι . . . ἐν δὴ ταῖς ἑπτὰ ϗ τριάκοντα ταῖς ἀπὸ τῆς ἁλώσεως διαγενομέναις οἱ Ἀχαῖοι[2] *Ilium captum est vergente iam vere, septemdecim diebus ante solstitium, octava desinentis Thargelionis die, ut Athenienses tempora numerant. Supererant post solstitium ad annum illum explendum dies viginti. Itaque triginta septem diebus, qui captam Urbem secuti sunt, Achaei &c.* Nullus hic dubito quin Dionysius ipse in supputanda temporum serie, Troianique excidii die definienda eam anni, mensiumque Atticorum formam expresserit, quae ipsius aetate ab Atheniensibus adhibebatur. Itaque, si post vigesimam tertiam Thargelionis diem semel iterumque dicit 37. dies ad annum illum explendum superfuisse, quis aperte non videat Scirrophorionem non cavum, aut dierum 29.; sed plenum potius esse oportere, ut 30. nimirum dies accuratissime contineret, ac nulla proinde in illo exemptilis esse posset? Certe, si Dionysii aetate Scirrophorion ita cavus fuisset, ut δευτέρα φθίνοντος *vigesima nona* semper in illo exemptilis esse deberet, accuratissimus Auctor ille veram Troiani excidii diem subtiliter definire volens, exemptilis eiusmodi diei rationem habuisset, secus ac Dodvellus existimavit [3]; ideoque ab excidii die ad anni finem non 37. sed 36. solum dies numerandos esse dixisset. Video quidem illustrem hunc Dionysii locum tum a Petito [4], tum a Petavio [5] quoque

(1) Lib. XXXIV. c. 6. (2) Lib. I. c. 63. (3) Disser. I. Sect. 10. (4) Eclog. Chron. c. 1. (5) Doctr. Temp. Lib. IX. c. 30.

que emendari, atque ita corrigi ut cum Periodo, quae tum a Petito, tum a Petavio proponitur, ille conspiret. Sed ambiguas coniecturas illas hic nihil moror. Quamvis enim Dionysium in definienda solstitii sede, sive Troiani excidii tempore deceptum esse quis dixerit, nullus tamen in ipsius textu perspicuus error offendi potest; adeoque ex ipsius hypothesi, calculoque Scirrophorion ipsius aetate cavus esse non poterat. Video quoque Ilii excidium, quod a Dionysio vigesimae tertiae Thargelionis diei tribuitur, a Plutarcho (1), simulque Arundelliani Marmoris Auctore ἑβδόμῃ φθίνοντος Θαργηλιῶνος, sive vigesimae quartae adscribi (2). Sed facile dissidium illud componi poterit sive quod nox illa, qua Urbs incensa, ac direpta fuit, tum ad vigesimam tertiam, quae praecesserat, tum ad vigesimam quartam proxime insequentem diem referri possit; sive quod in Thargelione mense dies aliqua iuxta Metonis leges exempta concipiatur; adeoque una eademque dies, quae vere *vigesima tertia* fuerat, atque ὀγδόῃ φθίνοντος a Dionysio, & Clemente quoque Alexandrino (3) vocata fuit, *vigesima quarta* ab aliis appellari potuerit, si exemptilis ipsa in dierum numecomputetur: quemadmodum certe eadem fortasse de caussa vetus etiam Euripidis Scholiastes a Scaligero (4) citatus asserit Ilium ὀγδόῃ φθίνοντος *vigesima tertia* Thargelionis die excisum esse. Quod si vere Plutarchus ipse, Marmorisque Auctor ideo vigesima quarta Thargelionis die Ilii excidium consignarunt, quod exaeresin non in Scirrophorione, sed potius in Thargelione mense factam putaverint, exinde quoque inferre quis poterit exemptilium dierum sedem ipsorum aetate iuxta Metonis hypothesim adhuc adhiberi consuevisse, secus ac doctissimo Dodvello videbatur. Idipsum quoque ex Diodoro Siculo facile coniici poterit. Siquidem ille de Metonis Enneadecaeteride loquens ait διὸ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων οἱ πλεῖστοι τῶν Ἑλλήνων χρώμενοι τῇ Ἐννεαδεκαετηρίδι, ὀ διαψεύδονται τῆς ἀληθείας (5) *ideo Graecorum plerique Enneadecaeteridis rationem amplexi ad haec usque tempora a veritate non aberrant*. Athenienses praesertim hic a Diodoro *Graecorum* nomine designari facile concedet Dodvellus, quippequi testimonium illud exscripserit (6), ut contra Petavium ostenderet Metonis Periodum in popularibus etiam

(1) In Camillo. (2) Lin. 39. Epoch. 25. (3) Strom. I. (4) De Emend. Lib. IV. pag. 263. (5) Lib. XII. c. 36. (6) Diss. I. Sect. 6.

etiam annis usurpatam esse. Itaque, si Diodori aetate Athenienses Metonis Enneadecaeteride feliciter utebantur, nihil est certe cur in exemptilium dierum sede definienda Periodum, methodumque aliam ab ipsis usurpatam esse putemus; cum praesertim ipsa quoque Periodus, quae a Calippo inventa fuit, *Metonicae Periodi* nomine appellaretur: quippequae 4. Metonis Periodos contineret, atque uno solum in capite ab ipsa Metonis Periodo dissideret.

XIX. Quid vero quod & celebris etiam ille Pollucis locus, quem contra Petavium Dodvellus adhibuit, hic contra Dodvellum ipsum retorqueri facile potest? Dixerat Pollux quod post vigesimam mensis diem numeratur vigesima prima, tum vigesima secunda, quae etiam ἐνάτη φθίνοντος *nona desinentis* mensis appellatur: cumque Pollucem Dodvellus de cavis etiam mensibus loquutum putaret, contra Petavium deduxit quod vigesima prima in mensibus etiam cavis numerari consueverat, ideoque exemptilis esse non poterat. At Pollux ipse eodem ipso loco perspicue dicit quod vigesima secunda mensis dies ideo ἐνάτη φθίνοντος *nona desinentis* dicebatur quia 9. adhuc post vigesimam primam in mense dies supererant θ' γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κά *novem enim dies post vigesimam primam supersunt*: ergo iuxta Pollucem post vigesimam primam mensis diem 9. praeterea dies numerari consueverunt; ideoque mensis ipse 30. diebus ita constabat, ut ne quidem δευτέρα φθίνοντος, sive *vigesima nona* exemptilis esse potuerit. Itaque, si Dodvellus ibi Pollucem de plenis solum mensibus loquutum velit, non erit certe cur ille contra Petavium Pollucis testimonio utatur, *ac vigesimam primam* exemptilem fuisse neget; sin vero de cavis etiam ibi Pollucem intelligendum esse arbitretur, iam manifeste fateri debet quod neque δευτέρα φθίνοντος, sive vigesima nona eximebatur.

XX. Clarius id etiam ex altero Pollucis loco deprehendisse videor, in quo δευτέρα φθίνοντος *secunda desinentis*, sive vigesima nona ita mensibus omnibus a Polluce tribuitur, ut illa exemptilis esse non posse videatur. Etenim Pollux ubi de Areopagi Iudicibus loquitur ait quod illi καθ' ἕκαστον μῆνα τριῶν ἡμερῶν ἐδίκαζον ἐφεξῆς, τετάρτῃ φθίνοντος, τρίτῃ, δευτέρᾳ [1] *mensibus singulis, tribus continuis diebus, ius dicebant, quarta* scilicet *mensis desinentis, tertia, & secunda*. Quis itaque existimet

δευ-

(1) Lib. VIII. c. 10. seg. 117.

δευτέραν φθίνοντος *secundam desinentis*, sive vigesimam nonam mensis diem, veluti solemnem, statamque iudicii diem, quolibet mense designatam esse, si alternis illa mensibus eximenda foret? Fieri quidem facile poterat ut certa quaedam mensis alicuius dies alicui Festo celebrando constituta fuerit, quamvis illa iuxta Metonis Cyclum exemptilis aliquando futura foret, ideoque Festum illud in sequentem diem migrare deberet; at fieri certe vix potuit ut publica, solemnisque illa dies iudiciis habendis quolibet anni mense designaretur, quae deinde singulis alternis mensibus eximenda fuerat. Quod si Polluce teste δευτέρα φθίνοντος *vigesima nona* in cavis mensibus numerabatur, non erit certe cur Pollucem ipsum de iis solum temporibus intelligendum esse opinemur, quibus ab Olympiade LXXXVII. ad CXII. exemptilium dierum ordinem a Metone constitutum floruisse putat Dodvellus; sed de ipsa potius Pollucis aetate intelligendus erit; ideoque Pollucis, sive Commodi Caesaris, aetate δευτέρα φθίνοντος, sive vigesima nona mensis dies exemptilis esse non potuit.

XXI. Sed, inquiet cum Petavio, simulque Gaza Dodvellus, a Gemino perspicue docemur populares menses aliquando alterne plenos, & cavos fuisse, ut bimestre temporis spatium 59 dierum spatio definiretur; ergo, cum illa mensium alterne plenorum, cavorumque varietas ab Olympiade LXXXVII. ad CXII. obtinere non potuerit, dum exemptilium dierum ordo iuxta Metonis Cyclum procederet, in quo teste Gemino duo interdum continui menses simul pleni esse poterant, necessario fatendum est quod Olympiade CXII. sive recentioribus iis temporibus novus alius exemptilium dierum ordo, novaque Graeci anni forma constituta fuit, in qua menses ipsi alterne cavi, plenique forent. Quin etiam Proclus ipse, qui IV. Ecclesiae Seculo floruit, celebrem Hesiodi versum exponens ait ἄρχεται οὖν ὁ Ἡσίοδος ἐκ τῆς τριακάδος· καθ' ἣν ἡ ἀληθὴς ἐστι σύνοδος, ὅτε μεν οὖσαν τριακάδα ἄνευ ἐξαιρέσεως, ὅτε δε κθ ὅτε καὶ ὑπεξαιρεῖται ἡ πρὸ αὐτῆς *caepit igitur Hesiodus a trigesima, in qua vera Lunae cum Sole coniunctio fit, quae interdum est trigesima, citra exemptionem: alias vigesima nona, quando antecedens dies eximitur*; ideoque Procli, ut videtur, aetate in cavis mensibus *vigesima nona* dies, quae nimirum proxime τριακάδα, sive *trigesimam* praecedebat, exemptilis esse debuit. Id perspicue

ſpicue quidem a Gemino doceri ego video ; at illa Gemini auctoritas mihi ſubinde ſuſpecta eſſe ſolet ; nec tanti profecto eſſe poterit, ut contra veterum Scriptorum fidem me quoque in Dodvelli ſententiam abripiat . Fieri quippe fortaſſe potuit, ut Geminus ipſe menſium alterne plenorum , cavorumque rationem exponens non ſua , ſed antiquiora illa tempora potius reſpexerit , quibus ante Metonis Enneadecaeteridem menſes alterne pleni , cavique adhibebantur , & annus ipſe 354. dierum haberi conſueverat : quo certe ſenſu Procli teſtimonium intelligendum eſſe Petavius , ac Dodvellus ipſe fatetur . Et quamvis etiam poſteriora tempora , ſuamque aetatem reſpexerit, ſuſpicari fortaſſe cum Petavio [1] quis poterit ipſum non de Athenienſi , ſed alia potius Urbe loquutum eſſe . Addi etiam poterit quod in ipſa quoque Metonis Enneadecaeteride menſes alterne pleni , cavique dici poſſunt ; cum certe poſt duos menſes illos , qui ab initio Cycli pleni eſſe debent, ceteri pone ſequentes alterne pleni , cavique ſint . Fieri quoque potuit ut in publicis quibusdam, privatiſque negotiis, ut locationibus &c. antiquior illa , clarior , & aequabilior anni forma , quae prius adhiberi conſueverat , etiam poſt inſtitutam Metonis Enneadecaeteridem uſurpata fuerit ; quamvis in digerenda anni ſerie , in magiſtratibus obeundis , in exemptilibus diebus expungendis ſubtilior illa, atque accuratior Metonis methodus adhiberetur. At ne levioribus coniecturis iſtis hic immorer , verum Gemini ſenſum ex ipſius verbis , quae praeceſſerant , eliciendum eſſe putaverim . Dixerat Geminus accuratum menſis ſpatium , quod ex una ad coniunctionem aliam extenditur , eſſe dierum 29. $\frac{1}{2}\frac{1}{33}$; atque repente ſubdit = *quae vero menſtrua tempora ad civilem uſum minus accurate ſumuntur , ea ſunt dierum* 29. $\frac{1}{2}$; *ita ut bimeſtre tempus fiat dierum* 59. *unde propter hanc cauſam civiles menſes alternatim aguntur pleni , & cavi propterea quod Luna bimeſtris ſit dierum* 59. Ergo non aliud hic innuere , vel obſervare vult Geminus , niſi quod in popularibus annis , ac Urbis uſu non rigoroſa illa, paulloque ſubtilior menſium quantitas , ſed laxior alia adhibebatur ; ut nempe cuilibet menſi dies 29. $\frac{1}{2}$ tribuerentur , adeoque bimeſtre ſpatium dierum 59. cenſeretur, ac ſi menſis unus dierum 30. plenuſque foret ; alter vero dierum 29. vel cavus eſſe deberet : ſive quod idem

M eſt

(1) Auctor. lib. IV. c. 6.

eſt in definienda lunarium menſium, lunariſque anni quantitate menſes ipſi veluti alterne pleni, cavique conciperentur. Exinde vero, niſi plurimum ego fallor, inferri certe non poterat quod ita Gemini aetate populares menſes Athenis agerentur, ut illi vere alterne pleni, cavique forent, ut conſtanter nimirum uni menſi 30. dierum menſis alter dierum 29. ſuccederet. Ita fere ſi dixerim accuratam ſolaris anni quantitatem eſſe dierum 365. hor. 5. min. 49. ſed tamen, iuxta popularem uſum, annuum tempus dierum 365. horiſque 6. circumſcribi, ſive civiles annos ita populariter agi, ut illorum cuilibet 365. dies, & 6. horae tribuantur, inferri certe non poterit, quod ita ſolaris anni tempus iuxta popularem uſum diſponatur, ut in anno quolibet 365. dies, horaeque ſex numerentur antequam proximus annus incipiat; ſed ita potius intelligetur, ut ſolaris anni quantitas ea certe lege adminiſtratur, ut annus quilibet diebus 365., horiſque ſex compoſitus exiſtimetur, atque ex eiuſmodi populari ſolaris anni quantitate plurium deinde annorum Periodus efformetur. Non aliter ergo Geminus, ut opinor, aſſeruit bimeſtre ſpatium iuxta Urbis uſum eſſe dierum 59. ſive menſes alterne plenos, cavoſque populariter agi quam, ut oſtenderet in populari Periodo ſubtiliorem alium dierum numerum negligi, atque ita menſium quantitatem digeri, ac ſi alterne pleni, cavique illi forent: non vero quod ipſius aetate, repudiata Metonis lege, ita exemptilium dierum ſedes conſtituta fuerit, ut ſemper illi in alternis menſibus eximerentur. Ac certe quidem Gemini teſtimonium ita veriſimilius explicandum eſſe, menſiumque quantitatem hic ab illo definitam in ipſa quoque Metonis Enneadecaeteride uſurpatam eſſe facile ex Gemino deprehendi poteſt. Etenim ille ubi Enneadecaeteridis rationem inferius exponit, aſſerit annum lunarem a Metone adhibitum eſſe dierum 354., adeoque perſpicue ſupponit Geminus bimeſtre ſpatium eſſe dierum 59. Ergo dum antea dixerat bimeſtre ſpatium eſſe dierum 59., menſeſque alterne plenos, & cavos in popularibus annis agi, non aliam menſium formam ab Enneadecaeteridis rationibus diverſam exponit; nihilque proinde eſſe debet cur exemptilium dierum methodum a Metonica diverſam hic cum Dodvello ſuſpicemur. Itaque longe veriſimilius cenſeri facile poterit ab Olymp. LXXXVII. ad illa uſque tempora, quibus Athenienſium menſes ex luna-

ribus

ribus solares facti sunt, Metonicam, atque Calippicam Periodum ita semper usurpatam fuisse, ut in diebus etiam eximendis eadem illa Periodus, & ratio servata sit, quae a Metone inventa, atque a Calippo recepta fuerat.

XXII. Explorata vero, vel accuratius demonstrata civilis Attici anni forma, mensium ordine, ac varietate, praesertim vero exemptilium dierum sede, explorandus etiam occurrit mensis ille, quo idem civilis annus inceperit; & Archontes ipsi, qui supremam Athenis dignitatem obtinebant, magistratum illum susceperint: qua quidem in re Dodvellum, atque Petavium non a Scaligero solum, sed inter se quoque dissidentes esse conspicimus. Atque initio quidem illud est optime a Dodvello observatum (1) quod Archontes omnes in ipso civilis, ac popularis anni principio magistratum iniere; ut proinde unus, idemque censeri debeat mensis ille, a quo civilis, simulque Archonticus etiam annus inceperit; cum praesertim civiles, ac populares anni Archontis Eponymi nomine distinguerentur, ut superiori Dissertatione iam diximus. Itaque, ut Archontici anni principium ostendatur, mensis ille constitui debet, a quo civiles Atheniensium anni exordirentur. Porro civiles eiusmodi Atheniensium annos antiquioribus illis, primisque temporibus, quibus menses omnes τριακονθήμεροι 30. *dierum* censebantur, antequam accuratior lunaris annus in civilem usum a Solone anno 4. Olymp. XLVI. inventus esset, ab solstitio hyberno, vel Gamelione mense incepisse plurima ostendunt, quae Dodvellus accurate complectitur (2); atque illud in primis quod embolimus mensis ille, qui in civilis anni fine adiungebatur, *Posideon II.* appellari consueverit, quod ille nimirum Posideoni mensium postremo succederet. Clariori tamen, longeque certiori, ut opinor, argumento esse poterit quod Metonis quidem Periodus ab aestivo solstitio, vel Hecatombaeonis initio incipiebat, Cleostrati vero, simulque Harpali Cyclus, quo Athenienses in anno civili ante Metonem utebantur, a solstitio hyberno vel Gamelionis initio ducebatur, ut ex Avieno erudimur

Nam quae solum hyberna novem putat aethere volvi
Ut Lunae spatium redeat, vetus Harpalus, ipsa
Ocius in sedes, momentaque prisca reducit.

 Sed

(1) Diss. III. Sect. 35. (2) Diss. I. Sect. 6.

Sed primaeva Meton exordia ſumpſit ab anno
Torreret rutilo cum Phoebus ſidere Cancrum [1].

Itaque fallax, omninoque dubia cenſeri facile poterit Scaligeri ſententia [2], qui vetus illud civilis anni principium a Gamelione ad Hecatombaeonem menſem tranſlatum eſſe putavit anno 3. Olymp. LIII. quo maiora Panathenaea Feſta ſunt inſtituta, quae, ludorum olympicorum inſtar, peracto quatuor annorum ſpatio peragebantur. Etenim, ſi ut Scaliger ipſe teſtatur [3], Cleoſtrati Periodus Olympiade LX. eſt inſtituta, atque in illa principium anni a Gamelione menſe deducebatur, dubitari certe non poterit quin civilis etiam anni principium Gamelioni potius, quam Hecatombaeoni menſi tunc temporis adhuc tribueretur, niſi perſpicuis Veterum teſtimoniis id falſum eſſe oſtendatur, quae nulla tamen hic a Scaligero proferuntur. Nec multo ſane felicior hac in parte Petavius ipſe, qui quamvis ingenue fateatur ſe ignorare quandonam Gamelion primus anni menſis eſſe deſierit [4], longe tamen antiquius hoc inſtitutum eſſe putavit, quam ut Scaligero videbatur [5]. Licet enim perſpicua Veterum teſtimonia deeſſe ego videam, quibus civilis, & Archonticus annus uſque ad Olymp. LXXXVII. ſemper a Gamelione menſe incepiſſe oſtendatur, facile id tamen ex ipſo Periodorum initio, quibus Athenienſes in civilibus etiam annis, populique temporibus digerendis ante Metonis Enneadecaeteridem utebantur, inferri poſſe putaverim. Itaque, ſi Cleoſtrati, Harpalique Periodus a Gamelione menſe incepere, ut Petavius ipſe fatetur [6], non video certe cur civilis anni principium ad Hecatombaeonem menſem tranſlatum eſſe temere ſuſpicemur. Quod ſi civilis, & Archonticus etiam annus ante Olymp. LXXXVII. a Gamelione menſe ita ſemper incepit ut menſibus ſex cum dimidio Olympici anni principium praecederet, quod ab Hecatombaeonis ipſius dimidio, vel plenilunio ducebatur, manifeſtiſſime inferri debet quod Apſeudes ille, qui Olymp. LXXXVII. anno 4. in Archontum Faſtis occurrit, ſex ſolum menſibus, aut potius octodecim imperavit. Ac Dodvellus [7] quidem longe veriſimilius exiſtimat illum a prima Gamelionis ad decimam tertiam Scirrophorionis ſequentis

(1) In Arataeiſ. (2) Emend. Temp. Lib. I. pag. .. & Can. Iſag. Lib. III. c. .. (3) Emend. Temp. Lib. I. pag. .. (4) Doctr. Temp. Lib. I. c. 24. (5) Lib. II. c. 1. (6) Lib. II. c. 3. (7) Diſs. III. Sect. 35.

tis diem imperasse, qua Diodoro teste, Metonicus Hecatombaeon incepit, ipsumque proinde mensium quinque cum dimidio Archontem fuisse dicit. Mihi vero longe verisimilius videtur Apseudem ipsum 18. potius quam 6. solum mensibus imperasse. Etenim perspicua primum, perennisque Archontum series cum olympicis annis collata id satis aperte demonstrat, ut mox ostendetur. Deinde vero longe facilius id ab Atheniensi populo extorqueri potuisse videtur ut superioris anni Magistratus, peracto iam anni tempore, per 5. menses alios in imperio perseverarent, quam ut repente Magistratus illi nuper electi in ordinem redigerentur. Ergo civilis Archontum annus ante Olymp. LXXXVII. ita cum olympicis annis committi debet, ut Archontes ipsi ad annum illum Olympicum referantur, qui ipsis Magistratu iam fungentibus incepturus erat: ut ex. gr. Lysimachus, qui exeunte anno 4. Oly. LXXXV. Gamelione mense incepit, anni 1. Olymp. LXXXVI. Archon dicatur, Antilochides secundi, Chares tertii, Apseudes denique quarti, donec Pythodori Archontis annus Hecatombaeone mense anno 1. Olymp. LXXXVII. una cum civili, simulque olympico inciperet. Sin vero Apseudes ille sex solum mensibus imperasset, ut volebat Dodvellus, Archontes ipsi ad annum illum olympicum referendi forent, quo labente magistratum susceperant. Sed methodus tamen ista, quae in Archontum serie a Dodvello usurpata conspicitur, a perspicuis Veterum testimoniis abhorret. Siquidem, ut exemplum unum hic proferam, Lysimachus a Diodoro (1), Dionysio Halicarnasseo (2), Plutarcho (3), aliisque pluribus ad annum 1. Olymp. LXXXVI. refertur, & Apseudes ad 4. cum tamen ex Dodvelli methodo Lysimachus ad 2. annum, atque Apseudes ipse non ad 4. Olympiadis ipsius, quo sex mensium spatio imperaverat, sed ad annum 1. Olymp. LXXXVII. referendus esset, adeoque nullum in Diodori, aliorumque Veterum Fastis locum haberet, vel nulli olympico anno adscribi ille posset, quippe quum nullus olympicus annus, dum ipse Archontis munere fungebatur, inceperit. Addi postremo etiam poterit quod in Diodori serie (4) Romani Consules exprimuntur, qui eodem Apseudis Archontis tempore imperarunt, ut integra proinde, sibique constans tum Archon-

(1) Lib. XVI. c.... (2) In Vita Isocr. (3) Vita X. Rhet. in Isocr. (4) Lib. XVI. c.......

chontum, tum Consulum etiam series in illo habeatur: quod fieri certe vix poterat si Apseudes ipse quinque solum mensibus imperasset. Ceterum in re subobscura nihil hic temere definire velim; cum praesertim haec ipsa accuratius alibi Disser. XIV. sint explicanda. Illud interim veluti verisimilius cum Dodvello censeri facile poterit quod Archonticus annus usque ad Olympiadem LXXVII. a Gamelione mense semper incepit. Quod vero civilis, & Archonticus etiam annus ab Olympiade LXXXVII. una cum olympico ab Hecatombaeone mense processerit, comunis est quidem Scriptorum omnium opinio, sed illa tamen ambiguis Thucydidis, Platonis, aliorumque testimoniis innititur, ut inferius ostendam. Clarioribus tamen, certisque monimentis aliis haec facile confirmari poterit, ut nullus proinde ambigendi locus supersit quin Archontes omnes post Olympiadem LXXXVII. ab Hecatombaeone mense magistratum illum susceperint; adeoque primus civilis anni mensis Hecatombaeon, Scirrophorion vero postremus haberi consueverit. Quamvis autem civilis eiusmodi, atque Archontici simul anni principium a Gamelione mense ad Hecatombaeonem translatum fuerit, embolimus tamen mensis ille, qui iuxta Metonis leges in annis aliquibus inserebatur, non Scirrophorioni mensium civilium postremo, sed Posideoni potius, ut antea, adiungebatur, ideoque embolimus mensis ille non *Scirrophorionis*, sed *Posideonis II.* nomine distinguebatur. Atque perspicue id quidem nobis ostendit Ptolemaeus, qui lunarem eclipsem contigisse memorat anno 3. Olymp. XIC. Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐάνδρου μηνὸς Ποσειδεῶνος προτέρου [1] *Archonte Athenis Evandro mense Posideone primo*: quemadmodum pulcherrima Inscriptio [2] Athenis posita, atque alibi nobis oportunius proferenda [3] ita civilis Attici anni menses enumerat, ut inter Maemacterionem, & Gamelionem mensem Posideon I., & Posideon II. interseratur. Itaque prorsus immerito suspicari videtur Dodvellus [4] quod quando civilis annus incepit ab Hecatombaeone, embolimus, vel intercalaris mensis non fuerit amplius Posideon, sed Scirrophorion; idque aliis investigendum relinquit. Perspicue siquidem ex Ptolemaei testimonio, quod alibi [5] Dodvellus ipse laudavit ut ostenderet annum 3. Olym-

(1) Lib. IV. c. 11. (2) Sponi. Pop. Attic. artic ... (3) Dissert. XI. (4) Annal. Thucyd. pag. 123. (5) Dissert. I. Sect. 34.

lymp. IC. embolimaeum fuiſſe, colligitur Olymp. IC. quando civilis Atticus annus ab Hecatombaeone certe incipiebat, embolimum tamen menſem Poſideonem adhuc fuiſſe; idque ſequioribus etiam temporibus obtinuiſſe ex Sponiana Inſcriptione maniſeſtiſſime demonſtratur.

XXIII. Ceterum quod civilis, & Archonticus etiam Athenienſium annus Hecatombaeone menſe poſt Oly. LXXXVII. inceperit, Dodvellus ipſe [1] ex illuſtri praeſertim Thucydidis loco inferri poſſe putavit. Thucydides enim Peloponneſiacum bellum, quod ineunte vere anni 1. Olymp. LXXXVII. certiſſime exarſit, incepiſſe dicit Πυθοδώρȣ ἔτι δύο μῆνας Ἄρχοντος [2] *Pythodoro adhuc per duos menſes Archonte*. Ergo, ſi Pythodorus initio belli, hoc eſt exeunte Munichione menſe, iam decem in magiſtratu menſes exegerat, ipſique duo ſolum imperii menſes ſupererant, manifeſtiſſime deduci debet quod Pythodorus ipſe, adeoque Archontes etiam alii, qui Pythodoro poſt Olymp. LXXXVII. ſucceſſere, non amplius a Gamelione, ſed ab Hecatombaeone menſe incipiebant: alioquin, ſi Pythodorus Gamelionis initio magiſtratum ſuſcepiſſet, initio belli duos ſolum menſes in imperio exegiſſet; ipſique decem adhuc magiſtratus menſes ſuperfuiſſent, quod a perſpicuo Thucydidis ſenſu maxime abhorret. Quamvis tamen eiuſmodi Thucydidis teſtimonio non Dodvellus modo, ſed alii quoque plurimi uti conſueverint, ut conſtans illud Archontici anni, vel Peloponneſiaci belli principium oſtendant, accuratiſſimi tamen Scriptoris verba paullo fortaſſe obſcuriora videri poterunt, quam ut iis celebris haec quaeſtio feliciter dirimatur. Ac certe ſuſpicari quis poterit ibi Thucydidem non menſes illos exprimere voluiſſe, qui Pythodoro poſt belli initium exigendi ſupererant, ſed illos potius, quos in imperio exegerat ante quam bellum inciperet; cum praeſertim vetus ille Thucydidis ipſius Scholiaſtes ita certe Scriptoris ſui verba intellexerit; atque ubi Thucydides habet ἔτι δύο μῆνας, *adhuc per duos menſes*, Scholiaſtes notaverit τȣτέϛι δέκα *hoc eſt decem*. Sed, ut leviorem ſuſpicionem iſtam praeteream, graviſſima difficultas alia ex ipſo Thucydide ſuboritur. Siquidem ille deſcribens foedera, quae ineunte undecimo belli anno, hoc eſt anno 4. Olymp. LXXXIX. Ἐλαφηβολιῶνος μηνός ἕκτῃ φθίνοντος *Elaphebolionis menſis* deſi-

(1) Diſser. I. Sect. 4. 6. & in Annal. Thucyd. (2) Lib. II. c. 2.

desinentis sexta, sive vigesima quinta die Archonte Athenis Alcaeo sancita sunt, ait *ἅυται ἀυ σπονδαὶ ἐγένοντο τελευτῶντος τȣ̃ χειμῶνος, ἅμα ἦρι, ἐκ Διονυσίον ἐυθὺς τῶν ἀϛικῶν, ἀυτοδεκαετῶν διελθόντων, ϗ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκȣσῶν, ἢ ὡς τοπρῶτον ἡ ἐσβολὴ. ἐς τὴν Α᾿ττικὴν, ϗ ἡ ἀρχὴ τȣ̃ πολέμȣ τȣ̃δε ἐγένετο* (1) *haec foedera ista sunt sub extremum hyemis simul, & initium veris statim ab urbicis Dionysiis decem solidis annis, & pauculis diebus a prima in Atticam incursione, & ab huius belli principio*. Ergo, si vigesima quinta Elaphebolionis die anno 4. Olymp. LXXXIX. iam decem integri anni ab initio belli completi fuerant, & plusculi etiam dies post absolutum hoc decennii spatium transierant, manifestissime inferri debet quod bellum anno 1. Olymp. LXXXVII. circa Elaphebolionis mensis dimidium inceperit. Itaque, si Pythodorus Gamelione mense incepisset, initio belli duos in magistratu menses exegisset: decemque post inceptum bellum superfuissent, quod nitide Scholiastes asseruit. Sin vero Pythodorus Hecatombaeone potius incepisset, ut cum Petavio arbitratur Dodvellus, exactis ante belli principium 8. mensibus, 4. aliis in Archontis munere futurus erat.

XXIV. Video quidem intricatum hunc nodum, locumque Thucydidis, quem *explicatu difficillimum* fatetur Dodvellus (2), ab illo subtiliter, ac ingeniose explicatum esse, quod annus ille embolimaeus esset, ideoque Elaphebolion non vernis, ut in anno communi, sed aestivis potius mensibus accenseretur, adeoque ad sequentem annum a Thucydide referatur. Ingenuus tamen quilibet suspicari facile poterit, nisi certior alia, clariorque veterum Scriptorum auctoritas proferatur, incertum adhuc, & obscurum esse an Archonticus annus Hecatombaeone potius, quam Gamelione inceperit; ideoque an Archontes ipsi Hecatombaeone potius, quam, ut antea, Gamelione imperium auspicati fuerint: quod certe Archontici anni caput nisi perspicue simul, & accurate definiatur, universa demum temporum, Atticaeque Historiae series fluctuare conspicitur; cum incertum proinde esse debeat an res, & historia quaedam, Archontis alicuius nomine, veluti charactere insignita, ad hunc potius quam ad annum alium olympicum referenda sit. Itaque iuverit clarioribus testimoniis aliis osten-

(1) Lib. V. c. 19. e 20. (2) Appar. ad Annal. Thucyd. Sect. 14.

oſtendere poſt Olymp. LXXXVII. non modo civiles, ac populares annos, ſed Archonticos etiam non amplius a Gamelione, ſed ab Hecatombaeone menſe una cum olympicis incepiſſe; idque ſequioribus etiam temporibus ab Athenienſibus uſurpatum eſſe. Ac civilis quidem anni principium Petavius, aliique plurimi ex Demoſthene demonſtrarunt, qui in Olymp. III. ita ſcribit *μετὰ δὲ ταῦτα διελθόντος τȢ̃ ἐνιαυτȢ̃ τȢ́τȢ*, Ἑκατομβαιὼν, Μεταγειτνιὼν, Βοηδρομιὼν: *deinde vero hoc anno exacto labitur Hecatombaeon, Metagitnion, Boedromion*. Quod vero & Archontes ipſi Hecatombaeone menſe magiſtratum ſuſceperint, id ego facile ex altero Demoſthenis teſtimonio deprehendi. Siquidem ille in Oratione *contra Timotheum* fuſe commemorat, quod Timotheus Athenienſium imperator *ἐπὶ ΣωκρατίδȢ Ἄρχοντος, ΜȢνιχιῶνος μηνὸς Socratide Archonte, Munichione menſe*, anno nimirum 3. Olymp. CI. quo vere Socratides Eponymus Archon fuit, ſecundam bellicam expeditionem ſuſcepit; cumque illi res in bello iniquius ceſſiſſent, adeoque ab Iphicrate, & Calliſtrato accuſatus Athenas in iudicium veniſſet, Alcetas etiam, & Iaſon Timotheo opem laturi Athenas conceſſere; idque Aſteio Athenis Archonte, anno nimirum 4. Oly. CI. Maemacterione menſe contigiſſe teſtatur: *ἀφικομένȢ ἈλκέτȢ, ϗ Ἴασονος ὡς τȢ̃τον εν τῷ Μεμακτηριῶνι μηνὶ τῷ ἐπ' ἈϛέȢ Ἄρχοντος ἐπὶ τον ἀγῶνα τȢ́τȢ βοηθεσόντων αὐτῷ nam cum Alcetas, & Iaſon ad iſtum Maemacterione menſe, Aſteio Archonte, veniſſent ad iudicium illud ei patrocinaturi*. Poſtquam vero Alcetas, & Iaſon Athenis diſceſſerant, Timotheus ipſe iudicio abſolutus Perſarum Regem adivit, ac Philondas quidam navarchus Timothei familiaris in Macedoniam conceſſit: idque eodem ipſo Aſteio Archonte, ſed Thargelione menſe contigit: *ϗ ȣ̃τοι οἱ χρόνοι ἦσαν περὶ Θαργηλιῶνα μῆνα ἐπ' ἈϛείȢ Ἄρχοντος. Τῷ δ' ὑϛέρῳ ἔτει ἀφικομένȢ ΦιλώνδȢ ἐπὶ τῆς Μακεδονίας. . . ἀποδημȢ̃ντος τȢ́τȢ (ΤιμοθέȢ) παρὰ βασιλεῖ . . . ϗ ȣ̃τος ὁ χρόνος ἦν ἈλκισθένȢς Ἄρχοντος, ὁ ὑϛέρος ἐνιαυτὸς, ἢ ȣ̃τος ἀνήγετο ὡς βασιλέα* (1) *haec tempora fuerunt circa Thargelionem menſem, Aſteio Archonte. Anno ſequente, reverſo Philonda e Macedonia . . . . . dum iſte Timotheus ad Regem Perſarum peregre abeſſet . . . & hoc factum eſt Alciſthene Archonte altero anno quam iſte ad Regem aberat*. Perſpicua rerum ſeries, &

 accu-

(1) Pag. 701.

accurata temporum ſupputatio, quae ab Oratore hic exprimitur, manifeſte nobis oſtendit quod inter Socratidem, & Alciſthenem Aſteius Archon fuit, ut in Faſtis etiam conſpicitur; & quod Aſteio Archonte, ſive anno, quo Aſteius imperavit, prius Maemacterion, deinde vero Thargelion menſis fuit: quod fieri certe non poterat niſi Aſteius ipſe, adeoque Archontes etiam alii Hecatombaeone menſe incepiſſent; ſive Archonticus annus una cum civili, & olympico coniungeretur. Neque diſſimile argumentum aliud ex Ptolemaeo deduci poſſe conſpicio. Siquidem ille Phanoſtrato Athenis Archonte, ſive anno 2. Olymp. XIC. duas Lunae eclipſes contigiſſe memorat, primam quidem Poſideone, alteram vero Scirrophorione menſe: *γεγονέναι δὲ τὴν πρώτην ἔκλειψιν Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φανοςράτε, μηνὸς Ποσειδεῶνος . . . . πάλιν τὴν ἑξῆς ἔκλειψιν γεγονέναι Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φανοςράτε Σκιῤῥοφοριῶνος μηνὸς* (1). quemadmodum tertiam quoque eclipſim iterum ſequenti Poſideone menſe fuiſſe dicit, ſed Evandro tamen Archonte, hoc eſt anno 3. Olymp. XIC. *τὴν δὲ τρίτην ἔκλειψιν γεγονέναι Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐάνδρε, μηνὸς Ποσειδεῶνος προτέρε*. Ergo tunc in Archonticis annis prius Poſideon quam Scirrophorion agebatur; quod haberi certe non poterat, ſi Archonticus annus adhuc a Gamelione incepiſſet. Longe tamen illuſtrius civilis, & Archontici ſimul anni principium ex Platone deduci poſſe videtur, qui in VI. de Legibus ait *ἐπειδὰν μέλλοι νέος ἐνιαυτὸς μετὰ τὰς θερινὰς τροπὰς τῷ ἐπίοντι μηνὶ γίνεσθαι, ταύτης τῆς ἡμέρας τῇ πρόσθεν πάντας χρὴ τὰς Ἄρχοντας συνελθεῖν ἐς ἓν ἱερόν, καὶ τὸν θεὸν ὀμόσαντας οἷον ἀπάρξασθαι πάσης ἀρχῆς ἕνα δικαςήν*, *ubi novus annus poſt aeſtivum ſolſtitium ineunte menſe incepturus ſit, pridie eius diei oportet Archontas omnes in unum, idemque Templum ingredi, Deumque iureiurando invocantes* &c. Ac certe Petavius (2), Dodvellus (3), Petitus (4), aliique plurimi celebrem hunc Platonis locum exſcripſere, atque ſubtilius inveſtigarunt an popularis annus ſemper poſt ſolſtitium inciperet, ut Scaligero videbatur (5): an vero potius aliquando Hecatombaeonis, annique principium ante ſolſtitium ipſum incideret, ut Petavius (6) exiſtimavit. Quinetiam Petitus (7), ut argumentum ex eiuſmodi Platonis teſtimonio deſumptum dirimeret, ibi Platonem de anno illo loquutum eſſe puta-

(1) Lib. IV. c. 11. (2) Doctr. Temp. Lib. I. c. 12. (3) Diſſ. III. Sect. . . . . (4) Ecl. Chr. c. 1. (5) Can. Iſag. Lib. III. pag. 227. (6) Doctr. Temp. Lib. I. c. 12. (7) Eclog. Chr. c. 1.

putavit, quo librum ipsum conscripsit; qui nona Iulii die, adeoque repente post solstitium, desinebat: quamvis alii ante octavam Iulii diem, sive constantem solstitii sedem desinere subinde possent. At non erat certe, si quidpiam coniecturis hic assequor, cur doctissimi Viri se in explicando Platonis loco torquerent, aut in definiendo popularis anni principio testimoniis eiusmodi inniterentur. Siquidem Plato in Libris illis, ut Petavius ipse coniecit, non eam Reipublicae formam describendam suscepit, quae ipsius aetate Athenis florebat, sed eam potius, quam in nova, nondumque instituta Republica, meditabatur; ideoque, si civilis anni principium ex eiusmodi Platonis verbis inferri posset, universa quoque Reipublicae Atheniensis facies iisdem fere coloribus exprimenda foret, quibus idealem illam Rempublicam Plato descripsit. Itaque verum civilis, & Archontici anni principium non ex Platone, sed ex Scriptoribus aliis, quos antea exhibui, deduci debet. Neque ab illorum hypothesi ipsum quoque Thucydidis Scholiastem diffidere putaverim, si modo ipsius textus, quem mutilum esse coniicio, rite suppleatur. Dixerat Thucydides bellum incepisse Πυτοδώρυ ἔτι δύο μῆνας Α῎ρχοντος *Pythodoro adhuc per duos menses Archonte*; Scholiastes ibi adnotavit τυτέςι δέκα μῆνας, κατ᾽ ἐνιαυτὸν γὰρ ἠλάσσοντο *hoc est decem*; *singulis enim annis mutabantur*. Quis hic aperte non videat post μῆνας verbum aliquod excidisse, quo exprimeretur Pythodorum iam decem menses in imperio, vel magistratu exegisse, qui cum duobus aliis adhuc exigendis integrum annum complerent? Itaque vel ἦρξε *imperavit*, vel quidpiam simile post μῆνας rescribi debet; sicque Scholiastes ipse cum Thucydide, ceterisque Scriptoribus optime conspirabit.

XXV. Ac ne quis temere suspicetur id solum Demosthenis, atque Platonis aetate obtinuisse ut Archonticus annus ab Hecatombaeone mense inciperet; antiquioribus vero, vel recentioribus etiam temporibus aliud anni principium usurpatum esse, iterum illustrem illum Antiphontis locum observasse iuverit, quem paullo superius exposui. Ibi nimirum diserte legitur quod Choragus ille ab Antiphonte defensus tanquam homicidii reus ad Regem delatus fuerat cum τῆς ἀρχῆς αὐτῷ [Βασιλεῖ] λοιποὶ δύο μῆνες ἦσαν Θαργηλιὼν, κ̧ Σκιῤῥοφοριὼν *Magistratus duo adhuc menses ipsi Regi supererant*, *Thargelion*, *& Scirro-*

 pho-

phorion; ſubditque ἀπὸ τῆς πρωτης ἡμέρας τȣ̃ Ἑκατομβαιῶνος μηνὸς *a prima Hecatombaeonis menſis die* Regem alium iniiſſe. Rex autem ille alius eſſe non poterat, quam ſecundus ex novem illis Archontibus, qui ſingulis annis Athenis eligebantur, qui certe Βασιλεύς *Rex* vocabatur, atque Polluce teſte *caedis actiones in Areopagum inducebat* (1). Itaque, ſi Rex, unus nimirum ex 9. annuis Archontibus, qui una cum ceteris eligebatur, ſimulque cum illis munere excedebat, prima Hecatombaeonis menſis die imperium ſuſcipere, exeunte vero Scirrophorione deponere conſuevit, idque Antiphontis aetate, qui circa Olymp. XC. proxime nempe poſt inſtitutam Metonis Enneadecaeteridem, florere, atque Orationem illam habere debuit, ſatis, ut arbitror, perſpicuum certumque fiet, quod Archontes omnes poſt Olympiadem LXXXVII. ineunte Hecatombaeone ſemper incipiebant; ideoque Archonticus annus cum civili, ſimulque olympico, accuratiſſime coniungebatur. Denique ſequioribus etiam poſt Chriſtum natum temporibus, etiam perturbato Athenienſium menſium ordine, popularis tamen, & Archontici ſimul anni principium ab Hecatombaeone menſe, aeſtivoque ſolſtitio ductum eſſe oſtendere videtur Simplicius, qui apud alias quidem Gentes populares annos vel autumno, vel hyeme, hybernove ſolſtitio incepiſſe; ſed apud Athenienſes tamen ab aeſtivo ſolſtitio numeratos eſſe teſtatur. Haec ipſa quoque Archontici anni forma illuſtrius adhuc ex Diodori, Dionyſii, Plutarchi, aliorumque teſtimoniis inferri poteſt, quae Num. XVIII. contra Dodvellum attuli; cumque in Calippi Periodo eadem prorſus anni forma, embolimorum menſium ſedes, quae a Metone inſtituta iam fuerat, Gemino teſte, ſervata fuerit (2), eademque Calippi Periodus ab aeſtivo ſolſtitio inceperit, ut a Petavio demonſtratur (3), dubitari certe non poterit quin Gemini aetate, & quandiu civiles Athenienſium anni iuxta Calippicae Periodi leges agebantur, primus anni menſis Hecatombaeon fuerit, adeoque Archontes omnes ab Oly. LXXXVII. uſque ad Conſtantini Caeſaris aetatem, qua ſublatos illos eſſe iam diximus, eodem Hecatombaeone menſe magiſtratum ſuſceperint.

XXVI. Neque Archonticus ſolum, civilis, & olympicus annus ab Hecatombaeone menſe incipiebat, ſed ipſa quoque Tri-

(1) Lib. VIII. c. 9. ſeq. (2) Cap. 6. (3) Lib. II. c. 19.

Tribuum Athenienſium ſeries, illarumque Prytaniae, ſive functiones ab Hecatombaeonis initio numerabantur. Sic in eadem illa Antiphontis Oratione πρώτη Πρυτανεία *prima Prytania* cum Hecatombaeone menſe coniungitur, atque a Demoſthene *contra Timocratem* ſemel, iterumque in variis Hecatombaeonis diebus πρώτης Πανδιονίδος *Pandionidis* Tribus *primae* mentio fieri conſpicitur: quod illo nimirum anno Pandionis Tribus Hecatombaeone menſe, ideoque ſimul primo loco praeeſſet, ſive Prytaniae munere fungeretur. Porro quis fuerit ille Tribuum ordo, ac Prytaniarum ſeries paullo accuratius Diſſert. III. IV., & VI., ac diligentius exponam, quippe qui viderim haec a plerisque vel ignorata, vel temere explicata fuiſſe; ut Dodvellus ipſe, qui haec omnium primus inveſtigavit, ſaepius in re ſubobſcura, variiſque difficultatum ambagibus impedita a vero ſubinde aberraverit. Quandoquidem tamen ex Prytaniis ipſis in definienda veteris Attici anni forma plurimum ſplendoris accedit; atque ut Dodvellus ipſe fatetur, *forma anni civilis Athenienſis non aliunde melius cognoſcitur quam a Prytaniis* (1), aliqua hic obiter de Prytaniis ipſis coronidis loco addidiſſe iuverit, ut exinde quoque Attici anni forma ſuperius conſtituta clarius appareat.

XXVII. Quid Prytaniae nomine intelligatur, nitide, & accurate ſimul paucis omnino verbis complexus eſt Pollux: Πρυτανεία δὲ ἐστι χρόνος, ὃν ἑκάστη φυλὴ πρυτανεύει, καὶ ὅτε μὲν δέκα ἦσαν, πλείυς ἑκάστῃ φυλῇ αἱ ἡμέραι. ἐπὶ δὲ δώδεκα ἐγένοντο, ἑκάστη φυλὴ μηνὸς πρυτανείαν ἔχει (2). *Prytania vero tempus eſt, quo unaquaeque Tribus praeſidet. Et cum decem eſſent, ſingulae Tribus pluribus diebus praeſidebant; poſtquam autem duodecim factae* ſunt, *ſingulis menſibus ſingulae praeſident*. Cum enim civilis Atticus annus 354. diebus conſtaret, atque Athenis olim decem ſolum Tribus Olympiade LXVII. inſtitutae forent, ut ſequenti Diſſertatione oſtendetur, illarum quaelibet 35 diebus imperare, Populo praeſidere, vel Prytaniae munere perfungi debuit: deinde vero cum Olymp. CXVIII. anno 3. duae novae Tribus adiectae forent, ut totidem proinde Tribus, quot in anno communi menſes, haberi cepiſſent, tunc illarum Tribuum quaelibet unico ſolum menſe imperabat, adeoque Prytaniae ſingulae menſis ſpatio definiebantur. Atque

(1) Diſſert. I. Sect. 9. (2) Lib. VIII. c. 9. ſeg. 115.

Atque ita fortasse, sive de posterioribus iis temporibus intelligendus esse videtur Etymologus dum ait Πρυτανεία ἀριθμὸς ἡμερῶν τριάκοντα *Prytania numerus dierum triginta*; nisi fortasse potius in Etymologi textu numerus alius exciderit, adeoque rescribendum sit τριάκοντα πέντε. Certe mox Etymologus ipse, qui cuncta ex Harpocratione exscripserat, ait Πρύτανεις τὸ δέκατον μέρος τῆς βυλῆς τῶν Πεντακοσίων, κ) πεντήκοντα ἀνδρῶν ἀπὸ μιᾶς φυλῆς. ἐπρυτάνευον δὲ ἐκ διαδοχῆς ἀλλήλων αἱ δέκα φυλαὶ κληρολαχῦσαι κατὰ ἐνιαυτὸν *Prytanes decima pars Senatus Quingentorum, & quinquaginta Viri ex una Tribu. Prytaniae vero munere fungebantur decem Tribus in anno sortito ductae una alteri succedens*. Ergo, si Etymologus hic Prytaniam veluti decimam Senatus, adeoque civilis anni partem agnovit, Prytaniae tempus solo 30. dierum spatio definire certe non poterat; & sicuti de Prytanibus loquens Harpocrationis verba accurate exscripsit, ita quoque superius de Prytaniae spatio differens ista Harpocrationis verba prae oculis habuisse videtur: Πρυτανεία ἐςὶ ἀριθμὸς ἡμερῶν ἤτοι τριάκοντα ἓξ, ἢ τριάκοντα πέντε, κ) ἑκάςη φυλὴ ἐπρυτανεύει *Prytania est numerus dierum vel triginta sex, vel triginta quinque, & quaelibet Tribus Prytaniae munere fungebatur*. Itaque praeclare fallitur Scaliger, qui Etymologi fortasse testimonio deceptus ita Prytaniae tempus unico mensis spatio definitum esse putavit, ut *Prytaniae* nomine mensis ipse intelligatur (1): quem certe insignem Scaligeri errorem acerrime confutavit Petavius (2). Neque fortasse levior altera Scaligeri, (3) aut Palmerii (4) hallucinatio, qua Scaliger Athenienses Tribus ita Prytaniae munere perfunctas existimavit, ut hodie *Cecropis*, cras *Pandionis*, sicque deinceps aliae successive imperaverint, donec exacto 350. dierum spatio, quo quaelibet ex X. Tribubus 35. diebus, seu vicibus praesederant, 4. reliqui anni lunaris dies ἄναρχοι *sine magistratibus* forent, novisque Magistratibus eligendis Comitia haberentur. Etenim, ut perspicue ostendit Petavius, atque illustrius etiam ex superiori Antiphontis loco deduci potest, Prytaniae dies, quibus unaquaeque Tribus imperavit, non interrupti, sed continui potius censeri debent, cum Orator ille πᾶσαν πρώτην Πρυτανείαν *universam primam Prytaniam*, qua Choragus singulis diebus Prytanis fuit, inter Hecatombaeonis

(1) Praef. Lib. II. (2) Doctr. Temp. Lib. II. c. 1. (3) De Emend. Temp. Lib. II. p. 62. & III. pag. 229. (4) Exercit. in Demosth. pag. 635.

nis initium, atque vigesimam sequentis Metagitnionis diem circumscripserit; quod accuratius adhuc Diss. III. & IV. varii Veterum testimoniis, & exemplis etiam ostendetur.

XXVIII. Quemadmodum vero ambiguus ille, vel depravatus Etymologi locus Scaligero fraudi fuit ut Prytanias omnes, antiquioribus etiam temporibus, menstruas fuisse putaret; ita quoque Petavium ipsum in errorem abripuit Ulpianus, sive Libanius, qui Argumentum in Orationem Demosthenis *contra Androtionem* conscripsit, ut Petavius ipse quatuor ἀνάρχους dies in civilibus Atticis annis admitteret (1). Perspicue id quidem Auctor ille tradiderat; cumque singulis Tribubus, vel Prytaniis 35. dies tribuisset, subductoque calculo inelligeret ultra 350. dies, qui Tribubus, aut Prytaniis concessi fuerant, quatuor adhuc in anno superesse, illos ἀνάρχȣς, & ἀρχαιρεσίας fuisse dicit, quod in ipsis nimirum Comitia novis magistratibus eligendis haberentur. Ε῎χει γȣ̃ν ὁ ἐνιαυτὸς κατὰ τὸν σεληνιακὸν δρόμον τνδ΄ ἡμέρας, ϗ τὰς μὲν δ΄ ἐημέρας ἐκάλȣν οἱ Ἀθηνᾶιοι ἀρχαιρεσίας, ἐν αἷς ἄναρχος ἡ Ἀττικὴ ἦν. ἐν ταύταις προεβάλλοντο τȣ̀ς Ἄρχοντας. ἦρχον ȣ̃ν οἱ πεντακόσιοι τὰς τν΄ ἡμέρας. *Constat igitur lunaris annus diebus* 354. *Porro quatuor dies ex illis Athenienses Comitia nominabant, quibus Magistratus in Attica nulli erant, qui tunc scilicet creabantur. Quare Quingenti diebus* 350. *imperabant*. Sed quatuor illos ἀνάρχȣς dies omnino commentitios esse, non modo Dodvellus (2), sed Sigonius (3) etiam ostenderat superiori Harpocrationis, Suidaeque testimonio demonstrans quod quatuor dies illi ita primis 4. anni Tribubus, vel Prytaniis adiungebantur, ut illarum singulae non 35. diebus, aliarum sequentium instar, sed potius 36. continuos dies imperarent. Sic enim Suidas Πρυτανιᾶι δὲ, ὁ τῶν ἡμερῶν ἀριθμὸς, δέκα ἐγίνοντο κατ᾽ ἐνιαυτὸν. ὅτι ϗ δέκα αἱ Φυλαί. ἐνιαυτὸν δὲ οἱ Αθηναῖοι τὸν σεληνιακὸν ἦγον. ἐπέβαλε δὲ ἑκάϛῃ Φυλὴ τῶν ί λέ ἡμέρας, ϗ ἐπερίττευον ἐκ τȣ̃ σεληνιακȣ̃ ἐνιαυτȣ̃ ἡμέραι τέσσαρες, ἃς ἐπεμέριζον ταῖς πρώταις λαχȣ́σαις πρυτανεύειν τέσσαρσι φυλαῖς. ϗ τῶν μεν τεσσάρων πρώτων εκάϛῃ εἶχε την πρυτανέιαν ἀπαρτιζομένην εἰς λϛ΄ ἡμέρας. αἱ δὲ λοιπαὶ ϛ ἀνὰ λε. Πρυτανεία ȣ̃ν ἔϛιν ἀριθμὸς ἡμερῶν ἤτοι λϛ΄, ἢ λέ. ϗ ἑκάϛῃ Φυλὴ ἐπρυτανεύει. *Prytaniae vero dierum numerus erant quotannis decem, quia decem etiam erant Tribus. Athenienses autem annum lunarem agebant. Una vero quaeque de decem Tribubus* ad annum conficiendum *conferebat* 35 *dies*.

(1) Doctr. Temp. Lib. II. c. 1. (2) Diss. I. Sect. 9. & 10. (3) De Rep. Ath. Lib. II. c. 8.

dies. Quatuor autem dies ſupererant ex anno lunari, quos diſtributos attribuebant quatuor primis Tribubus, quibus ſorte obtigiſſet ut Rempublicam adminiſtrarent. Et quatuor quidem primarum Tribuum *unaquaeque Prytaniam habebat abſolutam 36. diebus: reliquae vero ſex per 35. dies. Prytania igitur eſt numerus dierum vel 36., vel 35. & unaquaeque Tribus Prytaniam gerit.* Itaque, ſi ex Suida, manuſcriptoque etiam Photii Lexico, ut teſtatur Dodvellus (1), quatuor primae Tribus 36. dies, reliquae vero 35. diebus Prytaniae munere fungebantur, nulli profecto ἄναρχοι dies in anni fine ſupereſſe poterant, ut Scaliger, (2) Petitus, (3) atque Petavius (4) exiſtimarunt; Sigoniique ſententia longe accuratior cenſeri facile poterit, quam ut *veriſimilis coniecturae loco*, cum Petavio habeatur (5). Quod ſi fortaſſe Harpocrationis, Suidaeque auctoritas, cui Sigonius innitebatur, Petavio ſuſpecta eſſe poterat; inſignis tamen ille Demoſthenis locus, quem paullo ſuperius exſcripſi, nitide, invicteque ſimul oſtendit in Scirrophorionis, aut anni fine quatuor ἀνάρχους dies illos nulla ratione diſtingui poſſe. Quandoquidem vero Petitus ipſe (6), & Prideauxius (7) aliam hypotheſim excogitarunt, qua diſſidentes illae Ulpiani, ſimulque Suidae ſententiae veluti foedere componerentur, haec ipſa quoque poſtremo refelli debet. Illi nimirum exiſtimant ſingulas quidem Tribus 35. diebus Prytaniae munere perfunctas eſſe, ſed in quatuor tamen diebus illis, qui in anno ſupererant, ita quatuor primas anni Tribus iterum imperaſſe, ut illarum quaelibet unico die Comitiis habendis praeeſſet, adeoque 36. diebus imperaſſe videretur. Sed hypotheſis etiam illa ab Ulpiani, ſive Libanii ſenſu maxime diſſidet, qui omne Prytaniarum tempus ita 350. dierum ſpatio circumſcripſit, ut in quatuor reliquis nulli prorſus in Attica Magiſtratus, ac nulla quoque Prytaniae, vel Prytanum munera reperirentur. Plurimum quoque hypotheſis illa ab Harpocrationis, Suidaeque ſententia abhorret, qui diſerte teſtantur quatuor primas Prytanias 36. dierum fuiſſe; eoſque continuos, ac ſucceſſive numeratos eſſe ipſum Prytaniae nomen oſtendit: quemadmodum facile id ex Ammonio quoque deprehendi poteſt, qui Tribus omnes *ſemel* in anno, adeoque continuis, non iteratis, interruptiſque vicibus imperaſſe demonſtrat:

διήρητο

(1) Diſsert. I. Sect. 9. (2) Can. Iſag. Lib. III. c. 7. pag. . . . (3) Ecl. Chron. c. 4. (4) Doctr. Temp. I. c. 5. 15. (5) Lib. II. c. 1. (6) In Kalendar. Attico. (7) Ad Marm. Oxon. pag. 107.

διήρητο γὰρ παρ᾽ Ἀθηναίοις ὁ ἐνιαυτὸς εἰς δέκα πρυτανείας, ὅσαι κ̀ φυλαὶ ἦσαν. κ̀ ἐπρυτάνευεν ἑκάςη φυλὴ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἅπαξ *dividebatur enim apud Athenienſes annus in decem Prytanias, quot Tribus etiam erant; ac Tribus quaelibet ſemel in anno Prytaniae munere fungebatur.*

XXIX. Ex ipſa vero civilis Attici anni forma, principioque, ſimulque Tribuum Athenienſium numero, ac Prytaniae ſpatio, iam facile accurata Prytaniarum ſeries ita contexi poterit, ut ipſa quoque civilium menſium dies oſtendatur, qua illarum quaelibet inceperit. Quamvis autem haec ipſa Prytaniarum ſeries iuxta Metonici Cycli leges veriſimilius contexenda fore videatur, quas ab Olymp. LXXXVII. ad ſequiora uſque tempora conſtanter uſurpatas eſſe iam diximus, Dodvelli tamen veſtigiis hic preſſius inſiſtam, adeoque X. Prytaniarum ſeriem eo prorſus ordine exponam, qui in Dodvello conſpicitur: in ea nimirum hypotheſi quod civilis Atticus annus 354. diebus componi, menſibuſque alterne plenis, caviſque conſtare debeat. Itaque in civilibus huiuſmodi communibus annis ita Prytaniarum ſucceſſio diſponi debet.

in anno communi			*in anno embolimaeo*	
dier. 354.			*dier.* 383.	
I. incipit	1.	Hecatombaeonis	1.	Hecatomb.
II.	7.	Metagitnionis	10.	Metagit.
III.	14.	Boedromionis	20.	Boedrom.
IV.	20.	Maemacterionis	29.	Maemact.
V.	27.	Pyanepſionis	9.	Poſideonis I.
VI.	3.	Gamelionis	18.	Poſideonis II.
VII.	8.	Antheſterionis	26.	Gamelionis
VIII.	14.	Elaphebolionis	5.	Elapheb.
IX.	19.	Munichionis	13.	Munichion.
X.	25.	Thargelionis	22.	Thargel.

Quod ſi civilis annus embolimaeus eſſe, ideoque 383. dies

 comple-

complecti debeat, altera Prytaniarum series e regione disposita adhibenda foret, in qua primis quatuor Prytaniis 39. dies, reliquis vero sex 38. tribuuntur. Sin vero communis annus 355. dies, atque embolimaeus 384. dies complectatur, tunc quintae Prytaniae dies unus adiiciendus esset; ut illa, quatuor praecedentium instar, in anno communi 36.; atque in embolimaeo 39. diebus constare posset (1). Ubi vero non amplius X., sed XII. deinde Tribus Athenis institutae fuerant, perspicue apparet quod illarum quaelibet unius mensis spatio imperasse debuit; atque in embolimaeis annis primae sex Tribus 33., sex vero reliquae 32. dies in imperio fuere. Ubi vero nova Tribus alia Hadriani Caesaris aetate veteribus adiecta fuit, ita fortasse Prytaniarum series contexta fuit, ut integrum civilis anni spatium tresdecim in partes dirimeretur; primisque quatuor Prytaniis 28. dies, ceteris vero novem 27. solum tribuerentur. Quandoquidem vero in contexenda Prytaniarum serie maximam quoque embolimaeorum annorum rationem habendam esse iam diximus, illud hic obiter indicasse iuverit, quinam anni in Metonis Enneadecaeteride, adeoque in Calippi etiam Periodo, embolimaei esse debuerint; ut facile deprehendi possit an propositus annus ille, cuius Prytaniarum series inquiritur, embolimaeus, sive communis haberi debeat. Qua quidem in re, quamvis Dodvellus ipse (2) longe Petavio (3) accuratior videatur, utriusque tamen hypothesim ita subiecto schemate expressi, ut embolimaei omnes, qui in integra Enneadecaeteride continentur, maioribus numeris designentur.

Dod. 1. 2. III. 4. V. 6. 7. VIII. 9. 10. XI. 12. XIII. 14. 15. XVI. 17. 18. XIX.

Pet. 1. 2. III. 4. 5. VI. 7. VIII. 9. 10. XI. 12. 13. XIV. 15. 16. XVII. 18. XIX.

Sic, ut exemplo res clarior fiat, cum Enneadecaeteris anno 1. Olymp. LXXXVII. inceperit, annus 4. Olymp. LXXXIX., qui in Metonis Periodo undecimum locum obtinet, embolimaeus esse debuit; atque annus 3. Olymp. XIC., qui in secunda Enneadecaeteride tertius decimus esse conspicitur, embolimaeus fuit; unde optime in illo Posideonem I. a Ptolemaeo designatum esse iam diximus. Quantum vero splendoris, ac praesidii in obscuris quibusdam, perplexisque veterum Scriptorum

(1) Dodv. Diss. III. Sect. 38. (2) Diss. I. Sect. 35. (3) Doctr. Temp. Lib. II. c. 13.

rum locis feliciter explicandis exinde oriatur, tum ex ſuperiori Thucydidis teſtimonio, tum ex pluribus id genus exemplis aliis inferri poterit, quae ſequenti numero, alibique ſaepius proferentur.

XXX. Atque iſta quidem de iis ſolum temporibus intelligi profecto debent, quibus lunares olim menſes, atque Metonica, ſive Calippica quoque Periodus in civilibus Athenienſium annis adhibebantur. Maximam nimirum varietatem tum in menſium ordine, tum in civilis anni forma, principioque ſequioribus aetatibus invectam eſſe argumenta plurima oſtendunt, quae Petavius, & Dodvellus accuratiſſime proſequuntur. Ac primo, quod ad civilium menſium ordinem attinet, ſuperius eſt obſervatum Maemacterionem ita in Pyanepſionis locum migraſſe, ut Maemacterion ex quarto in quintum locum conceſſerit. Id vero ante Hadriani Caeſaris tempora contigiſſe nitide oſtendit Sponiana Inſcriptio (1), in qua cum ceteris Athenienſium Tribubus *Hadrianis* etiam memoratur, atque Pyanepſion ante Maemacterionem collocatur; cumque Harpocration, qui Antonini aetate floruit, diſerte dixerit Maemacterionem *quintum* Athenienſium menſem eſſe, perſpicuum fiet ipſius aetate iam mutationem illam obtinuiſſe. Neque enim facile Petavio (2) conceſſerim Harpocrationem hoc loco deceptum eſſe, ideoque Maemacterionem quintum Athenienſium menſem vocaſſe quod ille Alexandrinus foret, atque Maemacterionem Tybi, quinto nimirum Alexandrinorum menſi, reſpondere deprehendiſſet. Siquidem, ut argumenta cetera ommittam, quibus illa menſium mutatio demonſtratur, Harpocration Lyſimachidis teſtimonio innititur, qui de *Menſibus Atticis* ſcripſit; longeque in Attica Hiſtoria peritior videtur, quam ut gravem errorem illum admiſerit. Ceterum ex perturbata eiuſmodi menſium ſede perplexus quidam Arriani locus intelligi fortaſſe poterit, quem Petavius ipſe (3), aliique plurimi depravatum eſſe putarunt. Scribit Arrianus *καὶ ἀφίκετο ἐς Θάψακον Ἀλέξανδρος, μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος, ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἀρισοφάνους . . . καὶ τῆς σελήνης τὸ πολὺ ἐκλιπὲς ἐγένετο . . καὶ ἐδόχει Ἀρισάνδρῳ ἐκείνου τοῦ μηνὸς ἔσεσθαι ἡ μάχη, καὶ ἐκ τῶν ἱερῶν νίκην σημαίνεσθαι Ἀλεξάνδρῳ . . . τοῦτο τελος τῇ μάχῃ ταύτῃ ἐγένετο, ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρισοφανους μηνὸς Πυανεψιῶνος. καὶ Ἀρισάνδρῳ ξυνεβη ἡ μαντέια ἐν τῷ αυτῷ μηνὶ, εν ὅτω ἡ σελήνη ἐκλιπὴς ἐφάνη, τήντε μάχην*

 Αλε-

(1) Pop. Attic. art. 104. (2) Doctr. Temp. Lib. IV. c. 8. (3) Rati. Temp. P. II. Lib. III. c. 12.

Ἀλεξάνδρῳ, καὶ τὴν νίκην γενέσθαι [1] *Alexander ad Thapſacum* flumen *pervenit, Hecatombaeone menſe, Archonte Athenis Ariſtophane ... magnaque Lunae pars eclipſim paſſa eſt ... viſumque Ariſtandro pugnam eodem menſe Alexandro futuram, ipſique victoriam ab extis portendi ... Hic finis ei bello fuit, Archonte Athenis Ariſtophane, Pyanepſione menſe: atque Ariſtandri vaticinium impletum fuit, eodem* ipſo nimirum *menſe, quo Luna defecerat, Alexandro pugnam, victoriamque futuram*. Itaque, cum eclipſis illa Boedromione menſe, & quidem περὶ τὴν τῶν Μυστηρίων τῶν Ἀθήνησιν ἀρχὴν *circa Myſteriorum, quae Athenis celebrabantur, initium*, ut ſcribit Plutarchus [2], contigerit, eademque victoria 11. ſolum diebus eclipſi poſterior fuerit, ut Plutarchus ipſe teſtatur, manifeſte apparet quod Pyanepſion menſis ab Arriano poſt Boedromionem proxime collocatur; cumque id veteri menſium ordini repugnet, fieri fortaſſe potuit ut Arrianus ipſe qui Antonini Caeſaris aetate floruit, qua menſium Atticorum ordinem mutatum fuiſſe iam diximus, non antiquiora illa tempora, ſed ſua reſpexerit; cumque ex veteribus monimentis didiciſſet eclipſim Boedromione menſe, proximoque victoriam contigiſſe, hanc Pyanepſioni tribuerit, qui tunc in civilibus Athenienſium annis Boedromioni proxime ſubiiciebatur. Quid vero ſi eundem illum menſium ordinem ab ipſo quoque Plutarcho uſurpatum eſſe quis dixerit? Certe accuratiſſimus Auctor ille Metagitnionis medium cum Septembris Idibus coniungit [3]; alibi Pyanepſionem eſſe Novembrem aſſerit [4]; Poſideonem cum Ianuario committit [5]; denique neomeniam Antheſterionis in Martii Kalendas incidiſſe memorat [6] anno V. C. 666. ſive 4. Olymp. CLXXII., quo Sylla Athenas expugnavit. Ergo menſium Atticorum ſeries ita ex Plutarchi hypotheſi contexenda videtur, ut inter Metagitnionem, ac Pyanepſionem uni ſolum Boedromioni locus ſuperſit, adeoque Maemacterioni non quarta, ſed quinta potius ſedes in menſium ordine concedatur. Quod ſi fortaſſe Plutarchus ipſe non veterem, ſed novum potius menſium Atticorum ordinem hic uſurpavit, mirari certe non poſſumus ſi Demoſthenis mortem, quae ſextadecima Pyanepſionis die contigit, brevi poſt impoſitum Munichiae praeſidium, vigeſimam nempe Boedromionis diem,

(1) De Exped. Alex. Lib. III. pag. 168. 170. 194. (2) In Alexan. (3) In Public. (4) De Iſide, & Oſir. (5) In Caeſare, & Pompe. (6) In Sylla.


diem, accidisse ille memoret (1): quem Plutarchi locum Scaliger exscripserat, ut veterem mensium ordinem a se constitutum defenderet, atque Petavius etiam satis feliciter in veteri quoque mensium ordine explicaverat. Quamvis tamen novus ille mensium ordo Athenis invectus esset, adhuc tamen illorum singuli lunares erant, ideoque eadem prorsus civilis anni forma floruisse videtur. Id perspicua certe Diodori, atque Dionysii testimonia Numero XVIII. exposita ostendunt, quorum uterque circa annum 746. V. C., sive 4. Olymp. CXCII. vixisse debuit. Idipsum quoque ex variis Plutarchi, Pollucis, Gemini, aliorumque locis aperte colligitur, quae paullo superius exhibui, ubi de civilis Attici anni forma, dierumque exemptilium sede agebatur; quibus postremo addi poterit hunc ipsum dierum exemptilium morem adhuc Herodis Sophistae aetate, qui circa Olympiadem CCXXIV. floruit, Athenis obtinuisse. Philostratus enim memorat quod luctum ab Herode in filiae morte conceptum Athenienses lenierunt ψηφισάμενοι τὴν ἡμέραν, ἐφ' ἧς ἀπέθανεν, ἐξαιρεῖν τοῦ ἔτους (2) *diem, qua obierat, anno eximendam decernentes*: quod ita intelligi fortasse debet, ut eius diei loco, quae ex Metonicae Periodi legibus eximenda fuerat, emortualis illa dies eximeretur. Itaque plane non video cur Dodvellus civiles Atheniensium menses ex lunaribus initio Aerae Christianae solares factos esse putaverit (3), hoc est V. Calippi Periodo, quae certe anno 3. Olympiadis CLXXXVIII., sive 20. annis ante Christum natum incepit. Perspicue id quidem Plinius innuere videtur, qui cum 360. statuas Demetrio Phalereo Athenis positas fuisse dixisset (4), repente subdit *nondum anno hunc numerum dierum excedente*: perinde quasi Plinii ipsius aetate civilis Atticus annus 360. dierum numerum excederet. Sed alii viderint an Plinii auctoritas hac in parte Pollucis, Plutarchi, Gemini, aliorumque testimonio praeferri debeat, qui post Plinium ipsum vixere, atque Atheniensis anni formam subtilius descripsere. Certe si Plinii aetate menses illi solares fuissent, nullus in anno civili embolimorum mensium locus esse iam poterat; cum tamen in Sponiana Inscriptione sub Caesaribus, & post Plinii aetatem posita embolimus eiusmodi mensis occurrat. Sequioribus tamen

(1) In Demosth. & Phocione. (2) Lib. II. num. 1. §. 10. (3) Dissert. II. Sect. 21. (4) Lib. XXXIV. c. 6.

tamen temporibus ſolares, vel Iulianos annos, eandemque menſium formam, quae a Romanis adhibebatur, ab Athenienſibus uſurpatam eſſe perſpicuus ille Ariſtophanici Scholiaſtae locus oſtendit, quem contra Dodvelli hypotheſim Numero XV. expoſui, ubi nimirum civili menſi aliquando 31. aliquando 30. aliquando 29. aliquando denique 28. dies tribuuntur; quae certe menſium varietas non in veteri Attico anno, ſed in Iuliano ſolum haberi poteſt. Quinetiam ipſum quoque civilis anni principium, quod Diodori, & Dionyſii aetate adhuc ab aeſtivo ſolſtitio ducebatur, ad autumnale deinde aequinoctium translatum eſſe conſpicitur. Ita Epiphanius (1) Maemacterionis initium cum Ianuarii Kalendis committit; Metagitnionem ſecunda Novembris die, adeoque Hecatombaeonem tertia Octobris die incepiſſe memorat: ut proinde ipſius aetate Athenienſes, Macedonum, Aſianorum, aliarumque finitimarum Gentium inſtar, civilis anni principium ab aequinoctio autumnali duxiſſe videantur; atque Hecatombaeonem ab aeſtivi ſolſtitii ſede, ad ſequens aequinoctium tranſtuliſſe (2). Antequam tamen Hecatombaeon a ſolſtitii cardine ad aequinoctium migraret, ſuſpicor civiles annos ab aequinoctio autumnali incepiſſe, primumque illorum menſem Boedromionem aliquando fuiſſe. Certe in utraque Sponii Inſcriptione (3) poſt Archontis Eponymi nomen, qui eo anno imperaverit, recenſentur illi, qui ſingulis eiuſdem anni menſibus Gymnaſiarchae munere perfuncti fuerant, *καθ' ὡς ἐγυμνασιάρχησαν ſecundum ſeriem, qua Gymnaſiarchae munus obierunt*. Ita vero menſium ordo in utroque Marmore contexitur, ut ſemper a Boedromione menſe incipiatur, ac Metagitnion veluti menſium ultimus poſtremo loco memoretur; quod argumento fortaſſe, vel coniecturae eſſe poterit civiles annos tunc ab autumno incepiſſe. Video quidem doctiſſimum Sponium exiſtimaſſe non civiles annos, quos ille perperam ab aequinoctio verno cum Hecatombaeone menſe incepiſſe putat, ſed gymnaſticas ſolum exercitationes Boedromione menſe inſtaurari conſueviſſe; quemadmodum fere, inquit ille, in Academiis noſtris non primo anni menſe, ſed alio prorſus ſtudia inſtaurantur. Sed optime haec ille quidem coniecíſſet, ſi gymnaſticae exercitationes Athenis, ut ſtudia in Academiis noſtris, aliquando interruptae, ite-

(1) Haereſi 51. (2) Petav. Doctr. Temp. Lib. IV. c. 8. (3) Pop. Attic. art. 4. & 104.

iterumque commodiori anni tempore instauratae fuissent; at illae singulis anni mensibus constanti, perpetuaque serie peragebantur, ut in eadem ipsa Inscriptione conspicitur: adeoque non alia fortasse ratione Boedromion hic veluti mensium primus occurrit, nisi quod ab illo civilis anni principium tunc ducebatur. Verum in re perobscura ubi nulla Veterum testimonia suppetunt, sed opposita quoque Simplicii, aliorumque loca occurrunt, nihil hic facile definiri posse conspicio; nihilque proinde de hac nuperrima civilis Attici anni forma nunc statuo; cum praesertim illa ad Fastos Atticos non plurimum conferre possit, quandoquidem sequioribus eiusmodi temporibus rara Archontum nomina, Atticaeque Historiae monumenta nobis occurrant, quae ad Fastos Atticos referri posse videantur.



DIS-

DISSERTATIO III.

SYNOPSIS.

I. U*Niversa Atheniensium Civium multitudo varias in Classes, aut Tribus ita distributa fuit, ut illarum quaelibet aequali temporis spatio concionibus praesideret, aut Prytaniae munere fungeretur.* II. *Hunc Tribuum ordinem, ac Prytaniarum seriem Dodvellus omnium primus investigavit.* III. *Maxima in Tribuum Atheniensium numero varietas variis subinde temporibus instituta ex Polluce demonstratur.* IV. *Clisthenes omnium primus Olymp. LXVII. Tribuum numerum auxit, ut pro quatuor, decem deinde forent. Pollucis, atque Plutarchi dissidium a ceteris Scriptoribus indicatur; simulque Meursii, Khunii ac Dodvelli error ostenditur.* V. *Pollucis locus tentatus, aut Khunii coniectura restitutus.* VI. *Athenienses Tribus certo quodam, constantique ordine interse conferebantur. Veterum, recentiorumque dissidium in describendo hoc Tribuum ordine demonstratur.* VII. *Unde dissidium illud prodierit, indicatur. Demosthenis, atque Andocidis locus illustratur. Petiti, & Lazii error ostenditur.* VIII. *Dodvelli methodus in explorando Tribuum ordine, aut contexenda Prytaniarum serie exponitur.* IX. *Tribuum, aut Prytaniarum series a Dodvello inventa proponitur, eiusque argumenta proferuntur.* X. *Duabus novis Tribubus Olymp. CXVIII. institutis constantem veterum ordinem perturbatum esse putat Dodvellus.* XI. *Dodvelli diligentia commendatur: sed ipsius tamen sententia in dubium revocatur.* XII. *Prima Dodvelli ratio confutatur.* XIII. *Demosthenis testimonium explicatur, atque argumentum exinde a Dodvello petitum refellitur.* XIV. *Accurata Phocensis belli historia ex Eschine contexitur.* XV. *Eadem temporum series Demosthenis etiam testimonio confirmatur.* XVI. *Insignis error in duobus Demosthenis locis, quidem*

bus Dodvellus innititur, demonstratur. XVII. *Uterque locus ille emendatur, ac restituitur, atque exinde Dodvelli sententia impugnatur.* XVIII. *Scaligeri, Petavii, Palmerii, aliorumque error in definiendo Phocensis excidii sive Pythiorum ludorum tempore demonstratur.* XIX. *Verum Phocensis excidii tempus ex Dionysio ostenditur. Corruptus Dionysii locus emendatur. Phocensis cladis annus etiam ex Eschine confirmatur.* XX. *Insignis Scaligeri, Petavii, Usserii, Norisii, Dodvelli, aliorumque error in describenda Macedonicorum mensium sede, ac mutatione indicatur; verumque Elataeensis, & Chaeronensis pugnae tempus demonstratur.* XXI. *Celebris quidam Demosthenis locus depravatus ostenditur.* XXII. *Error idem in Themistoclis etiam Epistolis demonstratur; novoque argumento illas apocryphas esse concluditur.* XXIII. *Alter Demosthenis locus tentatur, ac illustratur.* XXIV. *Amphictyonici Concilii tempus definitur: ac vera Asclepiorum, & Heracliorum festorum dies indicatur.* XXV. *Dodvelli argumentatio circa Prytaniarum, Tribuumque seriem refellitur, eiusque sententia eximio Ulpiani testimonio confutatur.* XXVI. *Aliud Dodvelli argumentum dirimitur, & contra Dodvellum ipsum retorquetur.*



DISSERTATIO III.

DODVELLI, ALIORUMQUE SCRIPTORUM OMNIUM SENTENTIA DE TRIBUUM ATHENIENSIUM, AC PRYTANIARUM ORDINE EXPONITUR, ET CONFUTATUR.

I. QUum plurima ſapienter olim Athenis inſtituta fuerint, ut Reipublicae libertas, ac popularis illa imperii forma, quae ſublatis iampridem Regibus, perpetuiſque Archontibus invaluerat, ſemper incolumis ſervaretur, illud etiam in primis haberi merito ſolet, quod univerſa Civium multitudo varias in Tribus, ac veluti Claſſes diſtributa, ita regiminis, imperiique particeps foret, ut Tribuum illarum quaelibet perpetua quadam, conſtantique ſerie Populi caetibus, Eccleſiis, ſive Concionibus praeſideret; ideoque tum in ferendis abrogandiſque legibus, tum in publicis rebus omnibus adminiſtrandis omnia Tribuum ſuffragio committerentur. Eiuſmodi verò ſupremum fere Athenis imperium ſummamque rerum poteſtatem ita variis Athenienſium Tribubus conceſſam eſſe iam diximus, ut pro vario Tribuum numero civilis Atticus annus varias in partes divideretur, illarumque ſingulae ſua anni parte Populo praeſiderent. Hinc illa civilis anni pars, aut temporis ſpatium, quo Tribus aliqua eſſe, vel imperare conſueverat, Πρυτανεία, *Prytania* dicebatur; Tribus illa, quae Prytaniae munere fungebatur, πρυτανεύουσα; denique Cives illi, qui ex Tribu imperante electi fuerant, Πρυτάνεις *Prytanes* vocabantur. Haec omnia fere perſpicuis adeo Suidae, Pollucis, aliorumque Veterum teſtimoniis demonſtrantur, ut Sigonio (1) facem ceteris praeferente, Petavius (2), Dodvellus (3), aliique plurimi ubique fere conſpirent, ut ſuperiori Diſſertatione iam dixi-

(1) De Repub. Athen. Lib. I. c. 2. (2) Doctr. Temp. Lib. II. c. 1. (3) Diſsertat. III. ſect. 40. & ſeq.

diximus, atque uberius etiam, & accuratius Dissertatione VI. dicturi sumus, ubi universam hanc Prytaniarum, Prytanumque seriem, munera, & functiones omnes exponemus.

II. Ac veteres quidem Scriptores illi sola plerumque Tribuum nomina, Prytaniarum tempus, ac numerum prodidere; nihilque fere de illarum ordine, ac serie, qua singulis annis illae imperare consueverint, perspicue tradiderunt; ut facile proinde fuerit in tanta rerum obscuritate, veterumque Scriptorum silentio summis alioquin, doctissimis Viris Scaligero, Petavio, Sponio, Petito, Prideauxio, aliisque pluribus subinde falli, ut variis in locis oportunè ostendetur. Hinc exploranda, vel definienda supererat Prytaniarum series, & ordo, quo Tribus ipsae vel inter se conferri, vel Prytaniae munere successive fungi consueverant; cumque saepissime in Graecis Scriptoribus Tribus imperantis nomen, aut etiam, suppresso Tribus nomine, *prima*, *nona*, *decima*, *Prytania*, veluti perspicua quaedam temporis nota, memoretur, quaerendum fuerat quaenam ex pluribus Atheniensium Tribubus *prima*, quae *secunda* fuerit, quaeve omnium prima, vel decima imperaverit. Itaque praeclare de literis, Atticaeque Historiae cultoribus meritus esse conspicitur Dodvellus, qui maxima ingenii laude, penitiorique Atticorum Scriptorum cognitione omnium primus de inquirenda Tribuum serie, vel Prytaniarum ordine cogitavit; cumque plurima subtiliter ille quidem, ac ingeniose ex Veterum monimentis accuratissime congessisset, veram se demum Atheniensium Tribuum, Prytaniarumque seriem deprehendisse existimavit [1]. Cum tamen plurima doctissimo quoque Viro exciderint, quae perspicuis Veterum testimoniis adversantur; ac series illa, quae ab ipso constituta fuerat, levibus subinde coniecturis, aut depravatis Scriptorum testimoniis innixa, liberiori denique differendi genere probata videatur, vera Prytaniarum, Tribuumque series adhuc obscura, vel incerta fore conspicitur; ut operae proinde pretium me facturum putaverim, si haec omnia subtilius, atque accuratius exponerem; cumque Dodvelli aliorumque Scriptorum omnium sententiam falsam esse ostendissem, veram deinde Prytaniarum, Tribuumque seriem Dodvello, ceterisque omnibus incompertam, perspicuis ipse, certisque Veterum testimoniis demonstrarem.

(1) Disfert. Sect. 40.

III. Ut autem omnia meliori, quo poterit, ordine demonstrentur, illud in ipso veluti limine inquiri, clarisque Veterum testimoniis ostendi debet, quis Tribuum numerus, quaeve proinde Prytaniarum series, atque divisio variis olim temporibus Athenis floruerit; quibus nominibus Tribuum illarum singulae appellari consueverint, quibus denique temporibus institutae illae fuerint, ut cetera exinde facilius veluti nitido, uberrimoque fonte dimanent. Id vero facile praestari, vel definiri profecto poterit, cum varius ille Tribuum numerus, ipsarumque nomina ab innumeris fere Scriptoribus memorentur: quorum plurimos in superiori quoque Dissertatione, prout ipsa rerum, locique opportunitas postulavit, exposui. Ceteris tamen omnibus aut clarior aut accuratior haberi facile poterit Pollux, quippe qui varium Tribuum numerum, nomina, simulque tempora, quibus illae institutae fuerint, diligenter adeo nobis expressit; ut ipsius testimonium aliorum omnium instar haberi merito possit. Itaque Pollux ubi de Tribuum Atheniensium numero, origine, & divisione differit haec habet. Αἱ φυλαὶ, τέως μέν επι Κέκροπος, ἦσαν τέσσαρες, Κεκροπὶς, Αὐτόχθων, Ἀκταία, Παραλία. Επὶ δὲ Κραναῦ μετωνομάσθησαν Κραναῒς, Ἀτθὶς, Μεσόγαια, Διακρὶς. Ἐπὶ δὲ Εριχθονίου Διὰς, Ἀθηναῒς, Ποσειδωνιὰς, Ἡφαιςιὰς, ἀπὸ δε τῶν Ἴωνος παίδων, ἐπὶ Ἐρεχθέως, Γελέοντες, Ὅπλητες, Αἰγικόρεις, Ἀργάδεις. Επὶ δὲ Ἀλκμαίωνος δέκα ἐγένοντο ἐκ πολλῶν ὀνομάτων, ἐρομένου τοῦ Πυθίου, Ἐρεχθηῒς, Κεκροπὶς, Αἰγηὶς, Πανδιονὶς, Ακαμαντὶς, Ἀντιοχὶς, Λεοντὶς, Οἰνηῒς, Ἱπποθωόντις, Αἰαντὶς. Προσετέθησαν δὲ ἀυταῖς δύο, Ἀντιγονὶς, καὶ Δεμετριὰς, ἅς ὕςερον μετωνόμασαν Ἀτταλίδα, καὶ Πτολεμαίδα (1). *Tribus quidem usque ad Cecropem quatuor fuerunt, Cecropis, Autochthon, Actaea, Paralia. Post Cranaum vero adnominatae sunt Cranais, Atthis, Mesogaea, Diacris. Sed post Erichthonium Dias, Palladia, Neptunia, Vulcania. Verum ab Ionis liberis, Erichthone, & Leonte, Hoplitae, Aegicores, & Cades. Ab Alcmaeone vero, Apolline interrogato, multa nomina in decem relata sunt; Erechtheis, Cecropis, Aegeis, Pandionis, Acamantis, Antiochis, Leontis, Oeneis, Hippothoontis, Aeantis. His vero addiderunt duas Antigonidem, & Demetriadem, quas postea Attalidem, & Ptolemaidem nominaverunt.*

IV. Exi-

(1) Lib. VIII. c. 9. Sect. 109. 110.

IV. Eximius iſte Pollucis locus, qui facile ex Herodoto [1], Pauſania [2], aliiſque pluribus [3] vel confirmari, vel illuſtrari etiam poſſet, perſpicue nobis oſtendit, quod initio quidem Athenis quatuor ſolum Tribus, ſeu Civium claſſes diſtingui conſueverunt; quamvis illae variis ſubinde nominibus appellarentur; donec ab Alcmaeone decem numero ſunt inſtitutae. Ac eiuſmodi quidem Pollucis verba Meurſius de Alcmaeone perpetuorum Archontum ultimo, qui anno 3. Olympiadis VI. Imperium obtinuit, intelligenda fore putavit: cumque ab Herodoto ſcriptum videret, quod Tribuum numerus a Cliſthene viro Alcmaeonida auctus fuit, intricatum hunc nodum dirimere neſciens *vides*, ait, *diſſenſum, quem non facile eſt componere* [4]. Diſſenſum ipſum notavit eruditiſſimus Khunius, nec illum alia ratione componi poſſe putavit, quam ſi in Polluce pro ἐπὶ δὲ Ἀλκμαίωνος *ſub Alcmaeone* legatur ἐπὶ δὲ τῶν Ἀλκμαίωνος *ſub filiis Alcmaeonis*. Certe a Cliſthene Tribuum numerum mutatum eſſe innuit Ariſtoteles [5], idque poſt exactos Athenis Piſiſtratidas contigiſſe non Herodotus [6] ſolum, & qui Herodoto aſſentiri ſe dicit, Pauſanias [7], ſed Plutarchus [8] etiam oſtendit, qui Cliſthenem ipſum eiectis Piſiſtratidis Athenis imperaſſe, novamque Reipublicae formam inſtituiſſe commemorat. Quinetiam Plutarchus [9] ipſe civilem illam diſcordiam, quae Solonis aetate Athenis exarſerat, deſcribens, confuſam quidem minuſque, ut opinor, accuratam [10], ſed veterem tamen Tribuum ſeriem expreſſit, dum Piſiſtratum *Diacriorum*, Lycurgum *Pediaeorum*, Megaclem denique Alcmaeonis filium, Cliſtheniſque patrem *Paraliorum* principem fuiſſe dicit. Itaque dubitari certe non poterit, quin novus ille X. Tribuum numerus a Cliſthene Olympiadis LXVII. anno 3., quo Cliſthenes ipſe Athenis excelluit, atque Archontis etiam dignitatem obtinuit, ut Plutarchi verba, ſimulque ſuperſtites Arundelliani Marmoris [11] laciniae praeſeferunt, ſit inſtitutus: ut mirari proinde ſubeat, cur ambigua Pollucis verba de Alcmaeone perpetuorum Archontum ultimo intelligi poſſe Meurſius exiſtimaverit, cum longe ſane veriſimilius de Alcmaeo-

ne

(1) Lib. V. c. 69. (2) In Atticis (3) Ulpian. in Demoſth. Timocrateam, Strabo Lib. IX. & Schol. Ariſtoph. ad Veſpaſ., Heraclid de Politiis, & Steph in AEgicoris. (4) Regnum Atticum Lib. II. c. 10. (5) Polit. Lib. III. c. 2., & Etymologus in Eponym. (6) Lib. V. c. 69. (7) In Attic. (8) In Ariſtide (9) In Solone (10) Vid. Palmer. Exercit. pag. 4. & 5. ad Herodot. (11) Lin. 60. Epoch. 46.

ne Megaclis patre, Clisthenisque avo intelligi potuissent, quamvis ad Olymp. LXVII. tempora vitam protraxisse a doctissimo Khunio prorsus immerito existimetur. Quid vero, quod Dodvellus ipse, qui alicubi certe Tribuum numerum a Clisthene Olympiade LXVII. institutum esse diserte iam dixerat [(1)], alibi tamen asseruit Solonis etiam aetate, qui Olym. LV. anno I. e vivis excessit, decem Athenis Tribus fuisse? [(2)]

V. Quandoquidem vero perspicuis adeo Veterum testimoniis erudimur X. Atheniensium Tribus a Clisthene institutas esse, Pollucis locus feliciter a Khunio restitutus censeri facile poterit; nisi fortasse Clisthenes ipse avi nomine, tum a Polluce, tum ab aliis etiam Scriptoribus *Alcmaeon* aliquando sit appellatus. Scrupulum hunc mihi, vel suspicionem olim iniecerat Plutarchus ipse, qui cum in *Vita Aristidis* observasset Aristidem ipsum Clisthenis necessarium fuisse, ideoque Themistocli Neoclis filio adversatum esse, in *Praeceptis gerendae Reipublicae* principes viros illos enumerans, qui cives alios aetate minores praesidio, & auctoritate sua ad summam rerum gloriam evexere, ait Ἀριστείδην μὲν ηὔξησε Κλεισθένης: *Aristidem quidem auxit Clisthenes*; aliosque commemorans, qui invidiae stimulis spectatissimis etiam Viris sunt adversati, ait ὡς Ἀλκμαίων Θεμιστοκλεῖ: *ut Alcmaeon Themistocli*: quo fieri posse conieceram, ut Clisthenes ille, qui Aristidi suffragatus, ideoque Themistocli Aristidis aemulo adversatus fuisse dicitur, unus idemque fuerit ac Alcmaeon, quem veluti Themistoclis adversarium Plutarchus exhibuit; cum praesertim Clisthenis huius, Themistoclis, vel Aristidis aetate in Alcmaeonidarum familia nullus omnino alius fuerit, qui Alcmaeonis nomine vocaretur, ut in accurato Gentis illius Stemmate apud Palmerium conspicitur [(3)]; nec plurimum fortasse abhorreat, ut idem ille, qui materni avi nomine *Clisthenes* vocabatur, paterni quoque avi nomine *Alcmaeon* diceretur. Cum tamen Plutarchus ipse commemorat [(4)] Themistoclem iam exulem a Leobote quodam Alcmaeonis Agraulensis filio accusatum esse, facile superiora Plutarchi verba non de Clisthene, sed de Agraulensi potius Alcmaeone intelligi debent; ideoque, aut Pollux erravit, aut ipsius contextus antea depravatus ex optima Khunii coniectura restitui debet.

VI.

(1) Disser. III. Sect. 37. (2) Disser. I. Sect. 9. (3) Exercit. Pag. 633. (4) In Themistocle.

VI. Ceterum ſive Pollux in exprimendo X. Tribuum auctore prorſus erraverit, ſive cum Herodoto, aliiſque Scriptoribus aliqua ratione conciliari ille poſſit, perinde eſt. Gravius id certe, ac illuſtrius cenſeri; ideoque ſubtilius hic a nobis, & accuratius inquiri debet, an ſaltem in contexenda Tribuum ipſarum ſerie ordinem illum ſervaverit, quem Tribus ipſae Athenis habuerunt. Quod enim aliquo aut dignitatis, aut vetuſtatis ordine inter ſe conferri debuerint, ideoque Tribus una certa quadam, conſtantique praerogativa aliam praecedere conſueverit, dubitari vix poſſe putaverim. Illud ſane in Plutarcho iam pridem obſervaveram, quod in diſponendis Tribuum Athenienſium Choris Aiacis, vel Aeantis Tribus nuſquam poſtremo omnium loco collocabatur: *εἰς τὴν ἐχάτην χώραν μηδέποτε τὴν φυλὴν ἀυτȣ͂ Α'ιαντος καταβάλλȣσι* (1). Aeantidem, vel *Aiacis Tribum poſtremo loco nunquam collocant*. Herodotus etiam in deſcribenda Marathonia pugna, quae anno 3. Olymp. LXXII. contigerat, diſerte nobis expreſſit, quod Callimachum ducem, ſeu Polemarchum, Athenienſium Tribus eodem prorſus ordine ſequebantur, quem inter ſe habere, ſive ſervare conſueverant: *τȣ͂ μὲν δεξιȣ͂ κερέως ἡγέετο ὁ Πολέμαρχος Καλλίμαχος . . . ἡγεομένȣ δὲ τȣ́τȣ ἐξεδέκοντο, ὡς ἀριθμέοντο αἱ φυλαὶ ἐχόμεναι ἀλλήλων* (2) *dextro cornu preaerat Callimachus Polemarchus . . . . . hoc duce ſequebantur deinceps caeterae Tribus eo, quo inter ſe ordine recenſentur*. Exinde vero non immerito prorſus, ut opinor, conieceram, quod Tribus ipſae tum belli, tum pacis etiam tempore certo quodam, conſtantique ordine numerari, ſive diſponi ſolerent; neque ordinem tamen illum ab ullo tum Veterum, tum Recentiorum nitide, certoque nobis expreſſum, vel demonſtratum eſſe videbam; cum praeſertim Veteres ipſi, ac Recentiores in contexenda Tribuum Athenienſium ſerie mirifice diſſideant. Siquidem, ut Meurſium, alioſque plures ommittam, qui nihil de vero Tribuum ordine tradidere, Pauſanias ipſe, qui in rebus Atticis exponendis ceteros Scriptores omnes longiſſime ſuperavit, eam Tribuum Athenienſium ſeriem contexuit, quae a Pollucis ſerie plurimum diſſidet. Ulpianus (3) etiam Demoſthenis enarrator in exponenda Tribuum ſerie non a Pauſania ſolum, ſed a Polluce quoque maxime aberrat. Ex recentioribus vero Sigonius (4) Athenienſes Tribus alio prorſus ordi-

(1) Sympoſ. lib. I. queſt. 10. (2) Lib. 6. (3) In Orat. adv. Timocr. (4) De Rep. Athen. lib. I. c. 2.

ordine, quam qui in Veteribus illis conspicitur, enumeravit. Ita propemodum Sponius [1] in explicanda veteri Inscriptione plurimum fallitur, Tribuumque ordinem fortuitum, atque incertum fuisse arbitratur. Prideauxius [2] Heroas Tribuum Eponymos, a quibus nempe Tribus illae nomen acceperant, adeoque Tribus ipsas alio prorsus ordine recenset. Denique, ne ceteros etiam hic persequar, Dodvellus ipse, ut mox ostendetur, qui veram Tribuum seriem se deprehendisse, certisque Veterum testimoniis ostendisse gloriatur, eam Tribuum seriem exhibuit, quae tum a Polluce, tum a Pausania, tum a ceteris quoque Scriptoribus diffideat, perspicuoque Plutarchi testimonio repugnet; quippe quae postremum semper locum Aeantidi Tribui, Pollucis ac Sigonii instar, concesserit. Varias eiusmodi, maximeque diffidentes tum Veterum tum Recentiorum sententias hic una subiecisse iuverit, ut ex ipsa quoque illarum varietate maxima hac in parte rerum obscuritas, ac perplexitas ostendatur.

	Pollux	Pausanias	Ulpianus	Sigonius	Prideauxius	Dodvellus
1	*Erechtheis*	*Hippoth.*	*Pandio.*	*Cecrop.*	*Cecrop.*	*Pandion.*
2	*Cecropis*	*Antioch.*	*Erechth.*	*Erechth.*	*Pandion.*	. . . . .
3	*Aegeis*	*Aeant.*	*Cecrop.*	*Pandion.*	*Erechth.*	*Hippoth.*
4	*Pandionis*	*Leont.*	*Aegeis*	*Aegeis*	*Aegeis*	*Oeneis*
5	*Acamantis*	*Erechth.*	*Oeneis*	*Oeneis*	*Acam.*	. . . . .
6	*Antiochis*	*Aegeis*	*Leont.*	*Acaman.*	*Hippoth.*	*Leontis*
7	*Leontis*	*Oeneis*	*Aeant.*	*Leontis*	*Antio.*	*Acam.*
8	*Oeneis*	*Acaman.*	*Acam.*	*Hippoth.*	*Aeantis*	*Erech.*
9	*Hippothoont.*	*Cecrop.*	*Antioch.*	*Antio.*	*Leontis*	. . . . .
10	*Aeantis*	*Pandion.*	*Hippoth.*	*Aeantis*	*Oeneis*	*Aeantis*

VII. Qui varias eiusmodi tum Veterum, tum Recentiorum hypotheses accuratius inspexerit, facile, ut opinor, intelliget veram ex illis Tribuum Atheniensium seriem exculpi non posse, cum facile coniici, vel divinari certe non possit, quaenam alteri palmam praeripiat, ceterisque accuratior habenda sit. Quinetiam suspicor Pollucis, Ulpianique seriem omnino

(1) Itiner. Tom. II. pag. 245. (2) Marm. Oxon. pag. 215.

no temere, & inconſulto contextam eſſe, quod nempe Scriptores illi ſolum Tribuum numerum hic exprimendum ſuſceperint, nihilque de vero ipſarum ordine cogitaverint. Prideauxius vero in contexenda Tribuum, vel potius Heroum ſerie ſolum dignitatis rationem habuiſſe videtur; ut ille proinde Cecropem prius, alioſque Athenienſium Reges expreſſerit, tum Acamentem, caeteroſque numeraverit, qui non regia quidem dignitate, ſed eximia tamen & heroica virtutis gloria hunc Athenis honorem obtinuerunt, ut illorum nomine Athenienſium Tribus inſignirentur. Quod vero ad Pauſaniam attinet, Heroas ille Tribuum Eponymos eadem fortaſſe ſerie, vel ordine numeravit, quo ipſorum ſtatuae Athenis poſitae ipſius aetate conſpiciebantur. Ubi nimirum ille quingentorum curiam, & Tholum deſcripſiſſet, repente ſubdit ἀνωτέρω δὲ ἀνδριάντες ἑςήκασιν Ηρώων, ἀφ' ὧν Α'θηναίοις ὕςερον τὰ ὀνόματα ἔχον αἱ Φυλαί... τῶν δὲ Ε'πωνύμων (καλᾶσιν γὰρ ἄτως σφᾶς) ἔςι μὲν Ι'πποθόων [1].. *paullo vero ſuperius Heroum illorum ſtatuae poſitae ſunt, a quibus recentiora nomina Athenienſium Tribus acceperunt.... Ex Eponymis autem (ſic enim illos appellant) unus eſt Hippothoon...* moxque ceteras 9. Eponymorum ſtatuas recenſet, ipſiſque demum *Attalum*, *Ptolemaeum*, atque *Hadrianum* Caeſarem adiungit, quorum nominibus tres novae Athenienſium Tribus Pauſaniae aetate diſtinguebantur. Ergo Pauſanias in contexenda Tribuum, vel Eponymorum ſerie illum fortaſſe ordinem adhibuit, quem in ipſorum ſtatuis Athenis ille conſpexerat. Quod vero Pauſanias addidit Athenienſium Tribus ab Heroibus illis recentiora nomina deſumpſiſſe, non ita intelligi profecto debet, ut illarum ſtatuae tunc temporis erectae fuerint cum Olympiade LXVII. decem Athenis Tribus inſtitutae ſunt. Antiquioribus enim temporibus, atque ipſa quoque Solonis aetate, qua Athenienſes cives omnes quatuor ſolum in claſſes, ſeu Tribus diſtributi fuerant, erectas illas fuiſſe perſpicuo Demoſthenis teſtimonio deprehendi, qui cum veterem Solonis legem recitaſſet ait: συνίετε καθ' ὃν τρόπον ὁ Σόλον τὸς νόμȣς, ὡς καλῶς, κελέυει τ.θέναι; ἐπέταξεν ἐκθεῖναι πρόσθεν τῶν Ε'πωνύμων [2], *intelligitis quo pacto, & quam praeclare, leges ferre Solon iubeat? iuſſit exponere ante ſtatuas Eponymorum*. Hic ipſe quoque Athenienſium mos in proponendis, ferendiſque legibus non ab Ety-

(1) In Attic. (2) Orat. adv. Leptin. pag. 373.

mologo [1] ſolum, ſed ab Andocide quoque demonſtratur; qui eandem ipſam Solonis legem, ut videtur, innuens ait: *ὁπόσων δ᾽ ἂν πρȣδέοι, οἵδε ἡρημένοι Νομοθέται ὑπὸ τῆς βȣλῆς ἀναγραφόντων ἐν σανίσι, ϗ ἐκτιθέντων πρὸς τȣ̀ς Επωνύμȣς σκοπεῖν τῷ βȣλομένῳ* [2]: *quantum autem deſideretur Nomothetae a Senatu electi deſcribant in tabulis, atque ad Eponymos proponant, ut qui velit inſpicere poſſit* [3]. Itaque merito notatus a Prideauxio [4] Petiti error qui ſuperiorem illam Solonis legem de Eponymorum Archontum ſtatuis explicandam fore putavit, quod fortaſſe intelligeret Solonis aetate Eponymorum quidem Archontum ſtatuas haberi potuiſſe; nullas vero Heroum ſtatuas *Eponymas*, aut Heroas ipſos *Eponymos* vocari potuiſſe; cum nondum Tribus inſtitutae forent, quae nomen ab Heroibus, vel ſtatuis illis acciperent. Ac certe Heroes illi a Solone *Eponymi* vocari non poterant, ſed *Eponymorum* nomen a Demoſthene ſolum adiectum fuit quod nimirum ipſius aetate Heroes illi etiam Eponymi vocarentur. Itaque Petiti error levior eſt certe quam ut acerbius a Prideauxio notari, *ſtupidiſſimeque* admiſſus vocari ille poſſet; longeque gravior error ille cenſeri poterit, quem a Volfango Lazio [5] admiſſum eſſe conſpicio, qui cum ſaepiſſime in Graecis Scriptoribus *Leontidas*, *Acamantidas*, *Antiochidas* memorari vidiſſet, illas *Eteobutidarum*, & *Eumolpidarum* inſtar, illuſtres quaſdam nobilioreſque Athenienſium familias exiſtimavit; cumque vix ullam Archontum cognitionem habuiſſe videatur, *Leonem* tamen quendam Faſtis omnibus ignoratum, veluti Athenienſium Archontem nobis obtruſit. Sed, ut ad Athenienſes Tribus revertar, ſatis, ut arbitror, oſtenſum fuit illarum ſeriem, quae a Polluce, Pauſania, Ulpiano, & Prideauxio, contexta fuit, omnino fortuitam, atque incertam eſſe oportere, quippe quae non verum, conſtantemque illarum ordinem exprimat, neque perſpicuis Scriptorum teſtimoniis innitatur, ſed aliis potius ex fontibus profluxiſſe merito videatur. Atque utinam quidem Dodvellus ipſe, qui optime, ſapienterque viderat veram hanc Tribuum ſeriem ex ſolis Veterum teſtimoniis eliciendam eſſe in teſtimoniis illis explorandis accuratior fuiſſet! Facile nimirum acerrimus Auctor ille errores, ac vitia, quae in ſeriem a ſe contextam irre-

(1) In Eponym. (2) Orat. de Myſter. (3) Vid. Meur. Lect. Attic. lib. V. c. 5. (4) Marm. Oxon. pag. 215. (5) Graecia Antiq. lib. II. c. 2.

irrepſerant, deprehendiſſet, quaeque ego nunc primum perſpicuis, ut opinor, argumentis oſtendam, ubi prius elegantem illam Dodvelli ſententiam ingenue, ſuiſque veluti coloribus expoſuero.

VIII. Itaque Dodvellus obſervat quod a Demoſthene in Oratione *contra Timocratem* (1) exibetur Ψήφισμα, ſive decretum, quod factum fuiſſe dicitur ἐνδεκάτῃ τȣ̃ Ἑκατομβαιῶνος μηνὸς *undecima Hecatombaeonis menſis die* & in quo legitur ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης, ἐνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας (2) *ſub Pandionide* Tribuum *prima*, *undecima* die *Prytaniae*: pauciſque mox interiectis iterum dicitur ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης πρυτανείας, δωδεκάτῃ τῶν Προέδρων, ἐψήφισεν Ἀριστοκλῆς Μυῤῥινȣ́σιος (3) *ſub Pandionide Prytania prima*, *duodecima Proedrorum* die, *decrevit Ariſtocles Myrrhinuſius*. Denique Demoſthenes ipſe in Oratione *de Corona* aliud decretum exibet editum ἐπὶ Ἄρχοντος Μνησιφίλȣ Ἑκατομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, πρυτανευȣ́σης Πανδιονίδος (4) *Archonte Mneſiphilo*, *trigeſima Hecatombaeonis* die, *Pandionide* Tribu *Prytaniae munere fungente*. Itaque, concludit Dodvellus, cum in variis decretis illis, quae Hecatombaeone menſe omnium primo edita, prima Prytania, primuſque locus Pandionidi Tribui ſemper tribuatur, eademque Tribus, ac Prytania ſemel, iterumque *prima* dicatur, manifeſtiſſime inferri debet quod ſedes illa, primuſque locus in Tribuum, aut Prytaniarum ordine ita Pandionidis proprius fuit, ut illa quolibet anno omnium prima imperaverit: cumque eadem prorſus ratio de ceteris etiam Tribubus habenda ſit, ut nimirum ipſarum quaelibet, Pandionidis inſtar, in civilibus annis certo quodam, conſtantique loco praeſederit, Prytaniarum ſedes, ac Tribunm ordo omnino conſtans admitti debet. Nec alia certe de cauſſa Dodvellus ipſe fieri potuiſſe putavit (5) ut ἐννάτῃ, δεκάτῃ, πέμπτῃ, *nona*, *decima*, *quinta* Prytania, ſuppreſſo plerumque Tribus, aut menſis nomine, ſaepius a Demoſthene, aliiſque Scriptoribus memoretur, niſi quod Athenienſium Tribuum ordo ſemper ubique conſtans, invariabilis, adeoque civium ſingulis ita perſpectus erat, ut cum ex. gr. *prima Prytania* dicebatur, repente intelligi, vel definiri etiam poſſet qua Tribu Prytaniae munus obeunte, quo anni menſe lex quaedam edita, ſive decretum aliquod eiuſmodi Prytaniae numerum praeſeferens ſancitum fuerit.

(1) Pag. 465. (2) Pag. 467. (3) Pag. 471. (4) Pag. 316. 317. (5) Differt. III. ſect. 45.

rit. Quod si Prytaniarum series, aut Tribuum ordo fortuitus, aliquando varius, & inconstans fuisset, ambiguum prorsus, ignotumque Atheniensibus civibus fuisset, & quo tempore lex edita fuerit: cum tamen eximia lege, quam eadem ipso loco ex Demosthene excripsit Dodvellus, cautum fuerit, ne leges ullae vim sortirentur, nisi ab illa die, qua editae fuerant; ideoque scribis imperatum, ut cuilibet Psephismati, sive legi certos diei, temporisque characteres adscriberent. Nullus denique, ut opinatur Dodvellus in Prytaniarum ordine designando sortium usus effingi potest. Siquidem sortes ipsae adhiberi facile poterant *cum esset officiorum aliqua disparitas, quae caussa esse posset alterum alteri esse anteferendum ...... par* autem *erat ubique ius Prytaniarum; nec pauciores Tribubus Prytaniae* (1). Quod si Scriptores aliqui Tribus ipsas κληρώτας *sortito electas* esse dixerunt, ut in illis proinde sortes adhibitae videantur, id de solis Prytaniarum Proedris, atque Epistatis, sive Praefectis intelligendum esse putat Dodvellus, qui certe sortibus eligebantur: at Tribus ipsae, illarumque series non fortuita, vel inconstans, vel denique sortis arbitrio commissa; sed ubique potius eadem, constans, & invariabilis haberi debet (2).

IX. Ubi vero Prytaniarum ordinem, Tribuumque seriem Dodvellus superioribus argumentis, & exemplis etiam ubique fixam, & constantem esse ostendisset, suam cuique sedem tribuere vel definire nititur; eamque certis veterum testimoniis se deprehendisse arbitratur. Quemadmodum ergo superioribus decretis illis, quae ex Demosthene protulerat, Pandionidem Tribum Hecatombaeone mense imperasse, ipsamque omnium primam fuisse dixerat, ita quoque decretis aliis innixus Hippothoontidem Tribum in Boedromione mense, vel tertio loco collocavit. Etenim Demosthenes ipse in eadem Oratione *de Corona* decretum exibet ἐπὶ Ἄρχοντος πολυκλέυς μηνὸς Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα φυλῆς πρυτανευέσης Ἱπποθοωντίδος (3) *Archonte Philocle, Boedromionis mensis sextadecima* die, *Hippothoontide Tribu Prytaniae munere fungente*, iterumque decretum aliud ἐπὶ Νικοκλέυς Βοηδρομιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, πρυτανείᾳ φυλῆς Ἱπποθοωντίδος (4) Archonte *Nicocle, trigesima Boedromionis die, Prytania Tribus Hippothoontidis* deinde vero, cum in eadem ipsa Oratione decretum aliud habeatur ἐπὶ Ἄρχοντος Εὐθυκλέυς Πυανεψιῶνος ἐννάτῃ ἀπίον-

(1) Dissert. III. sect. 42. & 37. (2) Dissert. III. sect. 37. (3) Pag. 327. (4) Pag. 323.

ἀπίοντος, φυλῆς πρυτανευούσης Οἰνηΐδης [1] *Archonte Euthycle, vigesima secunda Pyanepsionis die Oeneide Tribu Prytaniae munus obeunte* Oeneidem Tribuum quarto loco constituit. Cum ibidem decretum aliud occurrat ἐπὶ Χαιρωνίδου Ἡγέμονος Γαμηλιῶνος ἕκτῃ ἀπίοντος, φυλῆς πρυτανευούσης Λεοντίδος [2], *Archonte Chaeronda Hegemonis* filio, *vigesima quinta Gamelionis* die, *Leontide Tribu Prytaniae munere fungente* Leontidi Tribui sextum locum concessit. Erechtheidem vero Tribum octavo loco reposuit quod ibidem Orator decretum aliud exhibeat factum ἐπὶ Ἄρχοντος Ἡροπύθου μηνὸς Ἐλαφηβολιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος, φυλῆς πρυτανευούσης Ἐρεχθηΐδος [3] *Archonte Heropithe vigesima quinta Elaphebolionis mensis, Erechtheide Tribu Prytaniam gerente* Aeantidi vero Tribui decimum, sive postremum locum attribuit, quod in laudata saepius Demosthenis Oratione decretum aliud memoretur ἐπὶ Ἄρχοντος Ναυσικλέους, φυλῆς πρυτανευούσης Αἰαντίδος, Σκιρροφοριῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα [4] *Archonte Nausicle, Prytaniam obeunte Aiantide Tribu, sexta decima Scirrhophorionis* die. Postremo, cum in Thucydide [5] ubi de induciis agitur, quae anno 3. Olympiadis LXXXVIIII. inter Athenienses, ac Lacedaemionios sancitae sunt, habeatur Ἀκαμαντὶς ἐπρυτάνευε . . . . ἔδοξε ἄρχειν τήνδε ἐκεχειρίαν τὴν ἡμέραν τετράδα ἐπὶ δέκα τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνός . . . μηνὸς ἐν Λακεδαίμονι Γεραστίου δωδεκάτῃ, *Acamantis* Tribus *Prytaniae munere fungebatur . . . placuit inducias istas incipere decimaquarta Elaphebolionis mensis* Atheniensis die . . . . *duodecima vero Gerastii Lacedaemoniorum* mensis, atque Dodvellus [6] eiusmodi Thucydidis locum depravatum esse suspicaretur, neque commodius sanari posse quam si numeri ab imperito exscriptore transpositi ita restituerentur τὴν ἡμέραν δωδεκάτην τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς . . . . μηνὸς ἐν Λακεδαίμονι Γεραστίου τετράδα ἐπὶ δέκα *duodecima Elaphebolionis mensis* Atheniensis *die, quartadecima vero Gerastii Lacedaemonii mensis*, Acamantidem Tribum septimo loco collocavit; ut solae proinde *Antiochis*, *Cecropis*, & *Aegeis* superessent, quarum sedes adhuc ignota foret, quamvis ad secundam, quintam, vel nonam sedem, quae vacuae supererant, illae referri debeant. Itaque constans illa Tribuum, ac Prytaniarum series ita ex Dodvelli sententia, qui menses etiam alterne plenos, & cavos supponit, disponi debet.

I. Pandio-

(1) Pag. 330. (2) Pag. 324. (3) Pag. 316. (4) Pag. 339. (5) Lib. IV. c. 118. 119. (6) Dissert. VIII. sect. 9.

I.	Pandionis desinit	die	6.	Metagitnionis
II.	ignota	. . . . .	13.	Boedromionis
III.	Hippothoontis	. . . . .	19.	Maemacterionis
IV.	Oeneis	. . . . .	26	Pyanepsionis
V.	ignota	. . . . .	2.	Gamelionis
VI.	Leontis	. . . . .	7.	Anthesterionis
VII.	Acamantis	. . . . .	13.	Elaphebolionis
VIII.	Erechthais	. . . . .	18.	Munichionis
IX.	ignota	. . . . .	24.	Thargelionis
X.	Aeantis	. . . . .	29.	Scirrophorionis

X. Sed constans tamen illa Pritaniarum series, & Tribuum ordo, ut putat Dodvellus, anno 3. Olympiadis CXVIII. variatus fuit, cum duae Tribus aliae *Antigonis* nimirum, atque *Demetrias* sunt institutae: non solum quod Tribuum quaelibet tunc unico solum mense imperabat, ideoque singulae Prytaniae 30. vel 29. dies complectebantur, verum etiam quod *novas Tribus Antigonidem, & Demetriadem primas in hoc novo ordine fuisse suspicetur* (1) Dodvellus. Siquidem Josephus in Libro XIV. Antiqu. Iudaic. c. 16. exibet decretum ab Atheniensibus factum *ἐπὶ Ἀγαθοκλέυς Ἄρχοντος Agathocle* (2) *Archonte* hoc est anno 2. Olymp. CLXXXIII., in quo dicitur Εὐκλῆς Μενάνδρυ Ἁλιμύσιος ἐγραμμάτευε, Μυνιχιῶνος ἐνδεκάτῃ τῦς Πρυτανείας *Eucles Menandri* filius *Halimusius, Scribae munere fungebantur, Munichione mense, undecima Prytaniae die*: ideoque cum Eucles ille fuerit Halimusius, atque ad Leontidem proinde Tribum spectaverit, *vix autem sit*, ut inquit Dodvellus, *quod dubitemus quin Scriba Prytaniae fuerit Tribus* πρυτανευύσης (3) quae nimirum Prytaniae munere, tunc fungebatur, Leontis ipsa, quae sexta iampridem fuerat, in octavum deinde locum migrasse debuit, vel potius decimum, ut cum Munichione mense concurrat. Sic Acamantis etiam Tribus, quae septima olim fuerat in Psephismate quodam apud Laertium (4) πέμπτῃ *quinta*

(1) Dissert. III. sect. 39. (2) Dodvel. Dissert. II. sect. 15. (3) Ibi sect. 39. (4) Lib. VII. sect. 10.

ta vocatur: ideoque manifeste colligitur quod aucto Tribuum numero constans ille ipsarum ordo, & Prytaniarum series, quae prius invaluerat, ita mutata fuit, ut novus alius Tribuum ordo adhiberi caeperit. Sed hic ipse tamen novus Tribuum ordo semper idem, & constans haberi deinde debuit: cum praesertim duae novae Tribus, *Attalis*, & *Ptolemaeis* veterem aliarum ordinem minime perturbaverint; sed Attalis ipsa in Antigonidis Ptolemais vero in Demetriadis locum successerit, ut post Pollucem (1) Dodvellus (2) existimavit; quamvis Hermogenis Scholiastes Ptolemaidem Antigonidi, atque Attalidem Demetriadi successive putaverit.

XI. Quicumque eximiam hanc Prytaniarum seriem subtiliter adeo a Dodvello constitutam accuratius inspexerit, nullus dubito, quin incredibilem ipsius solertiam, acre ingenium, summamque veterum Scriptorum, temporumque peritiam admiretur. Neque is certe ego sum, qui a doctissimi Viri sententia perspicuis adeo veterum testimoniis illustrata, subtilique temporum ratione confirmata diffidere velim, nisi plurima veterum ipsorum testimonia, quae subinde cogitanti mihi, remque acrius exploranti occurrerunt, alias in partes abripuissent. Haec ipsa vero tum veterum testimonia, tum argumenta plurima, quibus ego omnium primus verum Tribuum ordinem ac Prytaniarum seriem manifestissime demonstravi, in sequenti potius Differt. complectar; interim singulas Dodvelli rationes, & testimonia singula, quae ab illo collecta fuerint, accurate excutiam, ut exinde quoque ipsius sententiae falsitas ostendatur; cumque doctissimus Auctor ille primum, simulque praecipuum argumentum ex decretis illis eruerit, quae tum a Demosthene, tum a cateris etiam Scriptoribus memorantur, is illarum singula diligentius inquiram, ut facile intelligi vel definiri possit an illorum praesidio vera Tribuum series, qualis a Dodvello contexitur, haberi possit.

XII. In decretis illis, inquit Dodvellus, quae a Demosthene proferuntur, *Pandionis* Tribus ubique πρωτη *prima* vocatur, primoque mensi coniungitur, ergo Pandionis ipsa in Prytaniarum ordine primum semper locum obtinuit. Doctissimi tamen Viri pace non video cur ex paucis decretis, & exemplis illis costans illa Pandionidis Tribus sedes inferri possit. Perspi-

(1) Lib. VIII. c. 9. sect. 109. 110. (2) Disfert. III. sect. 40.

Perſpicue quidem inferri poterat eo anno, quo decreta illa, ſive ψηφίσματα facta ſunt Pandionidem Tribuum primam fuiſſe, primamque in Prytaniarum ordine ſedem ita occupaſſe ut Hecatombaeone proinde menſe praeſederit; ſed quamvis etiam Tribuum ſeries fortuita, ſortiſque ſuffragio commiſſa cenſeatur, id optime tamen aliquando fieri, ſive contingere profecto poterat, ut Pandionis ipſa primum locum ſortiretur; ideoque nulla ratione deduci poteſt quod illa ſingulis annis eadem prima ſede, primoque loco imperaverit. At, inquit Dodvellus, non in uno ſolum, ſed in tribus potius decretis Pandionis Tribus Hecatombaeoni menſi, primoque loco tribuitur, ergo ſi ſemel iterumque ipſius ſedes conſtanter adeo eidem menſi conceditur, manifeſtiſſime inferri debet, quod illa non ſemel, non fortuito, non aliquando ſòlum, ſed ſingulis etiam annis primum hunc locum occupaverit. Qui coniecturis hic ſolum, unoque diſſentiendi amore duceretur reponere hic Dodvello fortaſſe poſſet Pandionidi Tribui ſemel iterumque in diverſis annis fortuito eundem primum locum obtigiſſe; ideoque ex hac ipſa fortuita temporum conſenſione nihil propemodum inferri poſſe. At cum ingenuo doctiſſimoque Viro modeſtius, ac liberalius, agendum eſt, neque levibus coniecturis illis ingenioſa ipſius opinio refellenda.

XIII. Mirari tamen ſubinde liceat cur ex decretis, quae ex Demoſthene in Oratione *contra Timocratem* proferuntur, tanquam ex duobus teſtimoniis Dodvellus conſtantem illam Pandionidis Tribus fixamque ſedem deduxerit. Cum enim illorum utrumque eodem anno, eodemque etiam menſe latum fuerit, primum nempe undecima alterum vero ſequenti Hecatombaeonis die, quis aperte non videat quod in illorum utroque eadem omnino Tribus Pandionis veluti πρυτανευέσα memorari debet? Ergo ex duobus decretis illis id unum inferri poterat quod aliquando, atque, ut ego quidem opinor, circa Olymp. CV. Hecatombaeone menſe Pandionis Tribus praeſederit; non vero quod variis, diſtinctiſque annis primam illam in Prytaniarum ordine ſedem occupaverit. Certe Scholiaſtes ille, qui Argumentum in Orationem *contra Timocratem* ſcripſit, aſſerit decretum illud a Timocrate factum eſſe anno proximo poſt annum illum, quo Athenienſes, cum Perſarum Rege, & Mauſolo Ceriae Satrapa dimicarunt; ideoque cum bellum

iſtud

istud ex Diodoro [1] contigerit anno 3. Olymp. CV., decretum a Timocrate factum fuit anno 4. Olymp. CV. eodemque anno Pandionis Tribus Hecatombaeone mense, primoque imperavit. Quod si tertium quoque decretum illud, quod ex altera Demosthenis Oratione *de Corona* profertur, eodem ipso, quo superiora, mense, vel anno latum fuisset, dubitari certe non posset quin universa demum Dodvelli sententia, sive argumentionis vis omnino corruere debeat. Sed huius tamen decreti tempora aut ignorasse, aut potius non explorasse videtur Dodvellus: facile nimirum id ille deprehendisset, quod mihi certe nunc omnium primo exploratum esse conspicio. Dum enim accuratam rerum illarum seriem, quae ibi a Demosthene memorantur, excutio, perspicuis oppido, certisque characteribus deprehendi eximium hunc Demosthenis locum, alterius etiam instar, mirifice depravatum esse, ut in illo proinde non Ἑκατομβαιῶνος, *Hecatombaeonis*, sed Ἐλαφηβολιῶνος *Elaphebolionis* legendum sit; ideoque Demosthenis loco ad historiae fidem a me restituto Pandionis Tribus non Hecatombaeone mense, sed Elaphebolione potius imperasse conspicitur: quo tantum abest ut Dodvelli sententia confirmari unquam possit, ut exinde quoque certissime refellatur.

XIV. Ac ne temere Demosthenis locum illum sollicitasse videar, ex quo deinde plurima Historiae vel illustrandae vel corrigendae profluere demonstrabo, suprema solum veluti capita illarum rerum paucis complectar, quae tum ab Aeschine, tum a Demosthene, quos inter gravis illa controversia exarserat, memorantur. Aeschines ergo [1] in Oratione *de falsa Legatione* memorat quod cum Phryno quidam Rhamnusius in Olympicis ipsis induciis a Macedonicis latronibus captus esset, atque exinde pretio redemptus Athenas rediisset, iterum Macedoniam una cum Ctesiphonte, quem socium illi Athenienses adiunxerant, concessit, ibique prima ineundae cum Atheniensibus pacis consilia Philippo Regi proposuit. Quod cum Athenis innotuisset, publico decreto sancitum fuit ut Philippo Macedonum Regi Legatos Athenas mittere liceret, qui de pacis conditionibus decernere, & foedus etiam inire possent. Olynthus interim a Philippo capta fuit; moxque ab Atheniensibus electi Legati X. [2], qui in Macedoniam abeuntes foederis,

 pa-

(1) Lib. XVI. c. 7. (2) Pag. 248.

pacisque consilia cum Rege promoverent, quos inter Aeschines ipse, ac Demosthenes electi sunt. Deinde narratur ab Aeschine[1] quod Demosthenes una cum Legatis aliis Athenas reversus ὀγδόῃ ἱσαμένε Ἐλαφηβολιῶνος *octava Elaphebolionis* mensis die, cum Asclepia festa peragerentur, concionem indixit, in qua de recipiendis Philippi Legatis decerneretur; qui cum advenissent post urbana Bacchanalia, ὀγδόῃ ἐπὶ δέκα *decima octava* Elaphebolionis cum Legatis ipsis pax, atque sequenti die ἐννάτῃ ἐπὶ δέκα *decima nona* societas etiam constituta fuit[2]. Hinc ἑβδόμῃ φθίνοντος, *vigesima quarta* Elaphebolionis die Atheniensium socii, qui tunc Athenis aderant, societatem illam cum Philippi Legatis initam iureiurando confirmarunt, cum Chersobleptes Thraciae Rex ab eiusmodi societate exclusus ἕκτῃ φθίνοντος, sive *vigesima quinta*, a Philippo superatus esset[3]. Quemadmodum vero iusiurandum Athenis Philippi Legatis tum ab Atheniensibus, tum a variis ipsorum sociis praestitum fuerat; ita quoque a Philippo iusiurandum ipsum exigendum fuit; ideoque mox narrat Aeschines ab Atheniensibus V. Legatos electos esse, qui in Macedonia iusiurandum a Philippo exigerent, atque iterum Aeschines ipse, ac Demosthenes electi sunt. Tum subdit. Ἤδη δὲ ἡμῶν κεχειροτονημένων ἐπὶ τὸς ὅρκες, ὕπω δὲ ἀπηρκότων ἐπὶ τὴν ὑςέραν πρεσβέιαν, ἐκκλησία γίνεται, ἐν ᾗ Δημοσθένης λαγχάνει προεδρεύειν ... Κερσοβλέπτης ἀπολώλεκε τὴν ἀρχὴν Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος, Δημοσθένης δ' ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τὅτε τῦ μηνὸς, εἷς ὢν τῶν πρέσβεων, ἑβδόμῃ φθίνοντος. Οὐ μόνον διετρίψαμεν τὰς λοιπὰς ἡμέρας τῦ μηνὸς, ἀλλὰ Μυνιχιῶνος ἐξωρμήσαμεν, κ̓ τότε τὴν βυλὴν μάρτυρα ὑμῖν παρέξομαι. ἔςι γὰρ αὐτῆς ψήφισμα, ὁ κελέυει ἀπιέναι πρέσβεις ἐπὶ τὸς ὅρκες, καί μοι λέγε τὸ τῆς βυλῆς ψήφισμα. Ἀκέετε ὅτι Μυνιχιῶνος ἐψηφίστη τρίτῃ ἱςαμένε, ὁ δὲ Κερσοβλέπτης ἀπώλεσε τὴν ἀρχὴν πριν ἐμὲ ἀπιέναι τῦ προτέρυ μηνὸς, ἔιπερ Ἐλαφηβολιὼν ἔςι Μυνιχιῶνος πρότερος[4]. *Iam vero nobis ad exigendum iusiurandum delectis, nondum vero ad posteriorem hanc legationem profectis, concio fit, in qua Demostheni obvenit ut Proedrus esset . . . Chersobleptes imperium amisit vigesima quinta Elaphebolionis die, Demosthenes autem, cum ex Legatis esset, in Populo Proedrus fuit vigesima quarta eiusdem mensis die . . . . Neque vero reliquos dumtaxat mensis dies morati sumus, sed Munichione demum profecti sumus: cuius rei testem vobis Senatum exhibebo, ipsius est enim*

(1) Par. 283. (2) Aeschin. pag. 254. & 284. (3) Aeschin. pag. 258. (4) De falsa Leg. 207.

enim decretum, *quod Legatos ad exigendum iusiurandum abire iubet . . . . Auditis hoc fuisse decretum tertia Munichionis die: Chersobleptes autem imperium amiserat antequam ergo discederem praecedente mense, si modo Elaphebolion Munichione mense prior est*.

XV. Haec ipsa quoque rerum, temporumque series a Demosthene tum in Oratione *De Corona*, tum in alia quoque *De falsa Legatione* aut nitide memoratur, aut tacite saltem veluti certissima supponitur, cum Demosthenes ipse acerbior Aeschinis insectator nullam hic illi fraudis, mendaciique notam obiiciat. Quinetiam Demosthenes posteriorem hanc quoque legationem commemorans ait ἡ μὲν τοίνυν εἰρήνη Ἐλαφηβολιῶνος ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα ἐγένετο. ἀπεδημήσαμεν δ' ἡμεῖς ἐπὶ τοὺς ὅρκους τρεῖς ὅλους μῆνας, καὶ τοῦτον ἅπαντα τὸν χρόνον ἦσαν οἱ Φωκεῖς σῶοι. ἥκομεν δεῦρο ἀπὸ τῆς πρεσβείας τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους τρίτῃ ἐπὶ δεκάτῃ τοῦ Σκιροφοριῶνος μηνὸς [1]; *Pax igitur decimanona Elaphebolionis die facta fuit*. *Peregre autem abfuimus nos ad exigendum iusiurandum tres menses totos*, *& hoc toto tempore Phocenses fuere incolumes*. *A legatione propter exigendum iusiurandum suscepta huc reversi sumus decima tertia Scirophorionis mensis* die. Deinde narrat ab Aeschine in Concione, quæ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Σκιρροφοριῶνος ἐγίγνετο *sextadecima Scirrophorionis facta fuit*, Athenienses deceptos esse; & ab illis iterum foedus cum Philippo ὀγδόῃ φθίνοντος Σκιροφοριῶνος *vigesima tertia Scirophorionis die* firmatum esse, cum Phocenses interim Atheniensium socii, eodemque cum Philippo foedere comprehensi vigesima prima eiusdem mensis die a Philippo oppressi fuissent. Sic enim ait: ὀγδόῃ ἐγίγνοντο αἱ σπονδαὶ, καὶ πάντα τἀκεῖ πράγματα ἀπολώλει, καὶ τέλος εἶχε. τῷ τοῦτο δῆλον; τῇ τετράδι φθίνοντος ἐκκλησιάζετε μὲν ὑμεῖς τοτ' ἐν Πειραιεῖ περὶ τῶν ἐν τοῖς νεωρίοις, ἧκε δὲ Δερκύλλος ἐκ Χαλκίδος, καὶ ἀπήγγειλεν ὑμῖν ὅτι πάντα τὰ πράγματα ἐγκεχείρικε Θηβαίοις ὁ Φίλιππος, καὶ πέμπτην ἡμέραν εἶναι ταύτην ἐλογίζετο, ἀφ' οὗ γεγόνασιν αἱ σπονδαὶ [2]; . . . ἐπειδὴ δὲ ἀπολώλεσαν οἱ Φωκεῖς ὕστερον ἡμέραις πέντε, ἢ ἕξ, ὁ Δερκύλλος ἐκ τῆς Χαλκίδος ἧκεν ἀναστρέψας, καὶ ἀπήγγειλεν ὑμῖν ἐκκλησιάζουσιν ἐν Πειραιεῖ, ὅτι Φωκεῖς ἀπολώλασι, καὶ ὑμεῖς ταῦτα ἀκούσαντες εἰκότως καὶ ἐκείνοις συνήχθεσθε, καὶ αὐτοὶ ἐξεπέπληχθε, καὶ παῖδας, καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατακομίζειν ἐψηφίζεσθε . . . καὶ τὰ Ἡράκλεια ἐν ἄστει θύειν . . . . ὥστε μήτε τοὺς ἐκ τῆς βουλῆς θεωροὺς, μήτε τοὺς θεσμοθέτας εἰς τὰ Πυθία πέμψαι, ἀλλ' ἀπο-

(1) De Falsa Leg. Pag. 207. (2) Pag. 208.

ἀποςῆναι τῆς πατρίυ θεωρίας[1]. *vigesimatertia Scirrophorionis die facta sunt foedera, illic perdita, & consummata erant omnia. Unde id perspicitur? Vigesima septima concionem vos habebatis in Piraeeo de navalibus, venit Dercyllus Chalcide, & vobis nuntiat Philippum summam rerum commisisse Thebanis, & quintum eum esse diem ponebat, ex quo foedus esset factum .... Postquam vero Phocenses perierant, quinque diebus, aut sex post, Dercyllus Chalcide reversus vobis concionem in Piraeeo habentibus nunciat Phocenses periisse, & vos Athenienses eo audito & illorum vicem dolebatis, ut par erat, & ipsi perterriti & liberos, & uxores ex agris in Urbem transferendos decernebatis .... & Herculana sacra in Urbe facienda .... ut neque Theoros a Senatu electos, neque Thesmothetas ad Pythia mitteretis, sed patrium spectaculum desereretis*. Si diligens ista simulque nitida rerum series, quae miro consensu tum a Demosthene, tum etiam ab Aeschine exponitur, paulloque mihi accuratius subiicienda fuerat, observetur, perspicuum fiet quod primum Decretum illud, quo V. Legati ab Atheniensibus electi sunt, Elaphebolione mense ante diem vigesimam quintam, sive ἕκτην φθίνοντος editum fuit; alterum vero, quo Legati ipsi moram Athenis trahentes tandem discedere compulsi sunt, *die tertia Munichionis* Μυνιχιῶνος τρίτῃ ἱςαμένυ. Perspicuum quoque fit pacem cum Philippo die decimaoctava Elaphebolionis ὀγδόῃ ἐπὶ δέκα; foedus vero vel societatem ἐννάτῃ ἐπὶ δέκα decimanona factam fuisse, exactisque post pacem tribus mensibus V. Legatos illos ex Macedonia Athenas rediisse, paulloque post Scirophorione mense Phocenses opressos esse; ideoque Decretum, quod audita Phocensium clade Athenienses fecere, τετράδι φθίνοντος, sive vigesima septima Scirrophorionis die editum fuisse; cum nulla praesertim aut in mensium nomine, aut dierum numero mendi suspicio esse possit, quod Ulpianus Demosthenis Enarrator haec omnia eodem prorsus modo, iisdemque vocibus expresserit, ac in Demosthene conspiciuntur.

XVI. Age vero iam inquiramus an Demosthenes ipse in Decreto, quod exscripsit Dodvellus, & in altero, quod a Petavio, Palmerio, aliisque pluribus citari solet, vel sibi, vel supreriori historiae consentiat. Demosthenes in Oratione *de Corona* sic ait: Ἐπὶ Ἄρχοντος Μνησιφίλυ Ἑκατομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, φυ-

(1) Pag. 216.

φυλῆς πρυτανευέσης Πανδιονίδος . . . ἐπειδὴ Φίλιππος ἀποςείλας πρέσβεις περὶ τῆς εἰρήνης πρὸς Α᾿θηναίες . . : δεδόχθαι τῇ βελῇ, κ῾ τῷ δήμῳ τῶν Α᾿θηναίων ὅπως ἂν ἡ εἰρήνη ἐπιτελεσθῇ, ἡ ἐπιχειροτονηθεῖσα ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ, πρέσβεις ἑλέσθαι ἐκ πάντων Α᾿θηναίων ἤδη πέντε. τὲς δὲ χειροτονηθέντας ἀποδημεῖν, μηδεμίαν ἀναβολὴν ποιεμένες, ὅπε ἂν ὄντα πυντάνωνται τὸν Φίλιππον. κ῾ τὲς ὅρκες λαβεῖν τε παρ᾿ αὐτε, κ῾ δεῦναι τὴν ταχίςην, ἐπὶ ταῖς ὁμολογημέναις συνθήκαις αὐτῷ πρὸς τῶν Α᾿θηναίων δῆμον (1). *Archonte Mnesiphilo trigesima Hecatombaeonis die, Pandionide Tribu Prytaniae munere fungente. Postquam Philippus missis Legatis de pace, foedus ex confesso fecit cum Atheniensibus, placere Senatui, Populoque Atheniensium ut pax in prima concione iussa perficiatur, Legatos ex omnibus Atheniensibus iam deligi quinque: delectos autem proficisci oportere, nulla mora interposita, eo ubi esse Philippum audierint; & iusiurandum tum ab eo exigendum, tum dandum primo quoque tempore de facto per eum cum Populo Atheniensi foedere.* Deinde vero Demosthenes, ubi Phocensium cladem Athenis auditam esse dixisset, subiicit Decretum illud, quod in tanta rerum perturbatione, maximoque Civium terrore factum fuit: Ε᾿πὶ Μνησιφίλε Α᾿ρχοντος, συγκλήτε ἐκκλησίας ὑπὸ Στρατηγῶν γενομένης, κ῾ Πρυτάνεων, κ῾ βελῆς γνώμῃ, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπίοντος, Καλλισθένης Ε᾿τεονίκε Φαλερεὺς εἶπε μηδενὰ Α᾿θηναίων μηδεμιᾷ παρευρέσει ἐν τῇ χώρᾳ κοιταῖον γίγνεσθαι, ἀλλ᾿ ἐν Α᾿ςει, κ῾ Πειραιεῖ . . . κατακομίζειν δὲ τὰ ἐκ τῶν ἀγρῶν πάντα τὴν ταχίςην *Archonte Mnesiphilo, concione a Strategis convocata, & de sententia Prytanum, ac Senatus, vigesima prima Maemacterionis die, Callisthenes Eteonici Phalereus dixit. Ne quis Atheniensium ulla de caussa in agro pernoctet, sed in Urbe maneat, & Piraeeo . . . . deferantur etiam, quae sunt in agris, omnia celerrime.* Qui haec duo Decreta cum superiori Phocensis cladis historia contulerit, is facile intelliget in Decretis istis temporum seriem mirifice perturbatam esse, atque a superioribus omnino dissidere; ut uterque proinde Demosthenis locus ubi duo haec decreta, sive ψηφίσματα exhibentur, manifeste corruptus haberi debeat; nec aliter ille sanari, vel ad historiae fidem restitui possit, quam si in utroque & mensis nomen, & diei numerus varietur. Atque initio quidem suspicabar falsos illos temporum characteres, textusque vitium ex Demosthenis ipsius fraude prodiisse,

(1) Pag. 316. 317.

diisse, qui, ut Aeschines olim observavit, τῦ βϐλευτηρίϐ, κὴ τῶν δημοσίων γραμμάτων, κὴ τῦ χρόνϐ, κὴ τῶν ἐκκλησίων καταψεύδεται [1] . . . κὴ τὰ γεγενημένα, ϐ μόνον, ὡς ἐςι, λέγει, ἀλλὰ κὴ τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ φησι γενέσθαι, κὴ προστίθησί τινος ὄνομα πλασάμενος ὡς ἔτυχε παρὼν μιμϐμενος τ᾽ ἀληθῆ λέγοντας [2]. *Contra curiam, contra publica monumenta, contra Populi conventus mentitur . . . neque vero quae facta sunt dumtaxat dicit, sed & diem, quo facta esse ait, adiicit, & fictitium alicuius nomen adiungit, qui interfuerit, ut eos, qui vera loquuntur, imitetur.* Verum, cum nulla Demostheni caussa fuisse videatur ut accuratam illam temporum seriem, quam alibi expresserat, hoc loci perturbaret, cum nulla praesertim utilitas illi, ac praesidium oriri inde posset, id librarii solum, vel imperiti exscriptoris vitio tribuendum putaverim.

XVII. Quocumque tamen ex fonte error iste prodierit, facile ex superioribus ille corrigi, adeoque integer Demosthenis contextus sanari poterit. Itaque, si primum Decretum illud, quod Mnesiphilo Archonte Hecatombaeonis ἕνῃ καὶ νέᾳ sive *trigesima die* factum dicitur, fuerit illud, quo Legati V. iampridem electi, atque Athenis adhuc immorantes abire iussi sunt, in ipso Μϐνιχιῶνος τρίτῃ *tertia Munichionis* rescribi debet; cum revera hac ipsa Munichionis die, ut ex Aeschine demonstravimus, atque ex ipsa temporum serie colligitur, decretum illud editum fuerit. Sin vero potius fuerit decretum aliud, quo Legati V. electi fuerunt, qui proinde in ipsa decreti serie mox recensentur, tunc Ἐλαφηβολιῶνος φθίνοντος ἐννάτῃ *vigesima secunda Elaphebolionis die* legendum erit; cum Ἐλαφηβολιῶνος φθίνοντος ἑβδόμῃ *vigesima quarta Elaphebolionis*, ut antea vidimus, Demosthenes egatorum iam Lectorum unus illi concioni praefuerit [3]. In altero vero Psephismate, quod Mnesiphilo Archonte Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος, sive *vigesima prima Maemacterionis die*, audita repente Phocensium clade factum asseritur, omnino rescribi debet Σκιῤῥοφοριῶνος τετράδι φθίνοντος *vigesima septima Scirrophorionis*, cum Phocensium excidium ea die Athenis innotuisse iam demostraverim, atque Athenienses ipsos terrore perculsos omnia in Urbem ex agris deferenda decrevisse. Quod si locus ille Demosthenis a Dodvello citatus, in quo Pandionis Tribus cum Hecatombaeone mense

(1) De falsa Leg. pag. 259. (2) Ibi pag. 267. (3) Aesch. falsa Leg. pag. 258. & contra Ctesiph. 2

ſe coniungit, manifeſtiſſime depravatus eſſe conſpicitur, atque pro *Hecatombaeone Elaphebolion* reſcribi debet, quis aperte non videat quod ex eiuſmodi teſtimonio Dodvelli ſententia perſpicue refellitur; cum Pandionis illa, quae in decretis aliis *prima* dicebatur, atque Hecatombaeoni menſi coniungabatur, hic Elapheboliōni connexa fuerit, ideoque in Prytaniarum ordine *octavum* locum occupaverit? quo certe tantum abeſt ut Prytaniarum ſeries omnino conſtans, & invariabilis oſtendi poſſit, ut nitide potius inferatur illam fortuitam, ac incertam, ſinguliſque annis diverſam eſſe oportere.

XVIII. Quemadmodum vero corruptus ille Demoſthenis locus, in quo pro *Hecatombaeone Elaphebolion* reſtitui debet, doctiſſimo Dodvello in contexenda Prytaniarum ſerie fraudi fuit; ita quoque decretum aliud, in quo Scirrophorionem pro Maemacterione reſcribendum eſſe iam docui, Petavium, Palmerium, alioſque plurimos in definiendo vel Phocenſis excidii, vel Pythiorum Ludorum tempore in errorem abripuit. Itaque rem eruditis omnibus iucundam me facturum putaverim ſi, reſtituto iam correctoque Demoſthenis loco, verum Phocenſis excidii tempus oſtendam, ſimulque variis Veterum teſtimoniis accuratam illam temporum ſeriem illuſtrius confirmem, quam ex Aeſchine, ſimulque Demoſthene, graviſſimis nimirum, coeviſque Scriptoribus paullo ſuperius expreſſeram. Phocenſe igitur, ſacrumque bellum anno 1. Olympiadis CVIII. Phocenſibus ipſis a Philippo oppreſſis, deſiiſſe teſtatur Pauſanias: δεκάτῳ δὲ ὕστερον ἔτει μετὰ τοῦ ἱεροῦ κατάληψιν ἐπέθηκεν ὁ Φίλιππος πέρας τῷ πολέμῳ Φωκικῷ τε, καὶ ἱερῷ κληθέντι αὐτῷ, Θεοφίλου μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, ὀγδόης δὲ ολυμπιάδος καὶ ἑκατοστῆς ἔτει πρώτῳ, ἣν Πολυκλῆς ἐνίκα στάδιον Κυρηναῖος: *decimo anno poſtquam*, Delphicum *Templum* a Phocenſibus *expoliatum fuerat, bello huic, quod idem Phocicum, & Sacrum apellarunt, finem Philippus impoſuit, Archonte quidem Athenis Theophilo, Olympiadis vero centeſimae octavae anno primo, quam Polycles Cyrenaeus ſtadio vicerat.* Petavius depravato illo, ut videtur, Demoſthenis loco deceptus Phocenſium cladem ineunte anno 2. Olymp. CVIII. contigiſſe putavit, quippe qui Pythia Elaphebolione menſe eodem anno 2. celebrata fuiſſe dixerit, paullo poſt quam Phocenſes a Philippo oppreſſi iam fuerant. Ea vero de cauſa Phocenſis belli finem in annum 3. eiuſdem Olympiadis Archia Athenis Ar-

Archonte a Diodoro [1] conferri arbitratur, quod ille res gestas unico plerumque anno serius commemoret. Palmerius [2] vero superiorem Pausaniae locum ita omnino corrigendum existimat, ut legatur ἔτει τρίτῳ *anno tertio*. Siquidem, inquit ille, Demosthenes asserit oppressis Phocensibus Pythia celebrata fuisse; *celebrabantur autem anno tertio: quod quadrat cum Archia Archonte secundum Diodori calculum; & id notavit Petavius, & est nodus vindice dignus.* [3] Sed nodus ipse, quicumque ille fuerit, a Palmerio intricatior eficitur dum Pausaniae, Diodorique hypotheses simul componere, atque ex Diodoro Pausaniae textum corrigere nititur; cum Pausanias ipse sibi mirifice consentiat, atque a Diodori calculo maxime diffideat. Cum enim Phocense bellum decimo tandem anno, postquam initum fuerat, diremptum sit, atque Pausania teste bellum exarserit *Agathocle* Archonte anno 4. Olympiadis CV. [4], ipsius exitus a Pausania ad annum 3. Olympiadis CVIII. referri non poterat. A Diodoro quidem belli finis in anno 3. Olymp. CVIII. collocatur; sed Diodorus ipse belli principium ad annum 2. Olymp. CVI. retulerat. Denique Palmerius [5] existimavit Pythia Maemacterione mense, vel circiter celebrata fuisse; *nam Demosthenes in Oratione de Corona recitat Decretum mense Maemacterione factum dum Philippus Phocenses evertebat; Oratione vero de falsa Legatione ait ob eas turbas non potuisse Athenienses mittere Theoros ad Pythia*. Quo certe loco Palmerius non depravato solum, ut antea vidimus, Demosthenis textu in errorem abripitur, ut Maemacterione mense Phocensium cladem contigisse, Pythicosque Ludos celebratos esse arbitretur; sed in colligenda quoque temporum serie aberravit, ut Phocenses ipsos anno 3. Olymp. CVIII. oppressos existimet: cum tamen Phocensium excidium a Scirophorione mense anni 2. Olympiadis CVIII. dimoveri non possit, Pythicique ludi ineunte vere sequentis anni celebrari debuerint, ut oportunius Dissert XIII. ostendetur.

XIX. Ac sane, quod ad verum Phocensis excidii tempus attinet, dubitari certe non poterit quin Phocenses Vrbes tribus omnino mensibus excisae, direptaeque fuerint postquam societatis, pacisque foedera cum Philippo ab Atheniensibus icta

(1) Lib. XVI. c. 60. (2) Doctr. Temp. Lib. I. c. 33. (3) Exercit. in Pausan. pag. 135. (4) Phocic. c. 2. (5) Exerc. in Aesch. pag. 656.

icta fuerant, ut eximio Demosthenis testimonio demostravi. Eiusmodi vero pacem Themistocle Athenis Archonte, hoc est anno 2. Olymp. CVIII. sancitam esse clarissimis, certisque characteribus tum ex Dionysio, tum ex Aeschine ostendi potest. Dionysius enim ubi Olynthiorum Urbem Theophilo Athenis Archonte, sive anno 1. Olymp. CVIII. a Philippo occupatam esse dixisset, ait: *μετὰ τὴν Ὀλυνθίων ἅλωσιν, Ἄρχοντος Θεμιστοκλέους, συνθῆκαι Φιλίππῳ πρὸς Ἀθηναίους εγένοντο περὶ φιλίας, καὶ συμμαχίας. ἅυται διέμειναν ἑπταετῆ χρόνον ἄχρι Νικομάχου. ἐπὶ δὲ Θεοφράστου τοῦ μετὰ Νικόμαχον ἄρξαντος, ἐλύθησαν . . . μετὰ δε Θεμιστοκλέα Ἀρχίας, ἐφ' οὗ παραινεῖ Δημοσθένης τοῖς Ἀθηναίοις μὴ κωλύειν Φίλιππον τῆς Ἀμφικτυονίας μετέχειν, μηδε ἀφορμὴν διδόναι πολέμου, νεωστὶ πεποιημένους τὴν πρὸς ἀυτὸν εἰρήνην* (1) *Post Olynthiorum cladem, Themistocle Archonte, pacta Philippo cum Atheniensibus de amicitia, ac societate sancita sunt. Ipsa vero septennii tempore ad Nicomachum usque durarunt; atque sub Theophrasto, qui post Nicomachum Archon fuit, dirempta sunt . . . . Post Themistoclem Archias Archon fuit, eoque imperante Demosthenes Athenienses hortatur ne Philippum Amphictyonici consessus participem esse prohibeant, neve belli occasionem praebeant, cum nuper cum illo pacem inierint*. Ergo societatis, pacisque foedera, quae tum a Demosthene, tum ab Aeschine memorantur, anno 2. Olymp. CVIII. Elaphebolione mense peracta sunt; cumque Phocensium oppressorum loco Amphictyonici concilii ius Philippo Regi concessum foret, ut fuse narrat Diodorus (2) optime subdit Dionysius Archia Archonte, sive anno 3. eiusdem Olympiadis, Athenienses a Demosthene excitatos esse ne Amphictyonica Philippo inviderent, simulque pacem *nuper* cum illo factam infringerent. Idipsum quoque ex altero Dionysii loco deprehendisse videor, quem ea quoque de caussa nunc ego proferam, ut is ab errore, qui irrepserat, emaculetur. Dionysius ipse (3), ut ostenderet Orationem contra Boeotum *de Nomine*, quae inter Demosthenicas circumfertur, atque a nonnullis Dinarchi nomine inscripta fuerat, verum Dinarchi foetum esse non posse, observat in illa pugnam ad Pylas memorari, quae Theophilo Archonte contigerat, dum Dinarchus ipse, Nicophemo Archonte natus, tertium decimum aetatis annum agebat: *μέμνηται γὰρ ὡς νεωστὶ τῆς εἰς Πύλας ἐξόδου γεγενημένης.*

(1) Epist. ad Ammae. (2) Lib. XVI. c. 60. (3) In Dinarcho num. 13.

ἡ δ' εἰς . . . Ἀθηναίων ἔξοδος ἐπὶ Θυμήδυ Ἄρχοντος ἐγένετο, τρισκαιδεκάτον ἔτος Δεινάρχυ ἔχοντος *meminit enim expeditionis in Pylas, ut nuper factae. Athenienſium vero expeditio in . . . Thumede Archonte facta fuit, cum tertium decimum aetatis annum Dinarchus ageret*. Hic a Dionyſio in Archontis nomine peccatum eſſe Meurſius [1], aliique docti viri obſervarunt; cumque Dinarchus, ex Dionyſii hypotheſi, Nicophemo Archonte, hoc eſt anno 4. Olymp. CIV. natus fuerit, adeoque tertiusdecimus eiusdem annus in 1. Olymp. CVIII. inciderit, maniſeſtiſſime pro *Thumedo Theophilus* in Dionyſii textu reſcribi debet. Sed gravior hic tamen error alter irrepſit, ut pugna quaedam ad Pylas, nulli certe Veterum memorata; nobis obtruderetur; cum ad Tamynas illa contigerit; atque in depravato Dionyſii textu pro *Pylis Tamynae* legendum ſit. Id ut opinor, aperte ſatis ex ipſo Orationis contextu deduci poteſt, in quo diſerte conſpicitur καὶ γὰρ νῦν ὅτε εἰς Ταμύνας παρῆλθον οἱ ἄλλοι, ἐντάδε τὺς Χόας ἄγων ἀπελείφθη. καὶ τοῖς Διονυσίοις καταμείνας ἐχόρευεν, ὡς ἅπαντες ἑωρᾶτε οἱ ἐπιδημῦντες. ἀπελθόντων δ' ἐξ Εὐβοίας τῶν ϛρατιοτῶν, λειποταξίυ προσεκλήτη [2] *Etenim nunc, ubi alii Tamynas profecti ſunt, iſte Choas agens hinc relictus eſt: Bacchanalibus item remanſit, & ſaltavit, ut videbatis omnes, qui aderatis: cumque milites ex Euboea rediiſſent, deſertae militiae accuſatus fuit*. Ergo depravatus ille Dionyſii locus ita reſtitui debet, ut in ipſo pro *Pylis Tamynae* memorentur; cumque Bacchanalia feſta Elaphebolione menſe, Choae vero decimatertia Antheſterionis die Athenis peragi conſueverint [3], ex utroque Demoſthenis, Dionyſiique teſtimonio nitide infertur Athenienſium expeditionem ad Tamynas Theophilo Athenis Archonte, ſive anno 1. Olymp. CVIII. propemodum exeunte contigiſſe; ſive Athenienſium milites Elaphebolione menſe nondum Athenas rediiſſe. Aeſchines vero [4], qui praelium illud ad Tamynas ſemel iterumque memorat, ſeque non praeclare ſolum in illo militaſſe dicit [5], ſed partae quoque victoriae nuncium Athenas rediiſſe gloriatur, illud ſancita Euboeenſium cum Athenienſibus pace iis temporibus Phocione duce confectum aſſerit, quibus Athenienſes ipſi nondum cum Philippo ineundae pacis conſilia ſuſceperant. Aſſerit enim

(1) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 9. (2) Pag. 637. (3) Harpocrat. in Choas. (4) De falſa Legat. pag. 270. (5) Vid. Plutar. Vit. X. Rhet. in Aeſchi.

enim [1] Euboeensium legatos, qui ineundae pacis causa Athenas concesserant, Atheniensibus Philippi regis nomine indicasse Philippum quoque pacem cum Atheniensibus inire velle; idque Phrynonem etiam *non multo post tempore* ex Macedonia reducem confirmasse. Itaque prima ineundae cum Philippo pacis consilia ad annum 2. Olymp. CVIII. manifestissime referri debent; cumque haec demum Elaphebolione mense sancita, proximoque Scirrophorione Phocensium urbes direptae fuerint, excidium illud ab anno 2. Olymp. CVIII. dimoveri certe non poterit. Interim vero Philippus anno 1. ejusdem Olympiadis Olynthum caeperat, partaque victoria ludos Olympicos, ut testatur Demosthenes [2], in Macedonia celebravit: atque in olympicis induciis istis, ut opinor, Phryno Atheniensis a Philippi latronibus captus fuit, ut facile proinde Athenas paullo post Euboeensium legatos advenerit. Sed quid coniecturis istis hic immoror? cum Aeschines ipse, qui accuratissimam temporum illorum historiam contexuit, pacem, ac foedera *Themistocle Archonte* facta fuisse diserte dixerit. Ubi nimirum prima ineundae pacis consilia a Philippo proposita primum ex Euboeensium legatis, mox ex Phrynone, tum ex Ctesiphonte, & Aristodemo, qui e Macedonia nuper advenerant, Athenis innotuisse dixerat, repente subdit: ἔγραψε Φιλοκράτης ἐξεῖναι Φιλίππῳ δεῦρο κήρυκας, καὶ πρέσβεις πέμπειν περὶ εἰρήνης, καὶ συμμαχίας . . . μετὰ ταῦτα ἐπῄει ὁ χρόνος, Θεμιστοκλῆς Ἄρχων, ἐνταῦθα εἰσέρχεται βουλευτὴς εἰς τὸ βουλευτήριον Δημοσθένης οὔτε λαχὼν, οὔτε ἐπιλαχὼν . . . . νικᾷ ἕτερον ψήφισμα Φιλοκράτης ἐν ᾧ κελεύει ἑλέσθαι δέκα πρέσβεις, οἵτινες ἀφικόμενοι πρὸς Φίλιππον ἀξιώσουσιν αὐτὸν δεῦρο πρέσβεις αὐτοκράτορας πέμπειν ὑπὲρ τῆς εἰρήνης, τούτων εἷς ἦν Δημοσθένης [3] *scripsit Philocrates licere Philippo caduceatores, & legatos huc mittere pacis, & societatis ineundae caussa. Post haec subibat tempus, quo Themistocles Archon fuit: tunc Senatum ingreditur Demosthenes senator neque sortitione, neque subsortitione factus . . . . Decretum aliud obtinet Philocrates, quo jubet decem legatos eligi, qui ad Philippum profecti postulent ab eo ut legatos summa potestate praeditos huc mittat pro pace: horum unus erat Demosthenes*. Quis hic aperte non videat Olynthiorum cladem, olympicos Philippi ludos, Euboensium legationem, Phrynonis, ac Ctesiphontis reditum, primumque Philocratis decretum Theophilo Athenis Archonte, sive anno 1. Olympiadis CVIII. contigisse

(1) Pag. 248. (2) Orat. de Falsa Legat. init. (3) Orat. adv. Ctesiph. pag. 283.

ſe; alterum vero Philocratis decretum, utramque Athenienſium legationem, pacis, ſocietatiſque foedera, quae inter utriuſque legationis tempora ſancita ſunt, Phocenſium denique cladem ad ſequentem annum 2. eiusdem Olympiadis, quo Themiſtocles Archon fuit, referendam eſſe? Itaque, ſi Phocenſe bellum decem annis duravit, ut non modo Pauſanias, ſed Aeſchines etiam ſemel, iterumque dicit; illudque Phocenſium excidio vigeſima prima Scirrophorionis die anno 2. Olymp. CVIII. diremptum fuit, perſpicuum certumque fiet illud anno 4. Olymp. CV. Agathocle Archonte exarſiſſe, ut teſtatur Pauſanias; niſi fortaſſe potius ad ſequentis anni principium ipſius exordia referre libeat, quo Elpines Athenis Archontis munere fungebatur.

XX. Phocenſis autem excidii die perſpicuis eiusmodi characteribus a me definito quid prohibet quin verum quoque Amphiſſenſis etiam, & Chaeronenſis belli tempus oſtendam, ſimulque inſignem Scaligeri [1], Petavii [2], Uſſerii [3], Noriſii [4], Dodvellique [5] errorem hic corrigam? Doctiſſimi Scriptores iſti, ut oſtenderent civilium menſium illorum ſedem, qui a Macedonibus adhibebantur, inter Olymp. CVIII. annum 2. atque 2. Olymp. CXI. mutatam eſſe, ipſosque menſes ex lunaribus ſolares evaſiſſe, Philippi Epiſtolam ex Demoſthene protulerunt, quam Rex ille Amphictyonum Dux deſignatus foederatis omnibus ſcripſit, ut ſibi cum exercitu contra Locrenſes Ozolas in Phocide coniungerentur: Ἐπειδὴ Λοκροὶ οἱ καλέμενοι Ὀζόλαι κατοικἕντες ἐν Ἀμφίσσῃ πλημμελλἕσιν εἰς τὸ ἱερὸν τἕ Ἀπόλλωνος τἕ ἐν Δελφοῖς . . . . βέλομαι τῷ Θεῷ μεθ' ὑμῶν βοηθεῖν, ὥςε συναντᾶτε μετὰ τῶν ὅπλων εἰς τὴν Φωκίδα, ἔχοντες ἐπισιτισμὸν ἡμερῶν τεσσαράκοντα, τἕ ἐνεςῶτος μηνὸς Λώε, ὡς ἡμεῖς ἄγομεν, ὡς δὲ Ἀθηναῖοι, Βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι, Πανέμε [6] *Quoniam Locrenſes, qui Ozolae nominantur, atque Amphiſſam incolunt, in Delubrum Apollinis Delphici delinquunt . . . . volo Deo, vobis adiutoribus, opem ferre. Quare armati nobis occurrite in Phocidem, allato commeatu quadraginta dierum, hoc menſe Loo, ut nos agimus; ut autem Athenienſes, Boedromione; ut Corinthii, Panemo*. Itaque Philippi aetate, inquiunt illi, atque anno 1. vel 2. Olymp. CVIII. quo a Philippo Amphictyonum Duce iam deſignato ſuperior Epiſtola ſcripta fuit, ſimulque Phocenſi bello finis impoſitus, Ma-

(1) Emend. Temp. Lib. I. (2) Doctr. Temp. Lib. I. cap. 29. (3) De Anno Sol. Maced. cap. 1. (4) Epoch. Syro-Maced. (5) Differ. IX. (6) Orat. de Corona p. 335.

Macedonum mensis Lous Boedromioni Attico respondebat, adeoque Lous ipse, Boedromionis instar, lunaris erat; quemadmodum lunaris etiam esse debuit Macedonum Daesius, qui in ea mensium serie, sive in hypothesi quod Lous Boedromioni responderet, cum Hecatombaeone Attico committebatur. At Plutarchus asserit Alexandrum Regem natum esse ἱςαμένȣ μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος, ὃν Μακεδόνες Λῶον καλȣ͂σιν, ἕκτῃ [1] *Hecatombaeonis mensis, quem Macedones Loum appellant, sexta* die; atque Alexandri pugna ad Granicum, quae Plutarcho ipso teste, Daesio Macedonum mense commissa fuit, Thargelioni Attico ab Aeliano tribuitur [2]; quemadmodum ipsam quoque Alexandri mortem, quae certe Daesio mense exeunte a Plutarcho tribuitur, Thargelione contigisse dicit Aelianus [3]. Ergo anno 2. Olymp. CXI. quo pugna ad Granicum commissa fuit, Macedonici menses ex veteri iam sede exturbati fuerant, ut Lous non amplius Boedromioni, sed Hecatombaeoni; sicuti Daesius non Hecatombaeoni, sed Thargelioni potius responderet. Insignem hanc in Macedonum mensibus, sive Macedonica Periodo mutationem omnium primus Scaliger observavit [4], eiusque vestigiis Petavius [5], Usserius [6], Dodvellus [7], aliique institere; & quamvis Petavius ipse ambigere videatur an in Demosthenis textu Macedonici, vel Attici mensis nomen depravatum sit, Philippi tamen Epistolam anno 2. Olymp. CVIII. scriptam fuisse cum ceteris omnibus existimavit. Ego vero doctissimos Viros illos utrobique deceptos esse perspicue demonstrabo; cumque Philippi literas non anno 1. vel 2. Olymp. CVIII. sed potius 3. Olymp. CX. scriptas, easque non de Phocensi, sacroque bello, sed de Amphissensi potius intelligendas ostendero, in ipsis non *Boedromionis*, sed *Hecatombaeonis* mensis nomen rescribendum esse evincam; ut illa proinde Macedonicae Periodi perturbatio, quae a Scaligero, ceterisque pone sequentibus invecta fuit, manifestissime refelli debeat. Atque, ut a primo exordiar, Demosthenes, qui nitidam nobis, accuratamque rerum illarum historiam conservavit, Decretum exhibet [8] Mnesithide Archonte factum sextadecima Anthesterionis die, quo Aeschines Pylagoras, sive Atheniensium legatus ad Amphictyonicum Concilium eligebatur; simulque duplex Amphictyonici Concilii De-

cre-

(1) In Alexan. (2) Var. Hist. Lib II. cap. 25. (3) Loc. cit. (4) Emend. Temp. Lib. I. (5) Doctr. Temp. Lib. I. c. 29. (6) De Anno Solari Maced. c. 1. (7) Differt. IX. sect. (8) Orat. de Corona pag. 335.

cretum, *verno conventu* factum, quo Philippus Macedonum rex Amphictyonum Dux, atque imperator est designatus, idque Demosthenes Aeschinis fraudibus contigisse contendit. Deinde vero repente subdit τὸν γὰρ ἐν Α᾽μφίσσῃ πόλεμον, δἰ ὃν εἰς Ε᾽λάτειαν ἦλθε Φίλιππος, κ̇ δἰ ὃν ηρέθη τῶν Α᾽μφικτυόνων ἡγεμὼν, ὗτος ἐςὶν ὁ συγκατασκευάσας: *bellum Amphissense, propter quod ad Elateam venit Philippus, & propter quod Amphictyonum Dux designatus fuit, is est qui excitavit*; paucisque interiectis addit: ᾑρέθη γὰρ ἐκ τούτων ἡγεμών. κ̇ μετά ταῦτ᾽ εὐθὺς δύναμιν συλλέξας, κ̇ παρελθὼν, ὡς ἐπὶ τὴν Κιῤῥαίαν, ἐῤῥῶσθαι φράσας πόλλὰ, κ̇ Κιῤῥαίοις, κ̇ Λοκροῖς, τὴν Ε᾽λάτειαν καταλαμβάνει: *sic creatus est imperator, & post haec collecto statim exercitu progressus tanquam ad Cirrhaeum agrum, multum valere jussis & Cirrhaeis, & Locrensibus, Elateam occupat*. Porro Elateam ineunte Scirrophorione mense occupatam esse perspicue nobis ostendit Orator ipse. Siquidem primo Decretum exhibet (1) Heropytho Archonte factum vigesima quinta Elaphebolionis die, quo a Philippo iam Atticae imminente inducias ad Thargelionem usque petendas esse sancitur: moxque Decretum aliud trigesima Munichionis die constitutum, quo nova legatio ad Philippum decernitur; asseritque Philippum *his decretis*, pavorem nempe praeseferentibus, *elatum adventasse cum exercitu, atque Elateam occupasse* (2); cumque Elateae clades Athenis audita foret, Decretum aliud Nausicle Archonte sexta decima Scirrophorionis die editum fuit, quo Thebanos ad foedera, ac societatem cum Atheniensibus contra Philippum sollicitandos esse decernitur (3). Fuse deinde narrat Demosthenes quod eiusmodi foedere, ac societate iam constituta Thebani cum Atheniensibus contra Philippum semel, iterumque feliciter dimicarunt, & quamvis utrique ingenti clade tandem a Macedonibus oppressi fuerint, id tamen commodi Atheniensibus ex Thebanorum foedere prodiisse dicit ut *tridui itinere praelium ab Attica commissum fuerit, ac bellum non in Attica esset, sed ad 700. stadia ab Urbe in finibus Boeotiae committeretur* (4): quod nempe clades illa prope Chaeronam Boeotiae urbem contigerit. Perspicui characteres isti nitide ostendunt Philippum ab Amphictyonibus Ducem electum esse paullo antequam Elatea capta foret, ac Chaeronensis deinde pugna committeretur. Itaque, cum Elatea Lysimachide Archonte, hoc est an-

(1) Ibi pag. 336. (2) Pag. 337. (3) Pag. 339. (4) Pag. 341. & 345.

anno 2. Olymp. CX. occupata fuerit, ut Diodorus ipse [1], ac Dionysius [2] diserte docent, Chaeronensis vero clades septima Metagitnionis mensis die, ut scribit Plutarchus [3], atque Chaeronda Athenis Archonte, hoc est anno 3. Olymp. CX. contigerit, ut Plutarchus ipse [4], Diodorus [5], Dionysius [6], ceterique Scriptores testantur, manifestissime inferri debet quod ibi Demosthenes non de Phocensi, sacroque bello, quod ut paullo superius ostendi, ante octo annos, vigesima prima Scirrophorionis die Phocensium excidio completum fuerat, sed de Amphissensi potius disserat, quod Elatea capta, Thebanis ipsorumque sociis Chaeronae superatis, diremptum fuit.

XXI. Quod vero ad celebrem illam Philippi Regis Epistolam attinet, nullus omnino dubitandi locus supererit quin illa a Philippo iam Amphictyonici Imperatoris munere fungente data fuerit, adeoque ad annum 2. Olymp. CX. referri debeat, quo Philippum post sextam decimam Anthesterionis, atque ante vigesimam quintam Elaphebolionis diem Amphictyonum Ducem designatum esse iam diximus. Perspicuum est etiam Epistolam illam ante Chaeronense bellum exaratam esse; quandiu nimirum Philippi fraudes, insidiaeque occultae fuerant. Neque enim Corinthios ille, aliosque populos veluti foederatos, sociosque contra Locrenses invitasset, postquam Locrensibus valere iussis non Elateam solum Phocidis urbem subegerat, sed Corinthios ipsos [7], Thebanos, atque Athenienses ingenti praelio Chaeronae oppresserat; adeoque Graecis omnibus servitii iugum imposuerat. Ergo, si Chaeronensis clades septima Metagitnionis mensis die contigit, ut Plutarchi testimonio, ipsaque temporum serie demonstravi, quis aperte non videat Epistolam illam non Boedromione mense, sed Hecatombaeone potius exaratam esse; ut in illa proinde *Hecatombaeon* rescribi, atque Macedonum Lous cum Hecatombaeone Attico committi debeat? Video quidem Epistolam ipsam a Demosthene post Amphictyonum decreta proxime memorari, perinde quasi a Philippo nuper Amphictyonum Duce designato ante Elateam occupatam exarata illa fuerit, adeoque ad Elaphebolionem referri debeat. Suspicari quoque quis poterit vocibus illis ἐνεστῶτος μηνὸς non mensem exprimi, quo scripta illa fuerit, sed mensem potius, quo callidus Im-

(1) Lib. XVI. c. 83. (2) In Epist. ad Ammaeam. (3) In Camillo. (4) Vita X. Rhet. in Isocr. (5) Lib. XVI. c. 85. (6) In Epist. ad Amm. (7) Lucian. in Encom. Demosth.

Imperator foederatis indixerat ut ſibi in Phocide occurrerent; quamvis ipſe illorum motus praevertere, alioque prorſus arma dirigere meditaretur; ut optime proinde in illa Boedromion memorari potuerit, quamvis deinde Boedromione menſe nulla foederatorum auxilia, nulla in Locrenſes expeditio futura foret. Sed eiusmodi coniecturae genus a perſpicuo verborum ſenſu maxime abhorret, quibus menſis ille deſignari conſpicitur, quo literae ſunt exaratae, ſimulque foederati Philippo occurrere iubebantur. A vero quoque plurimum diſſidet Philippum verno conventu, quod ſummis ille votis optaverat, Ducem deſignatum remotum adeo terminum ſociis indixiſſe; qui facile proinde fraudes in Rege callido ſuſpicati fuiſſent, ſi Regem in Phocida ineunte vere properantem, ſeſeque in autumni ſolum tempora convocatos conſpexiſſent. Denique Demoſthenes aſſerit Epiſtolam illam a Philippo ſcriptam eſſe *ubi Thebani non parebant*. Thebani vero, qui prius ancipites videbantur, quosque Philippus ipſe veluti benevolos, ſociosque ſuos in Epiſtolis, quas Elatea capta ad Thebanos ipſos, ac Athenienſes dedit, laudare conſueverat, aperte a Philippo deſciverunt, eiusque legatis Thebas miſſis reſtiterunt, poſtquam Demoſthenes ſextadecima Scirrophorionis die Athenienſium legatus ad Thebanos electus Philippi legatis repugnavit, ac Thebanos ipſos contra Philippum incitavit. Ergo Thebani nonniſi exeunte Scirrophorione menſe, vel ineunte potius Hecatombaeone aperte Philippo repugnarunt; ideoque Philippi Regis Epiſtola contra Thebanos Locrorum patronos, ſibique *non parentes* Hecatombaeone menſe exarata fuit: ut nullus proinde ambigendi locus ſuperſit quin in Demoſthenis textu *Hecatombaeonis* menſis nomen reſtitui debeat. Itaque Macedonicorum menſium perturbatio non circa Olymp. CXI. contigiſſe potuit, neque ex Demoſthenis teſtimonio, ſed aliis potius ex fontibus inquiri debet, quos oportunius Diſſert. XIV. atque accuratius indicabo.

XXII. Interim vero, ne hic quidpiam diſſimulem, quod in hac celebri, gravique controverſia alterutra ex parte proferri poſſe videatur, illud ingenue teſtari iuverit, quod Scaligeri, Uſſerii, aliorumque ſententia perſpicuo quoque Themiſtoclis teſtimonio confirmari poſſe conſpicitur, ſimulque oſtendi quod inſignis ille Demoſthenis locus, quem depravatum eſſe iam dixeram, ſincerus haberi debeat. Etenim Themiſtocles ille celeberri-

rimus Athenienſium Imperator initio Epiſtolae XIII. ſic ait: ἧκην μοι τὰς ἐπιϛολὰς παρὰ σȣ̃ κομίζων εἰς Ἔφεσον, ὡς Ἀθηναῖοι λογίζονται, Βοηδρομιῶνος ἔνῃ καὶ νέᾳ. ὡς δὲ ὑμεῖς, Πανήμȣ δεκάτῃ, ἡ δὲ ἡμέρα ἡ αὐτή, Μένυλλος ὁ Χαλκιδεύς .... *Menyllus Chalcidenſis Epheſum venit tuas mihi epiſtolas ferens trigeſima Boedromionis menſis die, ut Athenienſes ſupputant; decima vero Panemi, ut vos* Corinthii *numeratis, dies enim idem eſt*. Ergo Themiſtoclis aetate, qui anno 3. Olymp. LXXVII. Athenis exceſſit, Corinthiorum menſis Panemus cum Boedromione Attico committebatur, ut in ipſa quoque Philippi Regis Epiſtola apud Demoſthenem accurate conſpicitur; adeoque in Demoſthenis textu Hecatombaeon reſcribi certe non poterit, ſed cum Macedonum Loo, atque Panemo Corinthiorum ſolus Athenienſium Boedromion coniungi debet; ut optime proinde Scaliger, aliique doctiſſimi Viri Macedonicorum menſium ſedem deinde mutatam eſſe putaverint. Si Epiſtolae, quae Themiſtoclis nomine circumferuntur, genuinae, ſinceraeque forent, maxima certe vis eiusmodi argumento ineſſe poſſet, ut nitide oſtenderetur Corinthiorum menſem Panemum Themiſtoclis ipſius aetate Boedromioni Attico reſpondiſſe, idque fortaſſe de Macedonum etiam Loo intelligendum eſſe. At, quamvis illae a Lydiatto, aliisque pluribus veluti ſincerae laudari ſubinde ſoleant, perſpicuum eſt tamen, doctiſſimiſque Viris demonſtratum [1] illas apocryphas, ſuppoſititias, ſequioribusque temporibus a Sophiſta confictas eſſe, qui in Plutarchi, Diodori, Thucydidis, Demoſthenis, aliorumque Veterum ſcriptis verſatus erat. Itaque ſicuti ſubdolus, ac ingenioſus impoſtor ille ideo veros Themiſtoclis mores, varioſque caſus feliciter, accurateque deſcripſit quod illorum ſingulos ex Thucydide, Plutarcho, aliisque Scriptoribus expreſſiſſet; ita quoque Panemum Corinthiorum menſem ideo cum Attico Boedromione, ut opinor, coniunxit, quod duos illos earum Urbium menſes ita apud Demoſthenem coniunctos eſſe deprehendiſſet. Quod argumento certe eſſe poterit inſignem errorem illum in Demoſthenis textum pluribus ab hinc ſeculis irrepſiſſe; & Epiſtolas illas, quamvis etiam cetera ſuppoſitionis indicia deeſſent, ex hoc ipſo loco veluti apocryphas habendas eſſe: quippequae in deſcribenda Atticorum, Corinthiorumque menſium ſede eam hypotheſim, ſeriem-

(1) Vid. Fabric. Bibl. Graec. Lib. II. c. 10. num. 34.

que nobis exhibeant, quam perſpicuis Veterum teſtimoniis contrariam eſſe demonſtravi. Ceterum an trigeſima Boedromionis dies cum Panemi decima Themiſtoclis exulis aetate committi potuerit, atque Corinthiorum menſium ſedes variata fortaſſe deinde fuerit, alii curioſius inquirant: id unum mihi contra Scaligeri, aliorumque doctiſſimorum hominum ſententiam oſtendendum fuerat quod in Demoſthenis textu *Hecatombaeon* pro *Boedromione* reſcribi, adeoque Macedonicorum menſium perturbatio, quae Scaligero, ceteriſque arriſerat, refelli debet.

XXIII. Antequam vero a Demoſthene, ſuperiorique ipſius teſtimonio digrediar iuverit aliqua hic obiter obſervaſſe, quae a doctiſſimis alioquin Viris diſſimulata conſpicio. Narrat ibi Demoſthenes quod Athenienſes, inita iam cum Thebanis contra Philippum ſocietate, antequam utrique prope Chaeroneam ſuperarentur, praeclaram fortitudinis laudem in duabus pugnis reportarunt; quarum aliam ἐπὶ τῶ ποταμῶ *ad flumen*; aliam vero χειμερινὴν *hybernam* appellat: δίς τε συμπαραταξάμενοι τὰς πρώτας μάχας, τὴν ἐπὶ τῶ ποταμῶ, καὶ τὴν χειμερινὴν . . . . . . ὑμᾶς αὐτὰς θαυμαστοὺς ἐδείξατε: quae clariſſimus Volfius ita latine reddidit: *bis instructo exercitu cum eis, in primis conflictibus, altero ad flumen, altero hyberno admirabiles vos ipſos praeſtitiſtis*; quemadmodum Lambinus reddiderat *in hyberno, quod nominatur*. Ac de priori quidem pugna, quae *ad flumen* contigiſſe dicitur, nihil hic diſſero, quippequae facile prope Cephiſſum, qui Elateam, Orchomenum, & Chaeroneam ipſam, interiectoſque Phocidis, Boeotiaeque campos alluebat, committi potuerit. Quid vero de poſteriori pugna ſuſpicari, vel divinare quis poterit, quae *hyberna* vocatur, cum tamen illa, inito iam Athenienſium cum Thebanis foedere, atque ante Chaeronenſem cladem, adeoque Hecatombaeone menſe, vel ipſa aeſtate iam adulta commiſſa fuerit? Mihi certe ſuſpicio ſuboritur Demoſthenis textum depravatum eſſe; neque tamen facile dixerim qua ratione ille corrigi, ſanarique debeat. Id unum obſervo, quod in Phocidis, Boeotiaeque finibus inter Elateam Phocenſium urbem, quae iampridem a Philippo occupata fuerat, & Chaeroneam Boeotiae civitatem, quam poſtremo Philippus ingenti Graecorum clade celebrem reddidit, Orchomenus urbs reperitur, atque exinde, 20. ſtadiorum intervallo, Aſpledon, ſive Spledon, Homero (1). Pau-

(1) Iliad. II. verſ. 18.

Pauſaniae (1), ceterisque Geographis memorata. De Splendone vero ſic Strabo εἶτ' Εὐδείελος μετωνομάσθη κ̀ αὐτὴ, κ̀ ἡ χώρα, ἰδίωμά τι τάχα προσφερομένη ἐκ τοῦ δειλινοῦ κλίματος, οἰκεῖον τοῖς κατοικοῦσι, κ̀ μάλιϛα τὸ εὐχείμερον: *deinde mutato nomine tum ipſa, tum regio vocata eſt Eudielos, eo quod fortaſſe ex inclinatione ad occaſum naturam loci haberet habitatoribus ſuis percommodam, atque opportunam, & hyemes maxime bonas, ac faciles* (2). Quid ergo ſi Splendonem illam non Εὐδείελον ſolum; ſed etiam Εὐχειμερινὴν vocatam eſſe quis dixerit, aut Εὐχειμερινῆς nomine urbem illam, finitimamque regionem a Demoſthene hic indicatam eſſe coniiciat, ut oſtenderet Athenienſes Philippo ex Elateae finibus in Boeotiam, vel Chaeroneam properanti primo prope Cephiſſum amnem, aut Melanem, qui Splendonem alluebat, deinde vero prope Splendonem ipſam, aut Orchomenum acriter reſtitiſſe, quamvis poſtremo apud Chaeroneam profligati illi fuerint? Si ejusmodi coniecturae locus ſuperſit, fortaſſe Demoſthenes ſcripſerat κ̀ τὴν περὶ τὴν Εὐχειμερινὴν, *& altero circa Euchemerinen* conflictu, atque ipſa articuli iteratio imperitum librarium impulit ut κ̀ τὴν χειμερινὴν, nullo, ut opinor, ſenſu, nobis obtruderet. Sed haec divinando ſolum hic protuli.

XXIV. Longe tamen illuſtrius, certiusque eſſe video, quod ex ſuperioribus Demoſthenis verbis inferri poteſt. De Amphictyonum conſeſſu plurima Sigonius (3), Stephanus (4) Emmius (5), aliique diſputarunt. Nullus tamen aut menſem, aut diem perſpicue nobis oſtendit, quo Concilium illud a Pylagoris haberetur: id unum variis Veterum teſtimoniis indicantes quod bis in anno, vere, autumnoque cogeretur; quemadmodum Pauſanias (6) ceteris accuratior teſtatur illud veris, autumnique initio celebrari conſueviſſe. At ſuperiora Demoſthenis teſtimonia perſpicue oſtendunt, Concilium illud exeunte Antheſterione, vel ineunte potius Elaphebolione coactum eſſe. Aſſerit enim ille quod Aeſchines ſextadecima Antheſterionis die Pylagoras, ſive Athenienſium legatus ad vernum Amphictyonum Concilium electus fuit; atque Philippus in eodem illo conventu Dux deſignatus collecto repente exercitu ante vigeſimam quintam Elapheboliouis diem in Phocidem properavit. Ergo, ut Aeſchines Athenis Pylas proficiſci, ſimulque Philippus Amphictyonum decreta re-

(1) Lib. X. Phocic. (2) Lib. IX. vid. Euſtath. ad Iliad. B. num. 19. (3) De Republ. Ath. Lib. II. c. (4) De Jurisdict. Graecor. c. 6. Gronov. Tom. VI. (5) Ap. Gronov. Tom. IV. (6) In Phocic.

rescire, militaresque copias ex Macedonia educere potuerit, omnino requiritur ut circa Anthesterionis finem, sive Elaphebolionis initium vernus Amphictyonum consessus habitus fuerit; ideoque, peractis sex mensibus aliis, autumnalis conventus exeunte Metagitnione, vel Boedromione ineunte celebrari consueverit. Denique ex ipso Demosthenis, Aeschinisque testimonio verum quoque tempus definiri posse conspicio, quo Asclepia, & Herculana festa Athenis celebrari consueverant; quod Meursio tamen, Castellano, Fasoldo, Pottero, Jonsthono, ceterisque Scriptoribus aut incompertum, aut dissimulatum esse video: quemadmodum ambiguus etiam Harpocrationis locus exinde corrigi, vel illustrari facile poterit. Verum haec ipsa Atticae Historiae capita fusius, atque oportunius dissertatione XIII. explicanda sunt; cum praesertim ingenuus iste Graecae Historiae oportune illustrandae amor a proposita certe controversia me longius hactenus abripuerit.

XXV. Itaque, ut ad Dodvellum tandem, simulque Prytaniarum ordinem ab illo constitutum revertar, unicum supererit exemplum, sive Demosthenis testimonium, quo Dodvellus ostendat Pandionidem Tribum aliquando πρώτην fuisse, sive primum in Prytaniarum ordine locum occupasse: unicum quoque exemplum, quo Hippothoontis tertio; Oeneis quarto; Leontis sexto loco praesederit; idque non uno, eodemque anno (quod maxime, ut opinor, intererat explorasse) sed variis potius, dissitisque annis; ut oportunius alibi ostendam [1]; ideoque ex variis decretis illis, quae diligenter adeo Dodvellus, accurateque collegerat, nulla ratione deduci poterit quod Prytaniarum series, ac Tribuum ordo semper idem, constans, ac invariabilis haberi consueverit. Quod vero saepius a Graecis Scriptoribus *nona*, *decima*, *prima* Prytania, non addito Tribus nomine, memoretur; idque in legibus etiam illis, quae nullam vim habiturae fuerant, nisi perspicuam temporis notam praeseferrent, qua latae forent, argumento certe esse poterit Prytaniarum numerum, ordinem, atque durationem in civilibus annis constantem, omnibusque perspectam esse: ut illa nimirum, quae a prima Hecatombaeonis ad sextam Metagitnionis diem extendebatur, *prima* diceretur; *secunda* vero censeretur illa, quae a septima Metagitnionis die ad duodecimam Boedromionis imperabat.

Non

(1) Differ. VIII.

Non inde tamen inferri poterit quod ipse quoque Tribuum imperantium ordo semper idem, & constans haberi consueverit; cum Prytaniarum numerus, atque duratio a solo Tribuum numero, non autem ab illarum nomine, & ordine duceretur. Itaque, nisi plurimum ego fallor, *Prytaniae* nomine hic abuti videtur Dodvellus: cumque *Prytaniae* nomine intelligatur, ut ex Suida iam vidimus, illud temporis spatium, quo Tribus aliqua, quaecumque illa fuerit, praesidebat, hic *Prytaniae* voce Tribum ipsam πρυτανευέσαν, sive *Prytaniae munere fungentem* intelligendam esse putat Dodvellus; ideoque cum Prytaniarum series in civilibus annis, mensium civilium instar, constans esse debuerit, ipsarum quoque Tribuum πρυτανευεσῶν *Prytaniae munus obeuntium* ordinem constantem esse contendit. Ac certe, si Tribuum series semper eadem, atque, ut opinatur Dodvellus, ubique constans fuisset, ut Pandionis semper *prima*, Acamantis semper *quinta* diceretur, cur in decretis illis, quae a Dodvello proferuntur, Pandionis πρώτη *prima*, Acamantis πέμπτη *quinta* vocatur? Non alia certe de caussa, ut opinor, accuratior illa temporis nota in decretis illis affingitur, nisi ut ostendatur quod, cum Tribuum series quolibet anno fortuita, sortisque arbitrio comissa foret, Pandionis Tribus, quae aliis annis alio prorsus loco imperaverat, eo tamen anno primo loco imperavit. Atque pulcherrimo id quidem, eximioque Ulpiani testimonio confirmari posse conspicio, quo utrumque decretum illud ex Demosthene a Dodvello prolatum mirifice illustrari, atque in Dodvellum ipsum retorqueri facile poterit. Itaque accuratus ille Demosthenis Enarrator observat in eadem ipsa Oratione *contra Timocratem* poni decretum, aut legem, qua iubetur singulis annis ἑνδεκάτῃ πρώτης Πρυτανείας *undecima* die *primae Prytaniae* Atheniensium legum recensionem fieri; paucisque interiectis afferri decretum, vel monumentum aliud, quo asseritur eodem anno, quo nova lex a Timocrate lata fuit, hoc est anno 4. Olymp. CV. ut num. XIII. superius ostendi, eiusmodi legum recensionem factam esse ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης, ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας *Pandionide* Tribu omnium *prima* Prytaniae munus obeunte, *undecima* die *Prytaniae*; cumque in primo decreto sola *primae Prytaniae* mentio, suppresso Tribus nomine, occurrat; in alio vero *primae Prytaniae* mentio, simulque *Pandionidis* Tribus *Prytania prima* imperantis nomen habeatur, asserit Ulpianus in primo decreto ideo

Tri-

Tribus nomen omissum esse quod incognitum plane, incertumque foret quaenam ex variis Atheniensium Tribubus in Prytaniarum ordine omnium prima futura foret, adeoque legum recensendarum tempore praesideret; ideo vero Pandionidis nomen in altero decreto memorari quod illa fortuito primum eo anno locum sortita fuerit; adeoque ad postrema Demosthenis verba adnotavit ἐνταῦθα καλῶς προσέθηκε τὴν Φυλὴν τὴν Πανδιονίδα, ἐπειδὴ ἔτυχε πότε αὐτὴν κληρωθῆναι πρώτην πρυτανεῦσαι *hic accommode Pandionidem Tribum addidit: quandoquidem tunc contigit ipsam sortito electam esse ut omnium prima Prytaniae munere fungeretur*. Itaque tantum abest ut ex decretis illis, in quibus Pandionis *prima* vocatur, inferri possit ipsam in Prytaniarum ordine primum semper locum occupasse, quod Dodvellus existimaverat, ut oppositum potius manifestissime deducatur.

XXVI. Nec multo sane felicius aliud Dodvelli argumentum ubi nullam fuisse dicit sortium necessitatem in Tribuum imperantium, vel Prytaniarum ordine designando, *cum par esset ubique ius Prytaniarum, nec pauciores Tribubus Prytaniae* (1). Certe, si Tribuum series a Dodvello inventa esset illa, qua Tribus ipsae Athenis vel gloria, vel dignitate, vel alio quodam honoris, aut praerogativae genere inter se censebantur, tunc nullus fortasse sortium usus in definienda singulis annis illarum serie necessarius fuisset. Sed cum verus ille Tribuum ordo, quo vel a primis usque temporibus ad Hadriani Caesaris aetatem Tribus ipsae fruebantur, Dodvello certe, simulque Eruditis omnibus hactenus incompertus, ab eo dissideat, quem ex variis decretis illis Dodvellus contexuit, ut in sequenti Dissertatione ostendetur, aliquis certe sortium usus in definienda illarum serie, vel Prytaniae tempore admitti debet. Quis enim existimet *Erechtheidem* Tribum, quae omnium princeps fuerat, primumque semper in Tribuum ordine locum obtinuit, in ipsa tamen Prytaniarum serie octavum solum aliquando locum occupasse, nisi id fortuito contigisset? Aut quî fieri potuisse arbitremur, ut *Aeantis* Tribus, quae in vero Tribuum ordine nona censebatur, & Plutarcho teste nunquam postremo loco esse patiebatur (2), in Dodvelli tamen serie postrema, vel decima videatur; nisi id solo sortis arbitrio interdum illi obtigisset? Quid vero quod in ipsa quoque Dodvelli hypothesi, quamvis verus & constans ille Tribuum

(1) Differt. III. sect. 42. (2) Sympos. Lib. I. qu. 10.

buum ordo, quem ego omnium primus deprehendi, incognitus ſupponatur, aliqua tamen in Prytaniis ipſis varietas ſingulis annis haberi debuit, quae proinde in cauſſa eſſe potuit ut illarum ordo ſortis arbitrio committeretur? Certe Prytaniarum aliquae pluribus, aliae paucioribus diebus imperare debebant: quibusdam ſolum menſibus ſacra quaedam, ludi, feſtique dies agebantur: quibusdam bella decerni, Comitia haberi conſueverant; ideoque, ſi ſemper idem Tribuum ordo fuiſſet, adeoque Tribus eadem ſemper uno eodemque anni tempore imperaſſet, ceteras aut honore, aut alio quopiam excellentiae genere ſuperaſſet: quod a liberi certe, aequabilis, & popularis regiminis forma maxime abhorret. Itaque, ut conſtans omnino, & perfecta aequalitas, quae Urbem omnino liberam decebat, accuratius ſervaretur, longe veriſimilius profecto cenſeri debet quod Tribuum ordo, ideoque menſis, quo illarum quaelibet in civilibus annis imperare, vel Prytaniae munere perfungi debuit, ſingulis annis uni ſortis arbitrio commiſſus fuerit; ut perſpicua certe Etymologi, Suidae, Scholiaſtis Ariſtophanaei, Harpocrationis, Ammonii, Photii teſtimonia demonſtrant, quae ſuperiori Diſſertatione num. XXV. iam protuli: quaeque Dodvellus ipſe iam viderat, ſed immerito tamen ad ſolos Prytaniarum Epiſtatas, ac Proedros ſpectaſſe voluit. Sed longe tamen illuſtrius, certiusque conſtans, atque eadem Prytaniarum ſeries, quae ab ipſo contexta fuit, ex variis exemplis illis refelli poterit, quibus invicte ſimul, ac nitide demonſtratur unam eandemque Tribum variis ſubinde menſibus imperaſſe, adeoque variam in Prytaniarum ordine ſedem occupaſſe; ut ſequenti Diſſertatione oportunius, atque accuratius oſtendam, ubi vera Tribuum Athenienſium ſeries expoſita, certisque Veterum teſtimoniis probata fuerit.



DIS-

DISSERTATIO IV.

S Y N O P S I S.

I. T*Ribuum Athenienſium ordo a Prytaniarum ſerie diſtingui debet. Ille ſemper unus, idemque fuerat; haec vero fortuita, ſingulisque annis diverſa fuit.* II. *Conſtans ille, verusque Tribuum ordo ex Demoſthene demonſtratur.* III. *Etymologi quoque teſtimonio confirmatur.* IV. *Antiquiſſima Graeca Inſcriptio profertur.* V. *Eiusmodi Inſcriptionis aetas ex Diodoro, ac Thucydide contra Mapphaeium definitur. Mapphaei, ac Muratorii interpretatio notatur.* VI. *Verus ille Tribuum Athenienſium ordo etiam ex antiquiſſimo hoc Marmore demonſtratur.* VII. *Altera Graeca Inſcriptio ex Sponio producitur; eademque Tribuum ſeries ex illa confirmatur.* VIII. *Alterius Inſcriptionis pars ex Sponio exhibetur; ſimulque ex illa quarundam Tribuum ſeries exponitur.* IX. *Inſigne Marmor aliud affertur, in quo plures Athenienſes Tribus, vitiato tamen ordine, recenſentur.* X. *Verus ipſarum ordo olim in Marmore expreſſus Monfauconii teſtimonio demonſtratur.* XI. *Perplexa, maximeque obſcura Marmoris hujus epocha contra Monfauconium, ac Muratorium coniectura exponitur, ac illuſtratur.* XII. *Singulae Marmoris huius partes illuſtrantur, priſtinoque ordini reſtituuntur; ſimulque ex illis conſtans Athenienſium Tribuum ſeries confirmatur.* XIII. *Verus ille, ſemperque conſtans Tribuum ordo ex Demoſthene, Etymologo, & quatuor Marmoribus illis deſumptus exhibetur.* XIV. *Novarum Tribuum ſedes contra Dodvellum oſtenditur. Sponii, aliorumque error indicatur.* XV. *Ordinis illius ratio in Erechtheide, atque Aegeide Tribu coniecturis affertur.* XVI. *Quamvis Tribuum ordo conſtans foret; illarum tamen Prytaniae, ſive Prytaniarum ſeries incerta fuit. Id in Pandionide Tribu Demoſthenis teſtimonio, atque ex duabus Inſcriptionibus demonſtratur.* XVII. *In Erechtheide etiam Tribu Antiphontis teſtimonio id evinci-*

citur. XVIII. *Andocidis autoritate idem quoque Tribuum ordo probatur.* XIX. *Plutarchi testimonio fortuita Tribuum series confirmatur. Plutarchi ab Herodoto dissidium in definiendo Marathoniae pugnae tempore indicatur. Plutarchi autoritas, atque sententia in dubium revocatur.* XX. *Plutarchi ipsius error, eiusque origo demonstratur.*



DISSERTATIO IV.

VERVS TRIBVVM ATHENIENSIVM ORDO, AC VERA PRYTANIARVM SERIES DEMONSTRATVR.

I. De vero Tribuum Atheniensium ordine, simulque vera Prytaniarum serie, quae Dodvelli, aliorumque doctissimorum hominum diligenciam effugerat, loquuturus, illud in ipso veluti limine observari maxime velim, quod Tribuum ordo cum Prytaniarum serie confundi posse minime videbatur; & quamvis etiam alterutra series illa nobis incognita, vel incerta foret, optimo tamen, maximoque iure una ab altera accuratissime distingui debuit. Quemadmodum enim superiori Dissertatione iam dixi, fieri profecto poterat, longeque verisimillimum videbatur, ut Tribuum ipsarum ordo semper idem, constans, ac invariabilis esset; Prytaniarum vero series singulis annis diversa foret: hoc est Tribus ipsae constanti quodam ordine, sive praerogativa inter se conferrentur; quamvis in obeundo Prytaniae munere varium subinde locum sortis arbitrio obtinerent: & quamvis etiam in hoc ipso obeundo munere constantem ordinem observarent, ut Dodvellus existimaverat, ostendendum tamen supererat, an hic ipse Prytaniarum ordo cum alio Tribuum ordine conspiraret, vel potius ab illo distingueretur. Ac Dodvellus quidem nullum eiusmodi Tribuum ordinem a Prytaniarum ordine distinctum esse putavit; ideoque solam Prytaniarum seriem inquirendam suscepit, ut exinde facile constans etiam Tribuum ordo deduceretur; cumque circa Olympiadem CXXVI., sive Zenonis Cittiaei aetate, Acamantidis Tribus Prytaniam, quae *sexta* iampridem fuerat, in *quintum* locum migrasse intelligeret, constantem illum Tribuum ordinem, qui prius invaluerat, ita variatum esse putavit, ut duae novae Tribus, *Antigonis*, & *Demetrias* Olym-

Olympiade CXVIII. institutae ante ceteras collocatae primum in illarum serie locum occupaverint. Ego vero Tribuum ordinem a Prytaniarum serie distinguendum esse ita pluribus Veterum testimoniis ostendam, ut cum Tribuum ordinem constantem olim Athenis fuisse demonstravero, simulque perspicuis illum characteribus confirmavero, Prytaniarum deinde seriem singulis annis diversam fuisse variis etiam exemplis evincam; ut nullus proinde ambigendi locus supersit quinam constans, verusque Tribuum Atheniensium ordo, quaenam vera Prytaniarum series haberi debeat.

II. Atque, ut a definiendo Tribuum ordine repente exordiar, ex variis ille Scriptoribus, Graecisque Marmoribus inferri facile poterit, quae servata plerumque temporum serie subiiciam. Ac primo quidem occurrit Demosthenes, aut vetus Orator ille, qui funebrem Orationem illam conscripsit, qua Athenienses in Chaeronensi praelio anno 3. Olympiadis CX. caesi celebrantur, atque inter Demosthenis Orationes occurrit [1]. Siquidem Orator ipse, ut ostenderet Atheniensium illorum singulos domestica quoque Gentilium, vel Tribulium suorum virtutis exempla habuisse, quibus ad gloriam, animique robur in praelio exerendum incitarentur, illa se exponere profitetur, *ἅ κατὰ φυλὰς παρεκάλεσεν ἑκάστους εὐρώστους εἶναι*, *quae ratione Tribuum* illorum *singulos excitarunt*, *ut strenui forent*; ideoque Atheniensium Tribuum singulas, commemoratis etiam ipsarum laudibus, hoc ordine recenset: *Erechtheidem*, *Aegeidem*, *Pandionidem*, *Leontidem*, *Acamantidem*, *Oeneidem*, *Cecropidem*, *Hippothoontidem*, *Aeantidem*, *Antiochidem*. Dubitari hic certe non poterit quin, si certus aliquis, & omnino constans Tribuum ordo Athenis fuerit, ut ex Herodoto, Plutarcho, longeque verisimillima coniectura superiori Dissertatione Num. VI. contra Dodvellum ostendi, Demosthenes ipse, vel quicumque tandem is fuit, qui funebrem laudationem illam conscripsit, in contexenda Tribuum serie sic illum expresserit, ut ipsas eodem prorsus ordine recenseret, quem illae Athenis obtinere consueverant: cum praesertim series illa, vel ordo Atheniensibus omnibus perspectus esse deberet. Accedit etiam quod, etsi funebris Oratio illa, quae nunc Demosthenis inscripta nomine circumfertur, Demosthene indigna, ideo-

(1) Pag. 155.

ideoque ipsi suppofita concedatur [1], compertum est tamen quod Demosthenes ipse funebrem Orationem habuit, qua milites Chaeronae sublatos laudavit. Id nitide testatur Plutarchus in ipsius Vita: ὥςε κ̀ τῶν ὀςέων ἐκ Χαιρωνείας κομισθέντων, κ̀ θαπτομένων τὸν ἐπὶ τοῖς ἀνδράσιν Ἔπαινον εἰπεῖν ἀπέδωκεν, ut Populus, *ossibus e Chaeronaea allatis, & sepeliendis, laudationem hominum ei dicendam mandaverit*: quemadmodum in Vita X. Rhetorum de Demosthene ipso loquens ait εἶπε μέντοι τὸν Ἐπιτάφιον ἐπὶ τοῖς πεσοῦσιν *funebrem de sublatis Orationem recitavit*; atque Demosthenes ipse Orationem illam a se habitam esse gloriatur [2]. Itaque, licet vera Demosthenis Oratio prorsus exciderit, verisimile est tamen quod Orator ille, qui Demosthenem imitatus laudationem illam conscripsit, atque Demosthenis etiam nomine fortasse vulgavit, rationes omnes, & argumenta sit prosequutus, quae facile ab ipso Demosthene expressa fuerant; ideoque in contexenda quoque Tribuum Atheniensium serie ordinem illum accurate servaverit, qui a Demosthene adhiberi debuerat: ut illa proinde Tribuum series, quae in hac Oratione conspicitur, eadem omnino censeri facile debeat, quae Demosthenis ipsius aetate omnino constans, ac invariabilis haberi consueverat.

III. Demosthenis, vel alterius Oratoris huius testimonio Auctor etiam ille merito adiungi poterit, qui Etymologicum Magnum conscripsit. Siquidem ille ubi de Heroibus Tribuum Atheniensium Eponymis disserit, illorum numerum, ordinem, atque originem accurate nobis expressit: Ἐπώνυμοι δέκα εἰσιν, ἐφ' ὧν αἱ φυλαὶ προσηγορεύθησαν, οἷον Ἐρεχθεὺς, Αἰγεὺς, Πανδίων, Λεὼς, Ἀλμᾶς (leg. Ἀκαμᾶς) Οἰνεὺς, Κέκροψ, Ἱπποθόων, Αἴας, Ἀντίοχος. Ταυτα δὲ ὀνόματα ἄπορα ὁ Πύθιος εἵλετο. Κλισθένης ὅτω διαταξάμενος τὸ πᾶν πλῆθος εἰς δέκα φυλάς. *Eponymi decem sunt, a quibus denominatae sunt Tribus; nimirum Erechtheus, Aegaeus, Pandion, Leon, Acamas, Oeneus, Cecrops, Hippothoon, Aiax, Antiochus. Haec autem nomina prius confusa* Apollo *Pythius elegit; Clisthene hoc pacto universam* Atheniensium Civium *multitudinem decem in Tribus distribuente.* Quis hic aperte non videat quod Heroes omnes Tribuum Eponymi, adeoque Tribus etiam ipsae, eodem prorsus ordine ab Etymologo recensentur, qui in superiori Demosthenis loco conspi-

(1) Vid. Meurs. Lect. Attic. Lib. VI. c. 10. & Libanium in Proem. ad Orat. Demosth.
(2) De Corona pag. 32.

conspicitur? Quemadmodum certe Scriptor ille ubi Tribus ipsas a Clisthene, Pythiique Apollinis oraculo institutas, vel in decem distributas esse testatur, cum Pollucis, Herodoti, aliorumque, quos superioris Dissertationis initio iam protuli, testimonio mirifice conspirat. Quamvis autem Etymologus ille sequioribus solum temporibus floruerit, maximo tamen in pretio ipsius autoritas esse debet, cum ille pleraque ex veteribus Scholiastis, vel monimentis aliis collegerit; ut in contexenda proinde Atheniensium Tribuum serie veteris Scriptoris alicuius vestigiis institisse videatur; nec alium certe ipsarum ordinem edidisse, quam qui constanter olim Athenis ante Olympiadem CXVIII. habebatur; cum nullam recentiorum Tribuum, aut Regum, ex quibus istae nomen acceperant, mentionem iniecerit.

IV. Quod vero non feliciter, nisi mea me fallit opinio, ex superiori Demosthenis, atque Etymologi loco jampridem conieceram, illustrius deinde ex pulcherrima Inscriptione confirmari posse conspexi, quam clarissimum Italiae nostrae decus Scipio Maffeius in suis *Galliae Antiquitatibus* Epist. XIX. nobis exhibuit. Ac eiusmodi quidem Inscriptio, quae ceteras Graecas omnes, si tamen Sigaeam, aliasque paucas, quae βυστροφηδὸν exaratae sunt, exceperis, antiquitate longissime excellit, quippe quae 2200. ab hinc annis erecta fuerit. Haec Athenis olim posita, tribus marmoreis Tabulis, sive Marmoris unius fragmentis constabat cum Sponius illam Athenis exscripsit; in Regia tamen Inscriptionum Academia duo nunc solum conspiciuntur, quae Nointelius Athenis Lutetiam deferenda curavit. Postremam solum ipsius partem variis etiam erroribus inquinatam edidit Sponius in *Miscellaneis Eruditae Antiquitatis* Classe X. num. 1. cum Montfauconius solam ipsius mentionem iniecisset in *Palaeographia* Lib. II. pag. 135. Maffeius vero integram illam nobis exhibuit variisque adnotationibus illustravit; quemadmodum quoque prima solum ipsius pars apud Muratorium occurrit in *Novo Inscriptionum Thesauro* pag. 878. num. 1. Itaque doctissimorum hominum vestigiis insistens integram hic ego quoque Inscriptionem illam subiiciendam esse putavi; nisi quod plurima Atheniensium nomina iis in locis, quae asterisco notata conspiciuntur, omisi, simulque omissorum nominum numerum indicavi.

Plu-

Plurima vero, quae ex pulcherrimo hoc Marmore de veteri quarundam Graecarum literarum forma, interpungendi more, aliisque id genus inferri facile poterant, hic nihil moror; quod & alterius illa sint loci, atque oportune a Bimardo, & Maffeio observata iam fuerint. Veterem solum Atheniensium morem in Marmoribus, aut Inscriptionibus eiusmodi excitandis observare mihi nunc libuit, ut exinde Marmoris huius aetas, simulque locus ostendatur, in quo iampridem Athenis fuisse debuit. Itaque, quod ad locum quidem attinet, nullus hic dubito quin Marmor illud in exteriori Ceramico, qui nempe in Urbis pomerio reperiebatur, positum fuerit. Siquidem Atheniensibus solemne fuerat milites omnes, qui Patriae amore in bello sublati fuerant, certis quibusdam ritibus, publicoque sumptu in Ceramico sepelire; ipsorumque, & Ducum nomina marmoreis monimentis inscribere. Ac celebres quidem, statosque ritus illos, qui in tumulandis militum cadaveribus observari consueverant, ex Thucydide (1), aliisque Scriptoribus (2) Meursius (3) accuratissime demonstravit. Id vero in Academia, vel Ceramico peragi consuevisse perspicuo Pausaniae testimonio erudimur, quod ex hoc ipso Marmore confirmari facile poterit; sicuti vicissim Marmori plurimus ex Pausania splendor accedit. Itaque Pausanias de Ceramico loquens ait ἔςι δὲ καὶ πᾶσι μνῆμα Ἀθηναίοις, ὁπόσοις ἀποθανεῖν συνέπεσεν ἔν τε ναυμαχίαις, καὶ ἐν μάχαις πεζαῖς . . . . κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἐς Ἀκαδημίαν. καὶ σφῶν ἑςᾶσιν ἐπὶ τοῖς τάφοις ςῆλαι τὰ ὀνόματα, καὶ τον Δῆμον ἑκάςου λέγουσαι (4): *extat quoque suum Atheniensibus omnibus monumentum, qui navalibus praeliis, aut terrestribus cecidissent . . . . in via, quae ad Academiam ducit; tumulisque pilae impositae, quibus inscriptum quod cuique nomen erat, ac quis Populus*. Neque solum Populus, ad quem milites illi spectaverant, sed Tribus ipsae aliquando, & frequentius etiam, exprimebantur; subdit enim ταφος δὲ ἐν τῷ πεδίῳ Ἀθηναίων ἐςὶν. ἐπὶ δὲ αὐτῷ ςῆλαι τα ὀνόματα τῶν ἀποθανόντων κατὰ Φυλὰς ἑκάςων ἔχουσαι: *in campo Atheniensium est sepulcrum, & cippi in eo nomina interfectorum iuxta Tribus referentes*. Eximius iste Pausaniae locus nitide, ut opinor, ostendit eiusmodi Marmor, cui militum interfectorum nomina inscripta conspiciuntur, olim in Ceramico, publico nimirum Urbis

(1) Lib. II. (2) Schol. Aristoph. Equitib.. (3) Ceramic. c. 2. & 7. (4) In Attic. c. 29.

bis ſepulcreto extitiſſe. Oſtendit etiam militum illorum ſingulos ita in propria Tribu veluti claſſe memoratos eſſe, ut in contexenda harum Tribuum, ſive Tribulium ſerie conſtans quidam, certuſque ſemper ordo ſervaretur; ille nimirum, quo Tribus ipſas tum belli tum pacis etiam tempore inter ſe conferri iam diximus; unde non immerito fortaſſe ſuſpicari quis poterit ideo plurimos ex Erechtheide, pauciores ex aliis Tribubus memorari, quod cum illa primum in conflictu locum occupaverit, plurimos etiam acrioribus hoſtium telis obiecerit. Sed haec, aliaque id genus facile ex ipſo Marmore deprehendi poterunt.

ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ

ΗΟΙΔΕ ⁝ ΕΝΤΟΙ ⁝ ΠΟΛΕΜΟΙ ⁝ ΑΠΕΘΑΝΟΝ ⁝ ΕΝΚΥΠΡΟΙ ⁝ ΕΝ ΑΙΓ
ΥΠΤΟΙ ⁝ ΕΝΦΟΙΝΙΚΕΙ ⁝ ΕΝΑΛΙΕΥΣΙΝ ⁝ ΕΝΑΙΓΙΝΕΙ ⁝ ΜΕΓΑΡΟΣ

ΕΝ ΤΟ ΑΥΤΟ ΕΝΙΑΥΤΟ

.......ΤΕΓΟΝ	ΦΑΝΤΑΛΟΣ	ΑΚΡΥΠΤΟΣ
Φ.......ΧΟΣ	ΧΙ.....ΝΙΟΣ	ΤΙΜΟΚΡΑΤΕΣ
Π.....ΑΛΕΟΝ	Ε.....ΕΙΤΟΝ	ΑΡΧΕΛΑΣ
....ΥΣΤΡΑΤΟΣ	Γ....ΚΙΠΠΟΣ	ΕΥΘΥΚΡΑΤΕΣ
ΑΚΟΝΤΙΔΕΣ	ΛΥΣΙΚΛΕΣ	ΠΑΤΡΟΚΛΕΙΔΕΣ
* 50	* 50	* 50
ΑΜΦΙ....ΕΔΕΣ	ΝΙΚΟΝ	ΑΚΑ.....Θ....
ΧΣΕΝΥΛΛΟΣ		

ΣΤΡΑΤΕΓΟΣ ⁝

ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΟΙ

ΗΙΠΠΟΔΑΜΑΣ	ΤΕΛΕΝΙΚΟΣ
ΕΝΘΙΜΑΧΟΣ	ΜΑΝΤΙΣ
ΕΥΜΕΛΟΣ	
ΑΝΔΡΟΣΘΕΝΕΣ	

ΤΟΧ-

ΤΟΧΣΟΤΑΙ ΦΡΙΝΟΣ

ΤΑΥΡΟΣ

ΘΕΟΔΟΡΟΣ

ΑΛΕΧΣΙΜΑΧΟΣ

Hic desinit I. Tabula : mox sequitur II. quae Athenis erat III.

. . . . . .	. . . .	. . . .
ΛΥΚΙΝΟΣ	. . . . . .	. . . .
ΑΡΧΙΑΣ	ΚΑ	. . . .
ΦΟΚΙΟΝ ΤΡΙΕ	ΠΥΘ . . .	. . . .
ΘΟΚΥΔΙΔΕΣ	ΝΙΚΟ . . .	. . . .
* 17.	* 17.	* 17.
ΜΙΜΝΟΝ	ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ	. . . ΣΤΙΑ . . .
ΘΕΟΓΕΝΕΣ	. . . . . .	ΜΕΝ . . . . ΟΣ
ΑΘΕΝΟΔΟΡΟΣ	. . . . . .	ΛΕΟΝΤΙΔΟΣ
ΑΜΦΙΑΝΑΧΣ	. . . . . .	ΑΡΙΣΤΙΔΕΣ
ΣΟΣΤΡΑΤΟΣ	. . . . . .	ΠΑΡ . . . . ΒΑΤΕΣ
ΕΥΦΑΝΕΣ	ΚΑΛΛΙΘΑΛΕΣ	ΦΥΣΙ . . . . ΟΣΔΙΟΚΛ .
ΑΡΧΙΚΛΕΣ	ΝΕ . . . ΕΙΔΕΣ	ΑΡΧΕΔΑΜΑΣ
ΦΑΝΟΚΛΕΙΔΕΣ	ΠΑΝΘΑΡΟΣ	ΛΥΣΙΣΤΡΑΤΟΣ
ΕΥΕΡΓΙΔΕΣ	ΕΣΙ . . . ΧΟΣ	ΠΟΛΥΚΡΑΤΕΣ
ΑΡΙΣΤΟΝΥΜΟΣ	ΦΙΛΙΠΠΟΣ	ΝΙΚΟΚΛΕΣ
ΚΕΦΙΣΟΔΟΡΟΣ	ΤΙΜΟΚΡΑΤΕΣ	ΑΚΑΜΑΝΤΙΔΟΣ
ΘΕΟΦΑΝΕΣ	ΘΕΟΚΡΙΤΟΣ	ΟΛΥΝΠΙΑΡΑΤΟΣ
ΟΦΣΙΑΔΕΣ	ΜΝΕΣΙΚΡΑΤΕΣ	ΑΥΤΟΜΑΘΕΣ
ΝΙΚΙΑΔΕΣ	ΠΕΡΙΚΛΕΣ	ΛΕΟΝΙΔΕΣ

ΚΑΛ-

ΚΑΛΛΙΤΕΛΕΣ	ΑΝΤΙΔΟΤΟΣ	ΔΕΜΕΤΡΙΟΣ
ΣΑΤΥΡΟΣ	ΘΕΟΦΑΝΕΣ	ΡΙΝΟΝ
ΑΡΙΣΤΥΛΛΟΣ	ΘΕΟΓΝΕΤΟΣ	ΑΛΕΧΣΙΠΠΟΣ
ΕΡΓΟΤΙΜΟΣ	ΛΥΣΙΜΑΧΟΣ	ΑΡΧΙΑΣ
ΕΥΦΙΛΕΤΟΣ	ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΣ	ΧΑΙΡΕΦΟΝ
ΕΠΙΔΡΟΜΟΣ	ΑΔΕΙΜΑΝΤΟΣ	ΟΙΝΕΙΔΟΣ
ΛΥΚΕΑΣ ΤΡΙΕ	ΦΙΛΟΔΕΜΟΣ	ΔΙΟΚΛΕΙΔΕΣ
ΤΛΕΣΟΝΙΔΕΣ	ΧΣΕΝΟΧΑΡΕΣ	ΑΜΕΙΝΟΚΡΑΤΕΣ
ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΣ	ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ	ΤΙΜΟΘΕΟΣ
ΕΥΦΡΑΝΟΡ	ΧΑΡΙΝΟΣ	ΚΕΚΡΟΠΙΔΟΣ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΕΣ	ΚΑΛΛΙΦΟΝ	ΤΕΛΕΣΕΓΟΡΟΣ
ΑΡΙΣΤΟΜΕΔΕΣ	ΝΙΚΙΑΣ	ΣΑΤΥΡΟΣ
ΛΥΣΙΦΑΝΕΣ	ΚΑΛΛΙΑΣ	ΔΙΕΙΤΡΕΦΕΣ
ΚΑΛΛΙΦΟΝ	ΦΙΛΕΑΣ	ΛΕΟΧΑΡΕΣ
ΑΝΤΙΚΛΕΣ	ΑΝΤΙΧΑΡΕΣ	ΔΟΡΟΘΕΟΣ
ΚΑΛΛΙΑΣ	ΕΥΘΟΙΝΟΣ	ΑΡΧΙΑΣ
ΕΥΠΟΛΙΣ	ΧΑΙΡΕΣΤΡΑΤΟΣ	ΠΡΟΜΑΧΟΣ
ΑΝΤΙΦΑΝΤΟΣ	ΔΙΦΙΛΟΣ	ΗΙΠΠΟΘΟΝΤΙΔΟΣ
ΓΟΡΔΟΣ	ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΣ	ΠΥΘΟΔΟΡΟΣ ΦΥΛΑΡΧ
ΣΟΤΙΜΟΣ	ΗΑΓΝΟΝ	ΦΑΝΟΚΛΕΣ
ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΣ	ΣΜΥΚΥΘΟΣ	ΦΙΛΟΝ
ΑΠΟΛΛΟΔΟΡΟΣ	ΚΤΕΣΙΦΟΝ	ΔΕΙΝΙΑΣ
ΕΥΘΥΚΛΕΙΔΕΣ	ΕΠΙΛΥΣΑΜΕΝΟΣ	ΣΠΕΥΣΟΝ
ΑΡΧΕΣΤΡΑΤΟΣ	ΧΑΛ . . . ΟΝ	ΑΝΤΙΑΣ
ΑΜΕΝΙΤΟΣ	ΧΑΙΡΕΣΤΡΑΤΟΣ	ΣΙΛΑΝΟΣ
ΗΙΠΠΟΝ	ΜΝΕΣΙΚΛΕΣ	ΑΙΣΙΜΙΔΕΣ

ΠΥΘΟΔΟΡΟΣ . . . . . . ΣΟΣΙΜΑΧΟΣ

ΗΑΓΝΟΣΤΡΑΤΟΣ . . . . . ΠΡΟΜΑΧΟΣ

. . . . . ΜΑΣΟΣ . . . .

. . . .

V. Quod ad pulcherrimae, praeſtantiſſimaeque Inſcriptionis huius aetatem attinet, illam Cl. Maffeius ad Peloponneſiaci Belli tempora ſpectare credidit, quod iis nimirum temporibus Athenienſes in Aegypto, ſimulque in Cypro, ad Halieas, in Aegina, & Phoenicia dimicaverint, ut Thucydides [1], ſimulque Plutarchus [2] etiam teſtatur. Atque optime ille quidem, feliciterque coniecit de iisdem omnino bellis in Marmore hoc agi, quae tum a Thucydide, tum a Plutarcho memorantur: ſed illa tamen ante Peloponneſiaci Belli tempora, Cimone adhuc ſuperſtite, contigerunt: cum Cimon ipſe Pediaeo Athenis Archonte, hoc eſt anno 4. Olymp. LXXXII. e vivis exceſſerit [3]; Peloponneſiacum vero Bellum anno 1. Olymp. LXXXVII. exarſerit. Itaque verum Aegyptiaci, Aeginenſis, Halienſis, ſimulque Megarenſis belli tempus, adeoque Marmoris huius aetas ex ſolo Diodoro deduci poterit, qui Libro XI. c. 78. Athenienſium victoriam ad Halieas contra Corinthios, ſimulque victoriam aliam contra Aeginetas contigiſſe memorat *Philocle* Athenis Archonte anno 2. Olympiadis LXXX.: quemadmodum Megarenſe bellum anno ſequenti deſcribit, cum de Aegyptio, Phoenicio, Cyprioque bello anno 1. eiusdem Olympiadis LXXX. diſſeruiſſet. Lyſias quoque in Oratione XXXI. bella commemorat, quae uno, eodemque tempore in Aegina, Aegypto, & Megara geſta ſunt; Myronidemque in Megarenſi bello Athenienſium ducem fuiſſe dicit. Accuratior tamen Thucydides, quippequi aetatem illam proxime attigerat, diſerte docet quod in Aegypto quidem, Cypro, & Aegina ſaepius, variiſque etiam annis pugnatum fuit; ſed aliquando tamen uno eodemque anno Athenienſes in *Cypro* primum, tum in *Aegypto*, deinde ad *Halieas*, mox in *Aegina*, tandemque in *Megarae* finibus dimicarunt; ideoque in recenſendis Athenienſium bellis Thucydides cum Mar-

(1) Lib. I. (2) In Cimone. (3) Diodor. Lib. XII. c. 4.

Marmore mirifice conspirat. Itaque iam nullus dubitandi locus supererit quin, si Megarense bellum, quod omnium postremum exarsit, ut ex Diodoro, Thucydide, simulque Marmore apparet, ad annum 3. Olympiadis LXXX. referri debeat, Marmor ipsum hoc anno, ut putavit Bimardus [1], vel sequenti potius, si mavis, excitatum fuerit. Eximia quoque Marmoris huius antiquitas exinde facile deduci poterit, quod in illo duae vocales longae H, & Ω minime occurrant: quippequae solum anno 4. Olymp. XCIV. *Euclide* Athenis Archonte adhiberi consueverint, ut diserte Plutarchus [2], Suidas [3], Syrianus [4], aliique plurimi [5] demonstrarunt; atque vicissim ex antiquissimo hoc Marmore clarius, & illustrius adhuc ostendi potest. Illud etiam hic obiter observasse iuverit, quod Cl. Maffeius postremas Tituli voces . . . . ΜΕΓΑΡΟΣ

ΕΝ ΤΟ ΑΥΤΟ ΕΝΙΑΥΤΟ

. . . . ΤΕΓΟΝ

ita coniungendas esse putavit, ut legendum foret *Μέγαρος ἐν τῷ ἀυτῷ ἐνιαυτῷ Στρατηγῶν*: ut nempe exprimatur Megarum hoc ipso anno, quo praelium in Cypro, in Aegypto, in Phoenicia, in Halieis, & in Aegina contigerat, Strategum fuisse. Ego vero, doctissimi Viri pace, coniecturam illam minus accuratam esse putaverim. Siquidem primo non modo Thucydides, sed Diodorus etiam aperte docet quod Cimon in Cypro, in Aegina Leocrates, in Megara Myronides Strategus fuit; atque in ipso Marmore diserte legitur quod in Aegypto Strategus fuit Hippodamas; ideoque Megarus ille nulla ratione *στρατηγῶν*, sive *στρατηγὸς Strategus* haberi poterit. Deinde vero perspicua Tituli series ostendit quod voces illae *ἐν τῷ ἀυτῷ ἐνιαυτῷ eodem anno* non ad Strategum, quicumque ille fuerit; sed ad *ἀπέθανον, interierunt*, sive ad occisos milites referri debent; ut nempe exprimatur quod illorum singuli variis quidem in locis, sed uno tamen eodemque anno pro Patria perierunt. Denique, cum in Cypro, Aegypto, Phoenicia, Halieis, Aegina, simulque tandem Megara pugnatum fuerit, verisimile est certe in Inscriptionis titulo Megaram

X 2 quo-

(1) Differt. I. apud Murat. (2) In Aristide init. (3) In Samiorum Populus. (4) Comment. in Hermogen. (5) Vid. Meurs. de Fortun. Athen. & de Arch. Ath. Lib. III. c. 17. & Apostol. Cent. XVII. Prov. 25.

quoque, aliarum omnium regionum instar, expressam fuisse; ideoque soli quadratarii vitio tribuendum putaverim quod hic in Marmore non εν Μεγαροις, vel Μεγαροις, vel Μεγαροι, sed vitiose Μεγαρος insculptum fuerit. Certe Bimardus in Marmore non Μεγαρος, sed Μεγαρο . . , ultimis nimirum literis extritis, aut evanescentibus scriptum asserit, ideoque legendum esse putavit Μεγαροιστε; optimeque Inscriptionis titulum latine reddidit

Ex Tribu Erechtheide
Hi in bello ceciderunt in Cypro, in Aegypto, in Phoenice, in Haliensibus, in Aegina, & Megaris eodem anno

minus vero feliciter, accurateque doctissimus Muratorius titulum ipsum expressit *in maritimis navigationibus, in Aegina Megarae*; atque in subiectis adnotationibus observavit fortasse *in Eleusi* vertendum esse: cum *Halieis* certe neque maritimas expeditiones, neque Eleusim, sed Halieas solum Laconicae Urbem exprimant.

VI. Sed Marmoris aetate iam definita, simulque demonstrata ipsius cum Thucydide, aliisque Scriptoribus consensione, nunc Tribuum Atheniensium series, quae in illo contexitur, ostendi debet. *Erechtheidem* hic Tribuum omnium primam esse conspicimus, cui tandem, interiectis tamen lacunis aliquot, in altera Inscriptionis parte, sive Marmorea Tabula succedit *Leontis*. Leontidem proxime sequitur *Acamantis*: deinde *Oeneis*, mox *Cecropis*; denique *Hippothoontis*; cumque Sponius in altera Marmoris parte, quam ipse Athenis exscripserat, quaeque Lutetiae desideratur, *Pandionidem*, moxque Leontidem Tribum recensitas esse fateatur, *Pandionis* ipsa ante Leontidem proxime collocari debet; ideoque ex praestantissimo hoc Marmore ita Tribuum illarum series contexi debet, ut *Erechtheis* quidem omnium prima sit; tum continua, neque interrupta serie *Pandionis*, *Leontis*, *Acamantis*, *Oeneis*, *Cecropis*, *Hippothoontis* recenseantur: quae sane Tribuum series cum altera mirifice conspirat, quam ex superiori Demosthenis, atque Etymologi testimonio a me constitutam esse iam dixeram. Quod si in diffracto, exesoque Marmore *Aegeis*, *Aeantis*, ac *Antiochis* exciderunt, perspicuum est tamen quod

Tri-

Tribus illae post Erechtheidem ante Pandionidem; sive post Hippothoontidem constitui debent; ideoque Tribuum aliarum seriem tum ex Demosthene, atque Etymologo, tum etiam ex Marmore constitutam perturbare non possunt; cumque in septem Tribuum ordine designando Marmor ipsum cum Demosthene, atque Etymologo accuratissime consentiat, dubitari certe non poterit quin in evanidis etiam Marmoris laciniis, fragmentisque tres aliae Tribus eodem prorsus ordine insculptae olim fuerint, quem in Etymologo, & Demosthene observatum esse conspicimus. Ergo Olympiade LXXX. Tribuum Atheniensium series omnino constans esse debuit; idemque prorsus illarum ordo ad Demosthenis etiam aetatem pervenit; ut proinde Olymp. CX. Orator ille Tribus omnes eadem serie recensere potuerit, qua in eximio, pulcherrimoque hoc Marmore recensitae iam fuerant.

VII. At neque Demosthenis solum aetate vetus illa Tribuum Atheniensium series, qualis in antiquissimo hoc Marmore exprimitur, atque olim a Clisthene instituta fuerat, constans, atque eadem servata fuit; sed additis etiam novis Tribubus semper eadem, secus ac Dodvellus existimavit, accuratissime perseveravit; ut ex altera Inscriptione conspicitur, quam Sponius ipse Athenis exscripsit, ac in Itiner. Tom. III. Pag. 45. edidit. Siquidem in ipsa veteres illae Tribus X. eodem prorsus ordine recensentur, qui in Demosthene, Etymologo, superiorique Inscriptione observatur; nisi quod *Ptolemais* inter Leontidem, & Acamantidem collocatur; *Hadrianis* vero inter Acamantidem ipsam, atque Oeneidem inseritur; *Attalis* denique post Antiochidem omnium postrema conspicitur . . . .

. . . . ΟΤ ΠΑΛΛΕΝΕΩΣ ΑΝΕΓΡΑ

ΨΕΝ . . . . Π ΑΤΤΩ ΕΦΗΒΕΤ

ΣΑΝΤΑΣ . . . ΣΟΣ ΠΑΛΛΗΝΕΤΣ

ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ

. . . . ΝΟΣΟ ΚΑΙ ΕΛΕΤΣΕΙΝΙΟΣ

ΚΗΦ

. . ΝΙΟΣ

. . ΝΙΟΣ Ο ΚΑΙ ΠΑΙΔΕΣ	ΛΟΥΣΙ
. . . . ΟΣ	ΚΗΦ
. . . . ΡΟΣ ΕΥΠΟΡΟΥ	ΚΗΦ
. . . ΤΗΤΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ	ΛΑΜ
. . . . ΑΩΝΙΟΣ ΣΟΦΟΥ	ΚΗΦ
. . . . ΙΛΙΟΣ ΕΝΓΟΝΟΥ	ΚΗΦ
. . . . ΙΓΕΝΗΣ ΘΑΛΛΟΥ	ΦΗΓ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΟΝΗΣΙΜ.	ΚΗΦ
. . . . ΗΣ ΞΟΠΥΡΟΥ	ΕΚΚΗ

ΑΙΓΕΙΔΟΣ.

. . ΘΟΚΛΗΣ ΑΤΤΙΚΟΥ	ΓΑΡ
. . ΝΕΡΗ ΚΟΥΡΙΑΝΟΣ	ΓΑΡ

ΠΑΝΔΙΟΝΙΔΟΣ.

ΑΦΡΟΔΕΙΤΟΣ ΑΦΡΟΔΕΙ	ΣΤΕΙ
ΑΛΟΥΚΙΟΣ	ΑΓΓΕ
. . ΤΑΒΙΟΣ ΕΛΠΙΝΕΙΚΟΥ	ΜΥΡΙ
ΕΛΠΙΝΕΙΚΟΣ	ΜΥΡΙ
ΜΟΥΣΩΝΙΟΣ ΠΡΟΞΕΝ	ΣΤΕΙ
. . . ΓΕΝΗΣ ΣΠΟΡΟΥ	ΚΥΔΑ
. . . . . ΕΣΟΣ	ΚΥΘ

ΛΕΩΝΤΙΔΟΣ

. . . .	ΕΞΟΙ
. . . .	ΕΞΟΙ
. . . .	ΕΞΟΙ
. . . .	ΠΑΙΟ
. . . . ΙΜΟΡΚΑ	ΛΕΥΚ

. . . ΙΛΗ.

. . . . ΙΑΗΤΟΥ	ΕΥΠΥ
. . . .	ΕΞΟΙ

ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΟΣ

. . ΩΝ	ΦΛΥ
. . . . ΟΣ ΗΡΑΚΛΕΩ	ΦΛΥ
. . . . ΔΩΡΟΣ ΑΡΤΕΜΩ	ΦΛΥ
. . . . ΝΔΟΣ ΡΗΤΟΡΙΧΟΥ	ΒΕΡ

ΑΚΑΜΑΝΤΙΔΟΣ

. . . . ΜΑΣ ΠΡΟΣΔΕΚΤΟΥ	ΚΕΦ
. . . . ΑΤΤΙΚΟΣ	ΠΟΡΙ
. . . . ΑΜΟΝΟΣ ΜΟΣΧΟΥ	
. . . . ΤΣΟΔΩΡΟΣ ΜΟΣΧ	

ΑΔΡΙΑΝΙΔΟΣ

ΕΥΠΟΡΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ	ΒΗΣ
ΖΩΣΙΜΟΣ ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ	ΒΗΣ
ΗΔΙΑΝΟΣ	ΦΗΓΑ
ΜΗΝΑΝΔΡΟΣ ΗΔΙΑΝΟΥ	ΦΗΓ
ΡΑΔΙΝΟΣ	ΩΑΘ
ΑΓΑΘΟΠΟΥΣ ΕΙΣΙΔΩΡ.	ΑΦΙ
ΝΕΙΚΗΦΟΡΟΣ ΓΛΥΚΩΝΟΣ	ΒΗΣ

ΟΙΝΕΙΔΟΣ

ΧΑΡΙΤΩΝ ΦΙΛΗΤΟΥ	ΑΧΑΡ
ΓΑΡΓΗΤΤΙΟΣ ΦΙΛΗΤΟΥ	ΑΧΑΡ
ΑΙΛ. ΦΙΛΩΝΙΔΗΣ	ΑΧΑΡ
ΣΤΡΑΤΩΝ ΟΡΘΑΓΟΡΟΥ	ΦΙΛΑ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΦΙΛΟΣΤΡΑΤ	ΑΧΑΡ

ΚΕΚΡΟ.

ΚΕΚΡΟΠΙΔΟΣ

ΦΙΛΕΜΩΝ	ΤΡΙΝΕ
ΙΣΙΔΟΤΟΣ ΦΙΛΗΜΟΝΟΣ	ΤΡΙΝΕ
ΕΥΟΔΙΑΝΟΣ	ΑΙΞΩ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΣΤΕΦΑΝΟΥ	ΕΠΙΕΙΚ
ΖΩΣΙΜΟΣ ΠΟΛΥΚΤΗΤΟΥ	ΜΕΛΙ

ΙΠΠΟΘΟΩΝΤΙΔΟΣ

ΠΙΣΤΟΚΡΑΤΗΣ ΠΙΣΤΙΚΟΥ	ΠΕΙΡ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΓΕΝΕΘΛΙΟΥ	ΠΕΙΡ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΙΣΙΔΟΤΟΥ	ΕΚΚΟΙ
ΕΡΜΕΙΑΣ ΖΩΣΙΜΟΥ	ΠΕΙΡ
ΦΙΛΟΚΡΑΤΗΣ ΓΕΝΕΘΛΙΟΥ	ΠΕΙΡ

ΑΙΑΝΤΙΔΟΣ

ΚΛ. ΕΛΕΝΟΣ	ΜΑΡΑ
ΙΟΥΛ. ΑΓΡΙΠΠΑ	ΜΑΡΑ
ΑΥΡ. ΛΥΚΟΥΡΓΟΣ	ΜΑΡΑ
ΚΡΑΤΩΝ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ	ΦΑΛΗ
ΑΡΙΣΤΩΝ	ΨΑΦΙ

ΑΝΤΙΟΧΙΔΟΣ

ΚΛ. ΡΟΥΦΕΙΝΟΣ	ΠΑΛ
ΠΟΜΠΗΙΑΝΟΣ ΕΥΝΟΜΟΥ	ΠΑΛ
ΕΡΜΕΙΑΣ ΚΛΕΩΝΥΜΟΥ	ΦΥΡΝ
ΦΙΛΩΝ	ΙΤΕΑ

ΑΤΤΑΛΙΔΟΣ

ΓΟΡΓΙΑΣ ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ	ΣΟΥΝ
ΜΟΣΚΟΣ ΚΟΡΝΗΛΙΑΝ	ΑΓΝ
ΒΑΚΧΥΛΟΣ ΕΥΚΑΡΠΟΥ	ΑΠΟΛ

VIII. Exi-

VIII. Eximiam quoque Inſcriptionem aliam ex hibet Sponius in Itinerario Tomo III. ad Pop. Attic. pag. 1 6 0. quae tamen, cum pluribus in locis mutila, atque exeſa fu erit, trium tantummodo Tribuum Athenienſium nomina conſer vavit, quarum Tribuum ſingulae plures Athenienſes Cives, ac Ephebos, ſuperioris Inſcriptionis inſtar, complectebantur: ut proinde illorum pleroſque omittendos hic eſſe putaverim.

. . . .

ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΟΣ

ΔΙΟΔΩΡΟΣ ΣΥΜΜΑΧΟΥ

ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΣΥΜΜΑΧΟΥ

*

ΑΚΑΜΑΝΤΙΔΟΣ

ΣΩΤΑΣ

ΕΥΤΥΧΙΑΝΟΣ ΣΩΤΟΥ

*

ΑΔΡΙΑΝΙΔΟΣ

ΕΡΜΕΙΑΣ ΕΙΣΙΔΩΡΟΥ

ΑΙΓΥΡΟΣ ΑΝΘΟΥ

. . . . . ΑΝΘΟΥ

. . . .

In hac ipſa quoque Inſcriptione omnium breviſſima, quae vel Hadriani Caeſaris aetate, vel certe brevi poſt Hadrianum ipſum Athenis poſita fuit, idem omnino *Ptolemaidis*, atque *Hadrianidis* Tribus ſitus conſpicitur, qui in ſuperiori Inſcriptione obſervatur; ut nimirum illarum altera Acamantidem proxime praecedat, altera vero poſt Acamantidem ipſam proxime ſequatur: quo Dodvelli coniecturam perſpicue refelli poſſe iam diximus.

IX. Denique illuſtrandis Athenienſium Tribubus, illarumque ordini ſuperius a me conſtituto clarius adhuc, & uberius confirmando eximiam Inſcriptionem aliam ſubieciſſe iuverit, quae Florentiae in Riccardianis Aedibus obſervatur; ut illa variis

in locis mutila, ac depravata plurimam viciſſim lucem ex ſuperioribus Inſcriptionibus aliis accipiat; atque ipſa in primis Athenienſium Tribuum ſeries, quae in illa mirifice perturbata fuerat, accurate reſtituatur. Poſt Montfauconium, qui exiguam ipſius partem primus exſcripſerat, ut mox oſtendetur, integram illam exhibuit Cl. Gorius Tomo I. pag. 108. num. 86. atque ex Gorio Muratorius Titulum, ſimulque ſiniſtram, ſanioremque ipſius partem edidit in Novo Inſcriptionum Theſauro Pag. 600. Iterum tamen illam ex ipſo Marmore mihi deſcribendam eſſe putavi; eamque proinde cum laciniis illis, ac lacunis exhibeo, quae nunc in Marmore conſpiciuntur; niſi quod tertium Tituli verſum, in quo imperii anni memorantur, Montfauconii, Goriique fide integrum prorſus hic profero, quamvis in priori ipſius parte characteres aliqui exciderint, aut vitiati fortaſſe fuerint. Ita nimirum verſus ille nunc legitur . . . . ΕΣΕ . . ΑΣ ΤΟ . . ΕΙΚΟΣΤΟΥ ΕΒ . . . quemadmodum in duobus verſibus illis, qui proxime ſubiiciuntur, perſpicui characteres, ac voces illae nobis occurrunt, ex quibus nullus omnino ſenſus exſculpi poterit: ut non immerito fortaſſe ſuſpicari quis poſſit ab imperito quadratario, veteres, evanidoſque literarum ductus ita renovatos fuiſſe, ut novam in ipſis, alienamque ſubinde formam induxerit. Nihil eſt autem cur in exeſis, vitiatiſque fortaſſe laciniis illuſtrandis, aut ſupplendis hic immorer: nonnullas ſolum voces in ſubiectis adnotationibus coniectura reſtituam, ſimulque diſſidium illud oſtendam, quo Cl. Gorii exemplar aliquando a Marmore, atque a ſubiectae Inſcriptionis facie differre conſpicio.

Hic inſerenda Tabula Riccardianam Inſcriptionem exhibens.

X. Inſcriptionem illam primus, ut opinor, exſcripſit Montfauconius [1] dum adhuc illa reperiebatur *in Villa Riccardi ad pomaeria Urbis*; ejuſque formam his verbis expreſſit = *Eſt ibidem ceu Turriculae marmoreae fragmentum, quae cum integra conſiſteret, quatuor circiter pedes a diametro habuit. Ab interiori parte inſculpta erat nominibus Athenienſium ita eraſis, ut pauciſſima expiſcari potuerim: ſic autem incipit Inſcriptio*

ΘΕ-

(1) Diar. Italic. Pag. 361.

tur, integram illam exhibuit Cl. Gorius Tomo ...
num. 86. atque ex Gorio Muratorius Titulum, simulque si-
nistram, sanioremque ipsius partem edidit in Novo Inscriptio-
num Thesauro Pag. 600. Iterùm tamen illam ex ipso Mar-
more mihi describendam esse putavi; eamque proinde cum la-
ciniis illis, ac lacunis exhibeo, quae nunc in Marmore con-
spiciuntur; nisi quod tertium Tituli versum, in quo imperii
anni memorantur, Montfauconii, Goriique fide integrum pror-
sus hic profero, quamvis in priori ipsius parte characteres ali-
qui exciderint, aut vitiati fortasse fuerint. Ita nimirum ver-
sus ille nunc legitur .... ΕΣΕ .. ΑΣ ΤΟ .. ΕΙΚΟΣΤΟΥ ΕΒ ...
quemadmodum in duobus versibus illis, qui proxime subiici-
untur, perspicui characteres, ac voces illae nobis occurrunt,
ex quibus nullus omnino sensus exsculpi poterit: ut non im-
merito fortasse suspicari quis possit ab imperito quadratario,
veteres, evanidosque literarum ductus ita renovatos fuisse, ut
novam in ipsis, alienamque subinde formam induxerit. Nihil
est autem cur in exesis, vitiatisque fortasse laciniis illustran-
dis, aut supplendis hic immorer: nonnullas solum voces in
subiectis adnotationibus coniectura restituam, simulque dis-
sidium illud ostendam, quo Cl. Gorii exemplar aliquando a
Marmore, atque a subiectae Inscriptionis facie differre con-
spicio.

Hic inserenda Tabula Riccardianam Inscriptionem exhibens.

X. Inscriptionem illam primus, ut opinor, exscripsit Mont-
fauconius [1] dum adhuc illa reperiebatur *in Villa Riccardi ad*
pomaeria Urbis; ejusque formam his verbis expressit = *Est ibi-*
dem ceu Turriculae marmoreae fragmentum, quae cum integra
consisteret, quatuor circiter pedes a diametro habuit. Ab inte-
riori parte insculpta erat nominibus Atheniensium ita erasis, ut
paucissima expiscari potuerim: sic autem incipit Inscriptio
ΘΕ-

(1) Diar. Italic. Pag. 361.

.. ΦΙΛΟΣ ΔΙΟΣΚΟΥΡιδου
διοσκΟΥΡΙΔΗΣ) ΜΕΛιτευς
ποσειΔΩΝΙΟΣ) ΜΕΛΙτευς.
.... ΙΩΝ ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΟΥ (1)
.... ΣΙΜΑΧΟΣ ΠΙΤΘΕΥσ (2)
ιπποθοΩΝΤΙΔΟΣ
.... ΙΟΣ ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ Π...
.... ΙΟΣ) ΚΟΠΡΙΟΣ
αιαντιδΟΣ Σ
..... ΟΣ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟ
.... ηΡΑΚΛΕΩΝΟΣ (3)
.... Σ ... ΙΑ
.. αγΑΘΩΝΟΣ Α .....
. αγαΘΩΝΟΣ Α (4)
.... ΙΣΙΟΥΑΛ (5) ....
.... ΛΛΩ ....

:ΟΤΙ ΣΟΕΟΥΑΛΙ ... ΟΥ .
ΙΣ ΑΟΜΝΑΣ Ι: (6) ΑΗ ..Α
ΗΤΗΣΣΩ (7) ......
Ε ΤΙΑ..Ε ΝΟΚ ....
ΓΡΑΨΕΝ τοΤΣ ΥΠΑυτω
εΦΗβΟΜΣ (8) . .
ΠΩ ... ΟΣ ... ΙΤ (9) ..
Ν .. Σ .. Ν ... ΟΣΜ ...
... ΠΤ .. ΙΟΘΕΝΙΗΠ .
.... ΣΠΑΛ ...
...... Π .. Σ ...
. Η ....
.... ΠΑ ...
.... ΝΙΟ ..
....

(1) Vid. Differ. V. in Pop. Attic. Art. 109. (2) Gorius ΠΥΤΟΣΥ. (3) Gorius ...
(5) Gor. ... ΞΙΣΙΟΥ .. ΑΛ ... (6) Gor. ΙΣΛΟΗΝΑΣΠ ... fortasse leg...
character ita formatur M. (7) Gor. ΗΤΗΣΕΩ ... (8) Gor. .. ΦΙ .. ΟΛΙΣ ...
omittitur. (10) Gor. ΕΡΜΕΡΟΣ. (11) Gor. ΠΑ .. (12) Gor. ΦΕΙΛ ...
exscriptus nunc tectorio superinducto prorsus evanuit.

ae
esaris
Antonini
septimo
. . .
. . .
. . .
. . *in* .
sub ipso
. . .
. . . .

Erechtheidis
Epictetus Sybrides
Themison Cephisieus
Euporus Pergasethus
Paranomus Dionysii Ch.
Hyginus Glauci
Aegeidis
Artemon Gargettius
Heros Smaragdi A
Athenodorus Estiaei
Athenodorus Hermeri
Pandionidis
Asclepiades Paeaniensis
Leontidis
Callimachus Phidiae
Bacchius ex Oeo
. . . *metrius* . . . *thonius*
. . . .

ΘΕΟΙΣ ΤΥΧΗ

ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ ΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ

ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ ΣΥΒΡΙΔΗΣ ΙΛΙΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΑΝΤΟΝΕΙΝΟΥ

ΘΕΜΙΣΩΝ ΚΗΦΕΙΣΗΙ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΤΟΥ ΕΙΚΟΣΤΟΥ ΕΒΔΟΜΟΥ

ΕΥΠΟΡΟΣ ΠΕΡΓΑΣΗΘ

ΠΑΡΑΝΟΜΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ

Alia quaedam ſuperſunt hinc inde, ex quibus nihil notitiae eruitur. Τῦ εἰκοςῦ ἑβδόμυ vigeſimi ſeptimi *caveſis putes haec de Imperii annis dici; non enim tandiu imperavit Antoninus Pius: ſed ea ex ſequentibus iam amotis lucem accipiebant.* Mutilam, & informem hanc Inſcriptionis laciniam, qualis in Montfauconio conſpicitur, exhibere volui, ut facile intelligatur varias illas Turriculae, vel Inſcriptionis partes tunc alio prorſus ordine collocatas fuiſſe dum illas Montfauconius exſcriberet, quam qui nunc in Marmore ad Mediceas olim, nunc Riccardianas, Aedes translato conſpicitur; ut vera proinde Tribuum ſeries, quae in Marmore deſcripta olim fuerat, in tranſferendo, diſponendoque Marmore mirifice perturbata fuerit. Ac certe, quamvis doctiſſimus Vir ille putaverit quod ex ſuperſtitibus hinc inde nominibus nihil notitiae eruatur, verum tamen Tribuum ordinem exinde inferri, vel confirmari poſſe contendo; ſi modo Marmoris partes rite diſponantur; plurima, quae obſcura vel perplexa forent, feliciter explicentur; ac nomina plerumque evanida ſuppleantur.

XI. Atque, ut ab ipſa Marmoris aetate exordiar, optandum maxime fuerat ut quemadmodum Montfauconius hic optime exiſtimavit *τῦ εἰκοςῦ ἑβδόμυ vigeſimi ſeptimi* de imperii annis, quibus Antoninus ipſe imperavit, intelligi non poſſe, cum ille exactis in imperio annis 22. menſibuſque 8. e vivis exceſſerit; ita quoque doctiſſimus Auctor ille rationem etiam aliquam edidiſſet, qua commodus ſenſus aliquis ex Marmoris epocha exſculpi poſſet; ne fortaſſe quis temere ſuſpicaretur in deſignandis imperii annis mirifice in illo peccatum eſſe. Mihi certe nulla hic erroris ſupicio ſuboritur, cum & annorum numerus non ſimplici charactere, vel literis, ut plerumque fieri conſpicimus; ſed integris potius vocibus diſerte

exprimatur; & Antonini Caesaris epocha Atheniensibus omnibus quamquae maxime perspecta fuerit, quippequi, Hadriani Caesaris instar, plurima Athenis munificentiae, & amoris monumenta excitaverit: ut in hac quoque veteri Inscriptione conspicitur [1]; quae, quamvis a Grutero Mediolani extare dicatur, ideoque a plerisque ad Ligusticas Athenas Stephano memoratas referri consueverit, a Sponio tamen in Arcu quodam ad Anchesmi montis radices reperta fuit, adeoque ad Athenas Atticas spectasse debet.

IMP. CAESAR T. AELIUS HADRIANUS ANTONINUS AUG. PIUS COS. III. TRIB. POT. II. P. P.
AQUAEDUCTUM IN NOVIS ATHENIS COEPTUM A D. ADRIANO PATRE SUO CONSUMMAVIT DEDICAVITQUE.

Itaque, si conjecturis hic locus aliquis esse potest, neque mea me fallit opinio, annos illos imperii, qui hoc in Marmore designantur, non ab Antonini Pii, sed potius ab Hadriani Caesaris initio supputandos esse putaverim. Audacior fortasse conjectura ejusmodi, paulloque liberior videri poterit; sed illam tamen eruditis viris probari posse confido. A pluribus certe, peritissimisque Scriptoribus observatum esse conspicio quod in plerisque Nummis, qui in Caesaris alicujus honorem in Oriente cusi sunt, ita constanter imperii anni numerantur, ut illorum initium ab anno, vel tempore deducatur, non quo Caesar ipse regnare caepit, sed quo imperium in ejus gentem, sive familiam translatum fuit; ut illo proinde annorum numero, qui in Nummis exprimitur, non Caesaris ipsius, sed familiae potius imperantis epocha designetur. Sic, ut exemplo res clarior fiat, in Neronis Nummo *decimus octavus* imperii annus notatur, atque in altero *vigesimus primus*; cum tamen ille 14. solum annis imperaverit. At initio ducto a Claudio Caesare, qui imperium in *Claudiam* gentem invexit, perspicue apparet primum ex Nummis illis *quinto* Neronis anno, alterum vero *octavo* cusum fuisse. Ita quoque Commodi Caesaris Nummus servatur, in quo *trigesimus secundus* imperii annus exprimitur, quamvis ille 20. solum annis imperaverit: quod nimirum annorum numerus a

M. Au-

(1) Gruter. Pag. 177. & Scalig. ad Euseb. Chr. num. 2147.

M. Aurelii Caeſaris initio deducatur, qui primus ex *Aurelia* gente imperium obtinuit. Itaque, ſi annorum ſupputandorum ratio, quae in Nummis illis uſurpata conſpicitur, in Marmoribus etiam aliquando obtinuit, ut hoc illuſtri, ſimulque tamen, quod noverim, unico exemplo ſuaderi poſſe videtur, perſpicuum fiet imperii annos hic in Marmore deſignatos ab Hadriani Caeſaris initio numerandos eſſe, qui primus imperii dignitatem anno 4. Olymp. CCXXIII. vel V. C. 870. in *Aeliam* gentem invexit; ideoque cum Hadrianus ipſe 22. annis regnaverit, morienſque imperium Antonino Pio reliquerit, annus ille *vigeſimus ſeptimus* cum *ſexto* Antonini Caeſaris anno concurret; ſive anno 2. Olymp. 230. V. C. 896. & a Chriſto nato 143. quo Marmor ipſum Athenis excitatum eſſe videtur. Fruſtra nimirum Cl. Muratorius temporis characteres ita diſtinguendos eſſe putavit ut *ἐικοςῷ vigeſimo*, annus imperii, atque *ἑβδόμῳ ſeptimo*, menſis numerus exprimeretur; ac Montfauconius certiorem aliam Marmoris epocham ex evanidis illis, omninoque exeſis ipſius laciniis exſculpi potuiſſe exiſtimavit. Etenim, niſi plurimum fallor, ex ipſo Marmore, quamvis integrum adhuc foret, nulla temporis nota exſculpi poſſet, cum ſola Athenienſium nomina Marmori inſcripta fuiſſe videantur, qui certo quodam anno Archontis Eponymi nomine, quod prorſus interiit, deſignato in Epheborum album relata fuerunt: ut facile ex laciniis illis inferri poteſt, ſi cum Inſcriptionibus aliis conferantur, quarum exempla plura Diſſertatione XI. proferentur. Sic in Inſcriptione poſita Num 14. legitur *ἀνέγραψεν τὃς ὑπ᾽ ἀυτῷ ἐφηβευσάντας*; nec ullus dubito quin hic quoque reſtitui, legique debeat ανεΓΡΑΨΕΝ τοΥΣ ΥΠΑυτω εΦΗβους, ut longa nominum adhuc ſuperſtitum ſeries, & ipſa Tribuum diſtinctio demonſtrat, quarum ſeries, & nativus ordo mihi nunc oſtendendus occurrit.

XII. Itaque in hac pulcherrima, ſimulque mirifice corrupta Inſcriptione lacunas illas, in quibus integra Virorum nomina exciderunt, nihil moror; quippequae facile aut conjectura, aut aliarum Inſcriptionum praeſidio, aut ſuperſtitum adhuc literarum indicio ſuppleri poſſint, ut optime nonnulla a Cl. Gorio ſuppleta iam fuerant. Ea ſolum loca vel reſtituere, vel emendare enitar, ex quibus integra, vel accurata Tribuum Athenienſium ſeries oſtendi poſſit; cum plurima

rima

rima certe in ipsa Inscriptionis facie plerisque fraudi esse possint. Ita, cum *Cecropis* Tribus in dextera Marmoris parte, sive initio, primoque loco posita conspiciatur, illa omnium quoque prima censeri facile posset, ut longe post ipsam *Erechtheis*, *Aegeis*, aliaeque, quae in sinistra, saniorique Marmoris parte recensentur, successerint. Sed hac in parte plurimum deceptus est ille, minusque accuratis imposuit, qui tria Marmoris unius, vel Inscriptionis fragmenta sic in pariete disposuit ut illam Inscriptionis partem, quae omnium prima, sive suprema fuerat, in medio collocaverit: duasque reliquas ita seiunxerit, ut quae supremae proxima, sive secunda esse debuit, sinistram parietis partem occuparet; omniumque postremam Marmoris, vel Inscriptionis partem in dextera, primaque parietis parte collocaret. Ac certe quod illa Inscriptionis pars, quae in Marmore media conspicitur, supremum olim, primumque locum obtinuerit, perspicue satis ostendit & titulus, & Antonini Caesaris nomen, & annus, & Archontis denique nomen, quod aliarum eiusmodi Inscriptionum instar, quarum exempla Dissertatione XI. proferentur, hic esse debuit, temporisque iniuria prorsus evanuit. Quod vero proxime non dextera, sed sinistra potius Inscriptionis pars supremae successerit, non modo ex veteri ipsius ordine, quem Montfauconius exscripserat, sed exinde quoque colligitur, quod in Marmoribus aliis Hadriani Caesaris aetate, vel certe brevi post ipsam, *Erechtheis* omnium prima memoretur: nec *Cecropis* ipsa hic omnium prima esse potuerit cum ante Cecropidis nomen alia nomina insculpta iam fuerint, ut superstitum adhuc literarum vestigia demonstrant. Itaque in hac Tribuum serie *Erechtheis* omnium prima esse debuit; cui succedit *Aegeis*, tum *Pandionis*, inde *Leontis*: omnino ut in Demosthene, Etymologo, & superioribus etiam Inscriptionibus aliis conspicitur. Hinc. . . . ακχιος ille, qui ἐξ Οἰ . . . fuisse dicitur, ad Οἶον Κεραμικὸν *Oeum Ceramicum* Leontidis Tribus Populum spectasse debuit, ut in altera quoque superiori Inscriptione observatur. Cavendum est autem ne in proxime subiecta linea, ubi lacerae voces illae supererant μητρ.. θονιος, legatur Μαραθώνιος. Siquidem Marathon non ad Leontidem Tribum, sed ad Aeantidem potius spectavit, ut contra Stephanum, ac Meursium sequenti Dissertatione opportunius

nius ostendam. Interim vero observasse iuverit quod in hoc ipso Marmore Marathon in dextera parte sub alia Tribu collocatur. Leontidi succedere debuisset Antonini Caesaris aetate, qua Marmor sculptum fuit, *Ptolemais*, inde *Acamantis*, tum *Hadrianis*, mox *Oeneis*; sed quatuor illae Tribus in Marmore omnino exciderunt; ut neque illarum, neque Pagorum, quae ad ipsas spectaverint, nomina nobis occurrant. Oenidi vero Tribui succedere debuisset *Cecropis*, quae quidem in dextera Marmoris parte nobis occurit; simulque *Melite*, & *Pytthus* Atticae Populi recensentur. Ac Pytthus quidem perspicue ad Cecropidem Tribum spectavit; Melite vero, quamvis a Stephano Aegeidi Tribui adscribatur, in Harpocratione tamen, Suida, & altera Sponii Inscriptione superius exposita Cecropidi potius tribuitur. Sequitur in Marmore lacinia ... ωντιδος; nec ullus hic dubito quin integrum nomen hic fuerit Ιπποθοωντιδος; ideoque Cecropidi proxime successit *Hippothoontis*, prorsus ut in Demosthene, Etymologo, aliisque Marmoribus observatur. Dionysius autem ille, vel quicumque demum is fuerit, Artemonis filius, cuius Pagus unica initiali litera Π indicatur, Πειραιεὺς fortasse fuit, cum Piraeeus ad Hippothoontidem certe Tribum spectaverit. Si in proxime subiecta linea, ubi Κοπριος legitur, Pagus expressus fuerat, non alius ille fortasse fuit quam Κρώπη; ut proinde Κρωπίδης legendum sit. Quamvis enim Κρώπη ad Leontidem Tribum spectaverit; aucta deinde, variataque Tribuum divisione, ad Hippothoontidem Tribum migrasse potuit. Suspicor tamen id non Pagi, sed viri potius nomen esse; ideoque vel Κόρπιος, vel Κορπίυ; vel, si magis id libeat, liceatque, Γοργίυ legendum esse; quemadmodum certe in alia quoque Inscriptione, quam ex Sponio [1] ego proferam, ubi Ἀγαθοπυς Γορπίυ reperitur, Sponius ipse legendum putat Γοργίυ. Proxima, omniumque minima lacinia, quae superest, ... ος, perspicue nobis ostendit id alterius Tribus nomen esse oportere; cum alterius profecto Tribus sit Pagus ille, qui mox occurit; nec ad Hippothoontidem ipsam, quae mox praecesserat, referri ille possit. Tribus vero autem ista non alia esse potest quam *Aeantis*; ut proinde lacinia suppleri, vel integrum Tribus nomen ita legi debeat Αἰαντίδος. Quamvis enim

(1) Itiner. ad Pop. Attic, Pag. 162.

enim Marathon, qui sub eiusmodi Tribu repente nobis occurrit, Leontidi a Stephano tribuatur, perspicue tamen ostendam ipsum ad Aeantidem Tribum non sequioribus solum, sed antiquis etiam temporibus spectasse. Iam vero nitide constituta Tribuum illarum serie, quarum nomina vel integra supersunt in Marmore, vel perspicuis certe coniecturis a me restituta sunt, *Antiochis*, atque *Attalis*, aliarum plurium instar, exciderunt, ideoque ex Riccardiano Marmore deprehendi non potest quem ordinem inter se, sive cum superioribus aliis *Ptolemais*, *Acamantis*, *Hadrianis*, *Oeneis*, *Antiochis*, *Attalis* habuerint. Perspicuum est tamen quod Tribus istae aliarum ordinem superius constitutum minime perturbant; atque ipsa Marmoris fracti divisio manifeste nobis ostendit illarum singulas eo loco iampridem in Marmore descriptas fuisse, temporisque iniuria excidisse, quem vera Tribuum series in Demosthene, Etymolgo, aliisque Inscriptionibus expressa postulabat.

XIII. Si quatuor Inscriptiones istae vel inter se, vel cum Demosthene, atque Etymolgo conferantur, nullus omnino dubitandi locus supererit, quin illae mirifice simul conspirent; ut una proinde, eademque Tribuum series ex illis omnibus eruatur, qualis hic expressa conspicitur

1 Demosthenes, & Etymologus	2 Inscr. Maffeiana	3 Sponiana I.	4 Sponiana II.	5 Riccardiana.
1. *Erechtheis*	*Erechtheis.*	*Erech.*	. . . .	*Erechtheis.*
2. *Aegeis*	. . . . .	*Aegeis*	. . . .	*Aegeis*
3. *Pandionis*	*Pan.*	*Pan.*	. . . .	*Pandionis.*
4. *Leontis*	*Leon.*	*Leon.*	. . . .	*Leontis.*
		Ptole.	*Ptolemais*	
5. *Acamantis*	*Acam.*	*Acam.*	*Acamantis*	. . . .
		Hadr.	*Hadrianis*	
6. *Oeneis*	*Oen.*	*Oen.*	. . . .	. . . .
7. *Cecropis*	*Cecr.*	*Cecr.*	. . . .	*Cecropis.*
8. *Hippothoontis*	*Hippo.*	*Hippo.*	. . . .	*Hippothoontis.*
9. *Aeantis*	. . . .	*Aeant.*	. . . .	*Aeantis.*
10. *Antiochis*	. . . .	*Ant.*	. . . .	. . . .
		Att.	. . . .	. . . .

Admi-

Admirabilis autem ille Inscriptionum eiusmodi tum inter se, tum etiam cum eximio illo Demosthenis, atque Etymologi testimonio consensus manifestissime, ut opinor, ostendit quod vera Tribuum Atheniensium series non alia esse potuit, quam quae ex perspicuis eiusmodi, certisque monumentis a me constituta, vel definita iam fuit.

XIV. Exinde vero refelli facile poterit opinio Dodvelli, qui aucto Tribuum numero *novas Tribus Antigonidem*, & *Demetriadem*, *sive Attalidem*, & *Ptolemaidem*, quae in illarum locum suffectae fuerant, *primas in hoc novo ordine fuisse suspicatur* (1); cum in prima Sponii Inscriptione superius exposita *Ptolemais* quinto, *Attalis* vero decimotertio loco nobis occurrat. Refellitur etiam Pollucis (2) sententia, qui prius Attalidem quam Ptolemaidem memoravit; secus ac Hermogenis Scholiastae videbatur, qui prius Ptolemaidem ipsam quam Attalidem nominavit. Hadrianidis etiam Tribus, quam Dodvellus omnino praeteriit, sedes conspicitur; quae non primo, ut fortasse Caesaris dignitas exigere videbatur, sed sexto solum loco constituitur. Postremo intelligitur quod temere prorsus, ac immerito Sponius (3) existimavit nullum omnino certum, constantemque Tribuum ordinem Athenis olim haberi consuevisse; cumque in Marmore, quod Sponius ipse explicandum susceperat, primum Erechtheidi locum concedi vidisset, quem tamen Hippothoontidi Pausanias concesserat, inde collegit Tribuum Atheniensium nomina non in Pausania solum, sed in Marmoribus etiam temere prorsus, fortuito, neque ullo servato illarum ordine, recenseri. Perspicua siquidem monumenta, quae protuli, manifeste demonstrant quod semper olim Athenis certus aliquis, ac omnino constans Tribuum ordo haberi consuevit, quem non Pausanias ipse, sed Marmora potius nobis exhibent, quibus immerito Pausaniae testimonium anteferendum esse Sponius existimavit.

XV. Utinam vero quemadmodum veram Tribuum Atheniensium seriem hactenus ignoratam perspicuis, atque eximiis monimentis illis ostendi, ita proclive nunc foret caussas etiam illas exponere, quae Clisthenem, aut Pythium Apollinem impulerunt, ut Tribus ipsas, aut Heroas illarum Eponymos

(1) Diff. III. Sect. 39. (2) Lib. VIII. c. 9. num. 31. (3) Iner. t Tom. II. ad Pop. Attic. pag. 49.

mos hoc potius quam alio ordine recenſeret ! Verum in tanta rerum obſcuritate, veterumque Scriptorum ſilentio nullus omnino mihi hac in parte ſplendor affulget; ideoque nihil hic temere vel coniectando, vel divinando definiam. Id unum tamen hic obiter obſervaſſe iuverit, ne ſeries illa temere ſolum, atque fortuito inſtituta exiſtimetur, minime mirandum eſſe ſi Erechtheis Tribus omnium prima in illarum ordine nobis occurrat; cum Erechtheus inter Heroas, vel Athenienſium Reges ita ſupremum veluti gloriae, honoriſque locum occupaverit, ut Athenienſes ab illo non modo illuſtre decus, ſed nomen etiam ipſum acceperint. Homerus certe Athenienſes Ἐρεχθῆος δῆμον *Erechthei Populum* vocavit (1): quod, ut Euſtathius obſervat, *idem ſit Athenas, vel Erechthei Populum dicere* ταυτὸν γὰρ Ἀθήνας εἰπεῖν, καὶ δῆμον Ἐρεχθέως (2): ſiquidem Erechtheus *nomine fuit adeo inclyto, ac celebri, ut Athenienſes Erechtheidas ſeſe appellari libenter admodum acciperent* οὕτω γὰρ ἦν περίκλυτος, ὥστε πάνυ ἔχαιρον Ἀθηναῖοι Ἐρεχθεῖδαι λεγόμενοι (3). Sic etiam a Pindaro (4) Athenienſes Ἐρεχθέος ἀστοὶ *Erechthei Cives* dicuntur; atque a Platone quoque Populus ipſe Athenienſis δῆμος Ἐρεχθέος *Erechthei Populus* (5) appellatur; atque ex Latinis etiam Ovidius ait

Nullus Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxiſſe dies (6).

Itaque mirari certe non poſſumus ſi ceteras inter Athenienſium Tribus a Cliſthene diſtributas primus Erechtheidi locus obtigerit. Proxime vero poſt Erechtheidem ideo Aegeis Tribus honorem, ſedemque, ut opinor, obtinuit quod Aegeus Athenienſium Rex a Theſeo filio in Deos relatus divinos etiam honores acceperit (7); atque ex Phytalidis ipſi Sacerdotes inſtituti fuerint, ut fuſe Plutarchus commemorat (8): quo facile etiam fieri potuiſſe putaverim ut Aegeis ipſa ἱερὰ φυλὴ *Sacra Tribus* vocaretur, ut accuratius alibi contra Caſaubonum oſtendam (9). At nihil eſt certe cur in Tribuum aliarum ordine divinando diutius immorer. Quaecumque enim ordinis illius cauſſa, & origo cenſeri debeat, perſpicuum

eſt

(1) Iliad. B. verſ. 53. 547. (2) Num. 46. (3) Num. 44. vid. Plut. de Glor. Athen. (4) Pythior. Ode T. (5) In Alcibiad. 1. (6) Metamor. VII. verſ. . . . (7) Vid. Harpocr. in Aegeus. (8) In Theſeo vid. Meurſ. Regn. Attic. III. c. 4. & in Theſeo c. 7. (9) Diſſer. X. in Lycoſtrato.

est tamen constantem olim Athenis, certumque Tribuum ordinem fuisse; nec alium sane, quam qui nunc a me primum partim ex Scriptoribus, partim etiam ex veteribus monimentis aliis ostensus fuit.

XVI. Quamvis autem ille Tribuum Atheniensium ordo, qui in variis eiusmodi monumentis conspicitur, semper idem, ac omnino constans haberi consueverit, ut Tribus ipsae non alia prorsus dignitatis, aut praerogativae serie inter se conferri debuerint; in obeundo tamen Prytaniarum munere alia Tribuum series a superiori diversa semper usurpata conspicitur; ut ista proinde fortuita, singulisque annis sortis arbitrio commissa censeri debeat. Id plurima sane Veterum testimonia perspicue nobis ostendunt, quae contra Dodvellum superiori Dissertatione iam protuli. At, ne Dodvellus ipse, vel cui fortasse Dodvelli hypothesis arrideat, reponere, vel suspicari unquam possit id de Proedris solum, qui certe sortibus eligebantur, non vero de Prytaniis ipsis, ac Tribubus intelligendum esse, perspicuis argumentis aliis, & exemplis ostendam Tribuum πρυτανευούσων *Prytaniae munere fungentium* seriem ita fortuitam, variabilem, ac incertam fuisse, ut *primum* aliquando locum *Pandionis* ex. gr. Tribus; aliquando vero Tribus alia occupaverit: & *Pandionis* ipsa vicissim aliquando *primo*; aliquando vero *septimo* loco imperaverit: quod alia ratione fieri, vel explicari non poterit, quam si Tribuum series singulis annis in obeundo Prytaniarum munere sortibus eligeretur: ut inquit Etymologus (1) ἐπρυτάνευον ἐκ διαδοχῆς ἀλλήλων αἱ δέκα φυλαὶ κληρολαχοῦσαι κατ᾽ ἐνιαυτὸν *Prytaniae vero munus obibant decem Tribus in anno, una post aliam, sortito electae*. Pandionidem sane Tribum in Prytaniarum ordine *primum* aliquando locum obtinuisse perspicuo Demosthenis testimonio demonstravit Dodvellus, cum in Oratione *contra Timocratem* semel iterumque dicatur Pandionidem *primam* fuisse, atque Hecatombaeone mense imperasse. Quod autem illa *septimo* aliquando loco imperaverit, vel exeunte Elaphebolione mense praesederit, ipse omnium primus contra Dodvellum ex altero Demosthenis testimonio ex Oratione *de Corona* demonstravi; simulque locum ipsum mirifice depravatum restitui. Quid vero quod Pandionis ipsa, nisi mea

(1) In Πρυτάνεις.

me fallit opinio, aliquando etiam *nono*, ac *decimotertio* loco imperavit? Perſpicue id ſane ex duabus Inſcriptionibus inferri poſſe putaverim, quarum altera apud Cyriacum [1], altera vero apud Sponium [2] occurrit. Siquidem in prima ita legitur Ἐπὶ Ἄρχοντος Μ. Βαλερίου Μαμερτίνου Μαραθωνίου, Πρυτανείας ΙΓ. οἱ Πρυτάνεις τῆς Πανδιονίδος φυλῆς *Archonte M. Valerio Mamertino Marathonio, Prytania decimatertia, Prytanes Pandionidis Tribus*. In altera vero dicitur Ἐπὶ τοῦ μετὰ Τε . . . . ιον Πόντικον Ἄρχοντα ἐνιαυτοῦ, Η Πρυτανίας, οἱ Πρυτάνεις τῆς Πανδιονίδος φυλῆς *Anno poſt Te . . . ium Ponticum Archontem, nona Prytania, Prytanes Pandionidis Tribus*. Nullus hic dubito quin Prytania, cuius numerus exprimitur, fuerit illa, qua Prytanes Pandionidis Tribus imperarunt; cum praeſertim in utroque Marmore dicatur Prytanes illos publicum ſibi victum decreviſſe, ſive ſeipſos Ἀισίτους inſcripſiſſe: quod eo ſolum tempore iis licebat, quo Prytaniae munere fungebantur. Perſpicuum eſt etiam vocibus illis πρυτανείας ιγ, aut πρυτανείας η ſolum Prytaniae numerum, ſedem, aut ordinem, non vero Prytaniae diem indicari. Ubi nimirum Prytaniae dies exprimenda fuerit, diſerte in Demoſthene, alibique dicitur ἑνδεκάτῃ, δωδεκάτῃ τῆς Πρυτανείας. At ubi Prytaniae ipſius ſedes, aut numerus exponatur, ἐννάτης, πρώτης Πρυτανείας dicitur. Addi etiam poterit eiuſmodi decreta non *nona*, aut *decimatertia* Prytaniae die, ſed *prima* potius fieri conſueviſſe; ut nempe Prytanes ipſi eodem ipſo die, quo Prytaniae munus ſuſcipiebant, hoc perenni monumento decretos ſibi honores, propriumque munus exprimere viderentur. Ergo Pandionis Tribus, ſi quatuor illa monumenta inter ſe conferantur, *primo*, *ſeptimo*, *nono*, *decimotertio* loco imperaſſe conſpicitur; adeoque ipſius ſedes in Prytaniarum ordine omnino fortuita, atque inconſtans admitti debet.

XVII. Ita primum aliquando locum non *Pandionidi*, ſed *Erechtheidi* potius contigiſſe ex clariſſimo Antiphontis loco deprehendi, quem, licet prolixiorem, integrum tamen Diſſert. II. Num. 25. exſcripſi; quod plurimam certe lucem iis affundere videretur, quae de civilis Attici anni principio, & exemptilium dierum ſede in II. Diſſertatione iam docui. Itaque antiquus Orator ille in Oratione XVI. Choragum quen-

(1) Inſcript. 96. Pag. 13. (2) Pop. Attic. Pag. 199.

quendam, qui veneficii crimine delatus fuerat, defendit. Choragus autem ille testatur se non modo Tribus suae *Erechtheidis*, sed *Cecropidis* etiam Choragum electum fuisse: χορηγὸς κατεςάθην εἰς θαργήλια . . . κ̀ ἔλαχον Κεκροπίδα φυλὴν πρὸς τῇ ἐμαυτῦ, τυτέςι τῇ Ἐρεχθηΐδι, ἐχορήγυν ὡς ἄριςα ἐδυνάμην. Ac certe quod unus, idemque Choragus pro duabus Tribubus in Thargeliis eligeretur tum ex Demosthene *adversus Leptinem*, tum ex eius interprete Ulpiano deprehendo. Cum enim Demosthenes dixisset εἰ μιᾶς, ἢ δυοῖν φυλαῖν ἕνα χορηγὸν καθίςησιν *si unius, vel duarum Tribuum Choragum unum constituerit*, Ulpianus hic adnotavit ἐν τοῖς Θαργηλίοις δυοῖν φυλαῖν εἷς μόνος καθίςατο χορηγός. τοῖς δὲ μεγάλοις Διονυσίοις Ἀνθεςηριῶνος μηνὸς εἷς χορηγὸς ἑκάςης φυλῆς καθίςατο: *in Thargeliis* festis *duarum Tribuum unus solum Choragus constituebatur*; *in magnis vero Liberalibus, quae Anthesterione mense celebrabantur, Choragus unus pro Tribu qualibet constituebatur*. Interim vero dum instruendis choris incumberet, adolescens quidam cantor, sumpto pharmaco interiit, & Choragus ipse veluti veneficii reus ad Archontem Regem defertur, cum adhuc ipsi Regi duo in Magistratu menses, Thargelion scilicet, ac Scirrophorion, exigendi superessent. Tum Choragus subdit accusatores, electo iam novo Rege, sive novo anno iam ineunte, actionem deseruisse; cumque illis a prima Hecatombaeonis mensis die institutam iam actionem prosequi liceret, nihil tamen eos ad vigesimam usque Metagitnionis diem intentasse: quod ab ipsis tamen ex legum praescripto fieri oportebat; cum homicidii reus a sacris omnibus, publicisque muneribus arcendus esset: Choragus autem ipse hoc eodem 50. dierum spatio Senatoris, ac Prytanis munere fungeretur: κ̀ πρὸς τύτοις Πρυτανεύσας τὴν πρώτην Πρυτάνειαν ἅπασαν, πλὴν δυοῖν ἡμέραιν, κ̀ ἱεροποιῶν κ̀ θύων ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας, κ̀ ἐπιψηφίζων, κ̀ λέγων γνώμας . . . κ̀ Πρυτανεύων *atque insuper toto primae Prytaniae tempore, duobus solum diebus exceptis, Prytanis officio fungens, sacra peragens, ac litans pro Republica, decreta rata faciens, sententias dicens, Prytanis munera gerens*. Perspicui characteres isti, temporisque notae, quae in hac ipsa rerum serie accuratissime exponuntur, manifeste demonstrant quod prima Prytania illa, qua Choragus ille quotidie, duobus solum diebus exceptis, quibus fortasse abfuerat, Prytanum munera

in

in publicis, sacrisque rebus administrandis obivit, ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας Ἑκατομβαιῶνος μηνός *a prima Hecatombaeonis mensis die* incaepit; ideoque, cum Choragus ipse diserte iam dixerit se Tribus *Erechtheidis* fuisse, manifestissime inferri debet quod anno illo, circa Olympiadem XC, prima Prytania fuit *Erechtheidis* Tribus: adeoque Hecatombaeone, vel primo mense non *Pandionis*, sed *Erechtheis* ipsa imperavit.

XVIII. Primum quoque locum aliquando *Aeantidi* Tribui in Prytaniarum ordine contigisse satis, ut opinor, ostendit Decretum istud, quod ab Andocide exhibetur: (1) Ἔδοξε τῇ βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ, Αἰαντὶς ἐπρυτάνευε, Κλεογένης ἐγραμμάτευε, Βοηθὸς ἐπεστάτει, τάδε Δημόφαντος συνέγραψεν. Ἄρχει χρόνος τοῦδε ψηφίσματος. Ἡ βουλὴ, οἱ πεντακόσιοι λάχοντες τῷ κυάμῳ, ὅτε Κλεογένης πρῶτος ἐγραμμάτευε *placuit Senatui, Populoque. Aeantis Tribus Prytaniae munere fungebatur, Cleogenes Scriba erat, Boethus Epistatae munus obibat: Demophantus haec scripsit. Incipit huius Decreti tempus. Senatus, & Quingenti fabarum suffragiis electi quando Cleogenes primus Scriba fuit.* Cleogenes ille, qui Prytaniae Scriba fuisse dicitur, ad Aeantidem sane Tribum spectasse debuit; in hypothesi saltem Dodvelli, qui Prytaniae Scribam eiusdem Tribus fuisse dicit, quae tunc Prytaniae munere fungebatur. Non alia vero de caussa, ut opinor, πρῶτος Γραμματεὺς *primus Scriba* censeri ille poterit, quam quia primae Prytaniae Scriba ille fuerit. Siquidem Prytania quaelibet unicum solum Scribam habebat, ut testatur Pollux (2); & sicut in Prytaniarum serie una Tribus alteri succedebat, ita quoque unus etiam Scriba alterum sequebatur: ut innuere videtur Demosthenes ubi meminit τοῦ Γραμματέως τοῦ κατὰ Πρυτανείαν (3). Ergo Aeantis Tribus, quo tempore superius Decretum editum fuit, primam sedem obtinuit; cumque Decretum illud, restituta Athenis democratia post sublatos XXX. Tyrannos, anno 4. Olympiadis XCIV. factum videatur, perspicuum fiet tunc etiam temporis Prytaniarum seriem omnino fortuitam, sortisque suffragio definitam fuisse.

XIX. Quid vero quod Aeantidem ipsam aliquando *secundo*, vel *tertio* loco imperasse ex Plutarcho satis aperte, nisi mea me fallit opinio, deduci potest? Ille nimirum cum va-

(1) Orat. I. de Myster. (2) Lib. VIII. c. 9. num. 98. (3) In Timocr.

varias Aeantidis Tribus laudes enumerasset, hanc etiam adiecit quod κὴ τὸ ψήφισμα, καθ' ὅ τὰς Α'θηναίας ἐξήγαγε Μιλτιάδης, τῆς Αἰαντίδος φυλῆς πρυτανευύσης γραφειη [1] *Decretum etiam, cuius vi Athenienses in praelium eduxit Miltiades, factum fuit Aeantide Tribu Prytaniae munus obeunte*; Decretum autem istud aliud esse non potuit, quam celebre, & audax consilium illud, quo Miltiades (qui certe Laciades fuit [2], ideoque ad Oeneidem Tribum spectabat) Ducum aliorum plerisque repugnantibus, ubi Callimachum Polemarchum in sententiam suam pertraxisset, ut fuse narrat Herodotus [3], cum Persis dimicandum esse decrevit: *quo factum est*, ut asserit Nepos, *ut plus quam Collegae Miltiades valuerit: eius enim autoritate impulsi Athenienses copias ex Urbe eduxerunt, locoque idoneo castra fecerunt; deinde postero die . . praelium commiserunt* [4]. Itaque, si Marathonia pugna die sexta Boedromionis contigit, ut Plutarchus ipse *in Camillo*, ac in Libro *de Gloria Atheniensium*, & *de Herodoti malignitate* testatur, Decretum illud paullo ante praelii diem fieri debuit; ideoque anno 3. Olympiadis LXXII., quo celebris illa Persarum clades accidit, Aeantis Tribus *secundo* loco praesederit. Sin vero Marathonia pugna non sexta Boedromionis die, sed post decimamquartam mensis ipsius diem contigerit, tunc Aeantis ipsa *tertium* in Prytaniarum serie locum occupavit. In definiendo quidem celeberrimae pugnae tempore video Plutarchum variis in locis sibi mirifice constare; ideoque accuratiores omnes Chronologi Plutarchum ipsum hac in parte una veluti voce sequuntur. Plutarchi tamen autoritas, vel antiquioris potius Scriptoris, quem Plutarchus exscripserat, mihi subinde suspecta esse solet. Herodotus [5] enim perspicue docet nona mensis die Lacedaemonios ab Atheniensibus invitatos esse ut ipsi quoque Persis occurrerent; subditque Lacedaemonios, qui ante plenilunium in praelium exire non poterant, post plenilunium ipsum Athenas repente, solo trium dierum itinere, convolasse, cum vix Marathone praelium diremptum esset. Ac Plutarchus quidem ut Dissert. II. Num. IV. iam diximus, id Herodoti ipsius mendacio, vel malignitati tribuit; asseritque Lacedaemonios & antea saepius, & tunc

(1) Plut. in Symp. Lib. I. quaest. 10. (2) Plutarch. in Cimone. (3) Lib. VI. c. . . .
(4) In Miltiade. (5) Lib. VI.

& tunc etiam ante plenilunium exiisse; parumque abfuisse, quin Marathoniae pugnae sexta mensis die commissae interfuerint. Iustinus [1] tamen, Poliaenus [2], Strabo [3], Aristides [4], Plato [5], aliique plurimi diserte docent Lacedaemonios ante plenilunium, iuxta Lycurgi legem, in praelium exire non consuevisse; neque ad Marathoniam pugnam properasse, nisi postquam Luna pleno orbe fulsisset; ideoque Plataeenses solum cum Atheniensibus Marathone dimicasse [6]. Herodoti vero autoritas, quam Iustinus fortasse, Poliaenus, aliique prae oculis habuere, ceteris omnibus Scriptorum aliorum testimoniis praeferri merito poterit; cum Herodotus ipse Marathoniae pugnae aetatem proxime attigerit, simulque plurima se ab iis accepisse testetur, qui Marathonio bello interfuerant; in re denique perspectissima facile mentiri, vel errare non potuisse videatur. Itaque, si Lacedaemones ad bellum nona mensis die invitati post plenilunium Sparta profecti tridui itinere Athenas, finito vix bello, pervenerunt, bellum ipsum circa *decimamsextam* Boedromionis diem committi debuit; ideoque, si ineundi belli consilium susceptum, copiaeque Athenis eductae sunt circa *decimamquartam* mensis diem, Aeantide Tribu prytaneatum gerente, Aeantis ipsa *tertium* in Prytaniarum serie locum obtinuit.

XX. Quandoquidem vero Plutarchi locum, nec temere ut opinor, in suspicionem adduxi, addidisse iuverit quid Plutarcho fraudi fortasse esse potuit ut Marathoniam pugnam sexta Boedromionis die consignaret. Is Herodoto veluti perspicuum temporis characterem opponit [7] solemnem pompam, quae quotannis ab Atheniensibus ad Agram mittebatur, ut gratias Hecati pro victoria agerent; ideoque, cum pompa illa sexta, ut videtur, Boedromionis die ageretur, eadem ipsa victoriam contigisse Plutarchus existimavit. At fieri fortasse potuit ut victoria quidem circa decimam sextam mensis diem contigerit; sed pompa tamen praecedentium dierum aliquo duceretur: cum praesertim a quartadecima Boedromionis die usque ad vigesimam tertiam Athenis Mysteria celebrarentur. Certe, ut exemplis aliis abstineam, Plateaensis pugna die quarta Boedromionis contigit,

(1) Lib. II. (2) Stratag. Lib. . . c. . . (3) Lib. IX. (4) Declam. (5) De Legib. III (6) Demosth. adv. Neaeram. (7) Libr. de Herod. malign.

git, ut Plutarchus *in Ariſtide* teſtatur; & tamen *Eleutheria* Feſta, quae quotannis in eius victoriae memoriam peragi ſolebant, ſextadecima Maemacterionis die celebrabantur, ut Plutarchus ipſe commemorat; ideoque ex Feſtorum eiuſmodi temporibus belli, victoriaeque tempus inferri, vel definiri non poterit. Sed nihil eſt certe cur in coniecturis iſtis accuratius perſequendis hic immorer. Perſpicua ſiquidem Veterum teſtimonia, & exempla quoque, quae protuli, ſatis, ut opinor, oſtendunt Prytaniarum ſeriem omnino fortuitam, atque inconſtantem fuiſſe: cumque Tribus ipſae certo quodam, conſtantique ordine inter ſe cenſerentur, in obeundo tamen Prytaniae munere ipſarum ſeriem uni ſortis arbitrio ſingulis annis ita commiſſam eſſe, ut quae ſuperiori anno primo fortaſſe loco praeſederat, diverſum ſubinde locum ceteris annis pone ſequentibus occupaverit.



DISSERTATIO V.

SYNOPSIS.

I. *Atticae regionis incolae prius in quatuor a Cecrope I. mox in duodecim Urbes a Cecrope II. distributi, tandemque a Theseo in unam Atheniensem Urbem congregati.* II. *Id quomodo intelligendum. Metoecia, vel Synoecia festa, ac Panathenaea a Theseo tunc instituta. Certior eiusce rei epocha ex Arundelliano Marmore definita.* III. *Antiquior Populorum numerus Cecropis, Theseique aetate incompertus. Mox CLXX., vel CLXXIV. Populi in Attica numerati: quorum tamen aliqui recentioribus solum temporibus instituti.* IV. *Quid Populi nomine intelligendum. Interpretum quorundam error indicatus. Verior, & accurata Populi notio explicata, simulque varia Scriptorum loca opportune illustrata.* V. *Populorum uumerus ex sola Geographia desumi non potest. Meursii, Sponii, aliorumque errores in contexenda Populorum serie indicantur; simulque characteres, ac indicia proferuntur, quibus verus Atticae Populus agnosci possit.* VI. *Solemnis ritus, ac disquisitio describitur, qua Athenienses Cives in Phratriam, ac Populum, eiusque Tribum cooptabantur. Atheniensium Civium quilibet proprio, paterno, Populique nomine appellari, sive distingui consueverat.* VII. *Haec Populorum cognitio Graecis Scriptoribus, ac monimentis intelligendis maxime necessaria. Graviter, frequenterque hac in parte a doctis etiam viris peccatum.* VIII. *An duo cognomines Populi in Attica forent.* IX. *Id testimoniis, & exemplis etiam asseritur. Agrylem ab Agraule distinguendam esse contra Stephani, ac Meursii opinionem demonstratur.* X. *Equestris tamen Colonus inter veros Atticae Populos, Forensis instar, cum Meursio, Sponioque minime recensendus. Eius ab Urbe distantia. Insignis Thucydidis locus a Meursii emendatione vindicatus, ac*

Cice-

Ciceronis testimonium explicatum. XI. *Interior quoque Ceramicus immerito a Sponio, Meursioque inter Atticae Populos enumeratus. Quaedam veterum Scriptorum loca explicata; simulque alius Meursii error indicatus.* XII. *Universos Atticae Populos Nicander, ac Diodorus: illorum plerosque Stephanus, Harpocration, Hesychius, Suidas, aliique Veteres memorarunt; ex quibus integram fere illorum seriem Sigonius, Meursius, ac Sponius accuratius adornarunt.* XIII. *Gravis Meursii inconstantia, atque error in recensendis Atticae Populis demonstratur, ac ipsa quoque Sponii series impugnatur.* XIV. *Nova, & accuratior alia eiusdem seriei contexendae methodus exhibetur.* XV. *Geographica Atticae regionis, Populorumque Tabula describenda proponitur: simulque Tabulae hactenus editae notantur.* XVI. *Eretriensium Populus Meursio, ceterisque ignoratus profertur.* XVII. *Strabonis locus hactenus depravatus restituitur. Eustathius defenditur, ac illustratur. Atticae huius Eretriae situs exploratur.* XVIII. *Boeotus etiam Populus ceteris Atticis coniectura adiungitur.* XIX. *Loca quaedam, aut Oppida recensentur, quae facile inter Atticae Populos habenda fore videntur: obiterque varia Scriptorum loca, vel explicantur, vel restituuntur.* XX. *Integra CLXVI. Atticae Populorum series accuratiori methodo iam constituta contexitur; simulque plura Scriptorum loca emendantur, ac illustrantur. Vera Aphidnarum, Marathonis, Chitonisque Tribus hactenus incomperta definitur.* XXI. *Plures ex Populis a Meursio numeratis ex vera Populorum serie expunguntur; obiterque plura veterum Scriptorum loca explicantur.* XXII. *Plures etiam Populi a Sponio recensiti expunguntur, eiusque errores indicantur.*



DISSERTATIO V.

De Populis Atticae, illorumque numero, ac Tribubus.

I. IPsa argumenti affinitas, rerumque differendarum ordo nunc postulat ut cum veram Atheniensium Tribuum seriem perspicuis hactenus, certisque monimentis demonstraverim, de variis etiam Populis loquar, qui ad Tribus illas ita referri consueverant, ut ipsarum quaelibet ex pluribus Atticae Populis veluti partibus componeretur. Quamvis enim maxima hominum multitudo, quae vel a primis usque temporibus varias Atticae partes incoluit, nullo societatis, legumque foedere devincta foret, sed agrestem potius, ferinamque vitam initio degeret; a Cecrope tamen primo Atheniensium Rege in unum deinde corpus ita coacta, certisque legibus coniuncta fuit, ut exinde constans quaedam imperii forma, vel Atheniense Regnum exsurgeret. Hinc ille omnium primus in Attica regnasse dicitur; proprioque nomine regionem illam, quae prius *Acte*, *Atthis*, *Actica*, vel *Attica*, vocabatur (1), *Cecropiam* nuncupasse: cumque instituto incolarum omnium censu viginti ipsorum millia reperisset, universam hanc hominum multitudinem quatuor in Classes, seu Tribus ita distinxisse fertur, ut alia *Cecropis*, alia *Autochthon*, alia *Actaea*, alia denique *Paralia* diceretur. Deinde vero sub Cecrope II. qui Regum septimus Athenis imperavit Atticae regionis incolae, servato veteri Tribuum numero, duodecim in partes, aut Urbes dirempti fuere, *Cecropiam* nempe, *Tetrapolim*, *Epacriam*, *Deceleam*, *Eleusinem*, *Aphidnam*, *Thoricum*, *Brauronem*, *Cytherum*, *Sphettum*, *Cephisiam*, *Phalerum* (2): quarum tamen Urbium singulae ita proprio plerumque iure mox utebantur, ut uni Atheniensium Regi subesse minime vide-

(1) Strabo Lib. IX. Apollod. Bibl. Lib. III. Philoch. apud Schol. Pind. Olymp. Od. IX.
(2) Strab. Lib. IX. Vid. Meurs. De Regib. Athen, Lib. II. c. 14.

viderentur. Certe Lycus, Aegeus, Pallas, & Nisus Pandionis II. filii, eius nempe, qui Cecropi II. in Atheniensi Regno successerat, peculiaribus quibusdam Populis, aut Urbibus imperarunt [1]: quod nondum scilicet ex Populis illis unicum Atheniense Regnum rite conflatum esset; aut potius societas illa a Cecrope iam constituta paullatim dirempta foret, ut Scholiastes Euripidis observavit: Αἰγεὺς δὲ, καὶ Πάλλας Δήμων τινῶν ἦρχον, τῆς Ἀττικῆς ὄπω συνῳκισμένης εἰς ἓν [2]: *Aegeus, & Pallas Populis quibusdam imperarunt, Attica nondum in unum coacta*. Denique Theseus Aegei filius, Pandionisque II. nepos duodecim Populos, aut Urbes illas congregasse, atque in unam Atheniensem Urbem fere transtulisse dicitur [3], ut ex illis una coalescentibus Civitas una formaretur; adeoque Civitatum illarum singulae aequali prorsus Atheniensis Civitatis iure fruerentur, simulque Athenienses omnes alicui ex XII. Populis, aut Urbibus illis inscripti forent [4].

II. Atque eiusmodi quidem Thesei consilium, ac illustre facinus ita Plutarchus expressit, ut populares omnes, Atticaeque regionis incolae ideo in unam Atheniensem Urbem a Theseo coacti, collectique fuisse videantur quod publicis illi consiliis adesse, communique Regni faustitati consulere locorum distantia prohiberentur: συνῴκισε τοὺς τὴν Ἀττικὴν συνοικοῦντας εἰς ἓν Ἄστυ, καὶ μιᾶς πόλεως ἕνα δῆμον ἀπέφηνε, τέως σποράδας ὄντας, δυσανακλήτους πρὸς τὸ κοινὸν πάντων συμφέρον [5]: *coegit incolas Atticae in unam Urbem, & unius Urbis unum Populum effecit; cum antea sparsim degerent, & difficile convocari possent ut communi omnium utilitati prospicerent*. Eadem fere de Theseo loquens Diodorus asserit: τοὺς Δήμους, ὄντας μικροὺς μὲν τοῖς μεγέθεσι, πολλοὺς δὲ τὸν ἀριθμὸν, μεταγαγεῖν εἰς τὰς Ἀθήνας [6]: *Populos magnitudine quidem sua parvos, numero autem multos Athenas traduxit*: quemadmodum etiam Cicero dicit quod *Atticos Theseus migrare ex agris, & in Astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit* [7]. Verum Thucydides novam hanc Atticarum Urbium, Populorumque societatem a Theseo constitutam longe clarius, ut opinor, atque accuratius expressit. Cum enim dixisset regnante Cecrope, aliisque post ipsum

(1) Strab. loc. cit. (2) In Hippolit. (3) Pausan. in Arcad. c. 2. Demosth. in Neaer. Cic. de Legib. Lib. II. c. 2. (4) Vid. Meurs in Theseo c. 17. & Fort. Ath. c. 3. (5) In Theseo. (6) Lib. IV. c. .. (7) De Leg. Lib. II. c. 2. Vid. Isocr. de Helen. Encom. Valer. Maxi. Lib. V. c. 3.

ipſum Regibus, varios illos Atticae Populos, aut Urbes ita diſtinctas fuiſſe, ut in ipſarum ſingulis Curiae, Senatus, ac Magiſtratus eligerentur; ut illorum proinde quilibet bella, gerere, propriiſque legibus uti poſſet, ſubdit a Theſeo peculiares Curias illas, ac Magiſtratus ſublatos fuiſſe, omniumque loco Curiam, ac Senatum unum Athenis conſtitutum eſſe: ut ipſa proinde Athenienſis Civitas veluti commune quoddam Atticorum omnium domicilium habenda foret, in quo ſinguli Atticae incolae, cuicumque demum Populo inſcripti forent, aut quamcumque demum Urbem incolerent, ſuffragia ferre, de privatis, publiciſque rebus diſceptare deberent: Θησεὺς δὲ καταλύσας τῶν ἄλλων πόλεων τάτε βουλευτήρια, καὶ τὰς ἀρχὰς, ἐν τὴν νῦν πόλιν οὖσαν ἓν βουλευτήριον ἀποδείξας, καὶ πρυτανεῖον, ξυνῴκισε πάντας. καὶ νεμομένους τὰ αὐτῶν ἑκάστους, ἅπερ καὶ πρὸ τοῦ, ἠνάγκασε μιᾷ πόλει ταύτῃ χρῆσθαι [1] *Theſeus vero ceterorum Oppidorum Curias, & Magiſtratus ſuſtulit, & una Curia, unoque Conſilio conſtituto, in eam Civitatem, quae nunc eſt, omnes coegit. & ſingulos res ſuas, ut ante, poſſidentes uti compulit hac una Civitate.* Ac abolitas quidem aliarum Civitatum Curias Plutarchus ipſe Thucydidem, ut opinor, ſequutus commemorat; ſimulque Feſtorum meminit, quae tunc a Theſeo ſunt inſtituta; niſi quod Thucydides illa Ξυνοίκια *contubernalia*, Plutarchus vero Μετοίκια *migratoria* appellat; eademque decimaſexta Hecatombaeonis die quotannis peragi teſtatur; quamvis Thucydidis Scholiaſtes Metagitnioni menſi ea tribuere videatur. Itaque hoc uno ſenſu plurimos Atticae Populos in unam Athenienſem Urbem, Theſei conſilio, *migraſſe* dicimus, ibique veluti *contubernales* vixiſſe quod univerſa demum Atticae regio, eiuſque incolae in XII. Urbes a Cecrope iampridem diſtributi ita in unum fere corpus coaluerint, ut exinde nova vel regii, vel democratici potius imperii forma oriretur. Hinc optime in Arundelliano Marmore praeclarum illud Theſei conſilium exprimitur; ſimulque verior temporis nota exhibetur, quo ſocietas illa, conflata fuit: ἀφ' οὗ Θησεὺς Ἀθηνῶν τὰς δώδεκα πόλεις εἰς τὸ αὐτὸ συνῴκισεν, καὶ πολιτείαν, καὶ τὴν δημοκρατείαν κατέστησεν, ἑαυτοῦ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν, ἔτη |Η| ΗΗΗΗ |Δ| ΔΔΔΔΠ [2]: *ex quo Theſeus duodecim Athenienſium Urbes in unum congregavit; & imperium, ac de-*

(1) Lib. II. c. 15. (2) Lin. 34. Epoch. 21.

ac democratiam constituit, se ipso Athenis regnante anni 995. Itaque si numerus ab anno 1. Olymp. CXXIX. quo Marmor sculptum esse iam diximus, ineatur, perspicuum fiet 483. annis ante institutas Olympiades Atticae Populos a Theseo coniunctos esse, cum prius a Cecropis II. aetate varios in Populos ita dirempti forent, ut ipsorum quilibet in certa quadam Atticae Tribu, veluti Classe contineretur.

III. Ac de vario hoc quidem Tribuum nnmero, qui Thesei ipsius aetate Athenis obtinuit, fusius, atque opportunius Differt. III. Num. 3. iam diximus. Quod vero ad veterem Populorum numerum attinet, qui priscis illis temporibus habebatur, omnino is obscurus, ac incertus esse conspicitur. Certe Strabo universam illam indigenarum multitudinem ita a Cecrope in XII. Urbes, aut Populos diremptam esse commemorat, aut Cecropis ipsius aetate duodecim solum Populi fuisse videantur, quos in unam deinde Atheniensem Urbem Theseus collegerit. At non Thesei solum, sed Cecropis etiam aetate longe maiorem Populorum numerum fuisse putaverim. Diodorus certe testatur Atticae Populos a Theseo congregatos *numero multos*, simulque *magnitudine parvos* fuisse: quod de solis certe XII. Urbibus a Cecrope II. distinctis explicari non poterit. Sophocles Oedipum Thesei Regis aetate in Colonum Atticae Populum venisse memorat, simulque Thorici, Acherdus, Eleusinis, Oeae, aliorumque Populorum meminit. Plutarchus denique, ne ceteris id genus argumentis immorer, in Thesei vita Pytthus, Gargetti, Sphetti, Thymoetadarum, Pallenes, Agnus, Hecales, Aphidnarum mentionem facit; adeoque diserte significat illorum singulos Thesei ipsius aetate in Populorum numero censitos esse; quod de Tricorytho quoque, Marathone, Oenoe, Probalintho intelligi profecto debet, quibus Tetrapolis a Cecrope constituta, Stephano teste, componebatur. Itaque Cecrops Atticae incolas in XII. Urbes illas ita dixtinxisse debuit, ut longe tamen maior Populorum numerus haberetur; sed ea tamen lege, ac veluti foedere sociati illi forent, ut ipsorum quilibet ad aliquam ex XII. Urbibus illis spectare, sive referri deberet. Ceterum, quicumque demum fuerit antiquior ille Populorum numerus, verisimile est tamen quod aucto subinde incolarum numero, Oppidorumque magnitudine,

ne, vel dignitate uberior alius Populorum numerus institutus fuerit, qui ad sequiora usque tempora conservatus in Attica, Graecaque Historia celebris adeo, perspectusque evaserit, ut illorum nomina, ac series a Graecis Scriptoribus frequentissime memorentur. Sic Strabo, qui XII. solum Urbes, aut Populos sub Cecrope fuisse dixerat, universos deinde Populos in Attica distributos CLXX. sive ex aliorum hypothesi CLXXIV. fuisse subdit. Siquidem ille de Polemone loquens, qui singulas Atheniensis Urbis partes descripserat, ideoque Periegetae nomen obtinuit, ait Πολέμων ὁ Περιηγητὴς τέτταρα βιβλία συνέγραψε περὶ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν τῇ Ἀκροπόλει. τὸ δ' ἀνάλογον συμβαίνει κ) ἐπὶ τῶν ἄλλων μερῶν τῆς πόλεως, κ) τῆς χώρας. Ἐλευσῖνα τε εἰπῶν ἕνα τῶν ἑκατον, κ) ἑβδομήκοντα Δήμων, πρὸς δὲ τεττάρων, ὥς φασὶν, ὐδένα τῶν ἄλλων ὠνόμακεν (1): *Polemon Periegetes de donariis in Arce positis quatuor libros scripsit; eademque ratio de ceteris Urbis, Regionisque partibus: cumque de Eleusina dixisset, una ex CLXX. Populis (nonnulli quatuor insuper addunt) aliorum nullum nominavit*. Eximius iste Strabonis locus non modo veterem, constantemque Populorum numerum exhibet, qui ipsius etiam aetate floruisse conspicitur, ut inferius ostendam, sed perspicue quoque demonstrat Polemonem illum non omnino accuratum fuisse, quippequi varias Urbis, Regionisque partes exponere aggressus ne ipsa quidem Populorum nomina memoraverit; cum tamen illae Regionis partes aliud esse non possent quam Curiae, vel loca, quae *Populi* nomine distinguebantur. Isocrates certe Atheniensem Urbem in *Vicos*; regionem vero in *Populos* distributam esse testatur: τὴν μὲν πόλιν κατὰ κώμας, τὴν χώραν δὲ κατὰ Δήμυς (2); ut facile proinde coniici, vel divinari non possit quî singulas Atticae partes, atque donaria Polemon accurate describere, vel recensere potuerit, si ipsa quoque Populorum nomina dissimulavit. Strabonis ipsius vestigiis pressius insistens Eustathius eundem prorsus Populorum numerum nobis expressit; simulque demonstravit Homeri, Troianique belli temporibus plerosque, si non omnes, Atticae Populos ita celebres extitisse, ut facile ab Homero memorari potuerint, nisi carminis leges, vel ingens potius illorum nume-

(1) Lib. IX. (2) In Areopagit.

numerus obſtitiſſet : σημείωσαι δὲ ὅτι Ἀθηναίων πόλεις, ἢ δήμους, ἢ ὅλως εἰπεῖν, τόπους οὐκ ἠρίθμησεν ὁ ποιητὴς, διάτε πλῆθος κατὰ τοὺς παλαιοὺς, καὶ ὅτι οὐκ εἶχε πάντα, φασὶν, εἰς μετροποιΐαν κατατάξειν. ἤτοι ἑκατὸν ἑβδομήκοντα τεσσάρων, φασὶ, δήμων ὄντων τῆς Ἀττικῆς, ὧν πολλοὶ λαμπρὰ εἶχον διηγήματα (1) : *& obſerva ut Athenienſium Urbes, ſeu Populos, ſive, ut univerſe loquar, loca Poeta minime enumeret; tum propter multitudinem ſecundum veteres Auctores; tum quia non poteſt omnia, ut aiunt, metricis legibus adſtringere: tametſi quatuor & ſeptuaginta ſupra centum Populos Atticae recenſeant : quorum Populorum plerique res habebant relatu inſignes, & luculentas*. Ac ſane plurima memoratu digniſſima de eiuſmodi Populis circumferri, ſubiecto *Marathonis*, *Phyles*, *Aphidnae*, *Eleuſinae* exemplo demonſtrat Euſtathius: ut minus proinde feliciter, accurateque poſtrema ipſius verba reddiderit Gronovius: *quorum multi habuerunt qui de iis illuſtres Commentarios exaraverint*; cum ibi perſpicue non de Scriptoribus ipſis, ſed de Populorum laudibus, rebuſque hiſtoria dignis loquatur Euſtathius: quemadmodum etiam Strabo, quem exſcripſiſſe videtur Euſtathius, aſſerit quod ex Populis illis, *ſi non ſinguli, at certe multi fabulas complures, & hiſtorias habent* ἔχουσι κἂν εἰ μὴ πάντες, οἵγε πολλοὶ μυθοποιΐας συχνὰς, καὶ ἱστορίας (2) ; idque eodem Aphidnae, Marathonis, aliorumque exemplo demonſtrat. Ceterum, quamvis Euſtathius, ac Strabo Populorum numerum conſtantem, atque ab heroicis etiam, primiſque temporibus inſtitutum innuere videantur, ſuſpicor tamen illos initio neque CLXX. neque CLXXIV. extitiſſe; ſed ipſorum aliquos ſequioribus ſolum temporibus invectos eſſe. Certe *Berenicidas*, ac *Apollonienſes* poſt Olympiad. CXXIII., cum Attalis, ac Ptolemais Tribus ceteris X. adiectae iam forent, inſtitutos eſſe conſpicio. Siquidem teſtatur Stephanus quod ἀπὸ Βερενίκης τῆς Μάγα θυγατρὸς (leg. μητρὸς) γυναικὸς δὲ Πτολεμαίου ὠνομάσθησαν Βερενικῖδαι οἱ δημόται *a Berenice Magae matre, & Ptolemaei uxore dicti ſunt Berenicidae Populares* (3) . Sic Stephanus ipſe de Apollonienſibus loquens ait Ἀπολλωνιεῖς δῆμος προστεθεὶς τῇ Ἀτταλίδι φυλῇ *Apollonienſes Populus additus Attalidi Tribui*. Quamvis autem id ita intelligi fortaſſe poſſit, ut Apollonienſes ipſi ex aliqua veterum Tribuum avulſi, atque in Attalidem mox

 in-

(1) Iliad. (2) Loc. cit. (3) Vid. Pauſan. Attic. c. 7.

institutam translati videantur; verisimilius est tamen Populum ipsum repente institutum esse, atque ab *Apollonia*, quam Attali Regis matrem fuisse ex Suida deprehendo, nomen obtinuisse. Haec, aliaque id genus argumento esse poterunt Populorum aliquos subinde veteribus adiectos esse: atque ita fortasse dissidentes de illorum numero Scriptorum sententiae componi poterunt, quorum aliqui CLXX., alii CLXXIV. Populos fuisse dixerant: ut nimirum antiquioribus quidem temporibus CLXX.; deinde vero, perturbata Populorum distinctione, auctoque Tribuum numero, CLXXIV evaserint.

IV. Insignis autem ille Eustathii locus ubi Marathonis, Phyles, Aphidnae, aliorumque Populorum nomine memorato, illos *Urbes*, *vel Populos*, *vel*, *ut universe loquatur*, *loca* vocavit, hic oportune nos admonet ut nitide prius ostendamus quid *Populi* nomine intelligatur; cum praesertim hac in parte doctissimos etiam viros aut dissidentes, aut subinde quoque deceptos esse videamus. Siquidem plurimi graecam vocem δῆμον, quae exprimendis Atticae Populis adhibetur, latine *Tribum* reddidere, ut Xylander; alii *Municipium*, ut Loescherus; alii *Curiam*, ut Amasaeus; alii *Vicum*, ut alicubi Sigonius; alii *Pagum*, ut Festus; alii denique aut *Oppidum*, aut *Urbem*, aut *Locum*: perinde ac si δήμου nomine haec omnia promiscue intelligi subinde possent. Atque illi quidem, qui graecam vocem δῆμον latine *Tribum* reddidere, Atheniensis Reipublicae formam aut ignorarunt, aut temere perturbarunt. Etenim Tribus a Populis accuratissime distinguebantur, non modo quod Tribus ipsae pauciores Populis forent; verum etiam quod Tribuum quaelibet pluribus Populis veluti partibus componeretur. Qui vero δήμου nomine vel Municipia, vel Curias intellexere, longe illi sane accuratius Atticae vocis vim, sensumque expressere, quam qui vel Oppidi vel Pagi, vel denique Vici nomen usurparunt. Quamvis enim plures Atticae Populi Oppida etiam forent, hoc est ab Oppido, Pagoque nomen sortiti fuerint; alii tamen plures Oppidi appellatione donari minime poterant; omnesque communi potius, ampliorique Populi, vel Curiae, vel Loci nomine designari debuisse videbantur. Id optime profecto noverat, nitideque, ut opinor, ostendit Cicero, qui de Piraeo Atticae δήμῳ, seu Populo loquens ipsum non *Oppidum*, sed *Locum*

cum potius vocavit ; adeoque addita praepositione *in Piraeeum* dixit : cumque illi ab Attico obiiceretur Piraeeum *Oppidum* esse, ideoque sine praepositione exprimendum, aptissime reponit Cicero se de Piraeeo , non tanquam de *Oppido* , sed potius de *Loco* loquutum esse : cumque Terentii testimonium citasset qui *captam e Sunio* , dixerat , repente subdit [1] : *Quod si* Δήμες *Oppida volumus esse*, *tam est Oppidum Sunium*, *quam Piraeeus*. Itaque , ut in tanto Interpretum dissidio ambiguitas illa dirimatur , simulque vera *Populi* notio definiatur , observari maxime velim quod Δήμε , aut *Populi* nomine non Urbs , aut Oppidum , aut Pagus , aut Vicus aliquis intelligi profecto debet ; sed certus quidam incolarum , Civiumque Atheniensium coetus ; qui , cum peculiari quodam aut sanguinis , aut domicilii , aut alio quocumque societatis genere coniuncti forent , ab aliquo Atticae loco nomen sortiebantur , quocumque demum nomine hic ipse locus vocandus esset. Sic, ut exemplo res clarior fiat , Eleusinii , Melitenses , Seramenses aequali prorsus iure , ac praerogativa inter Atticae Populos habebantur ; Eleusina tamen Atticae *Civitas*; Melita *Oppidum*; Ceramicus vero neque *Oppidum*, neque *Civitas*, sed *Locus* erat. Sic plures in Attica regione Civitates fuisse ostendemus , quae peculiarem tamen Atticae Populum minime componebant ; sed ad Populum potius spectabant , qui ex humiliori , tenuique Loco nomen obtinuit : quod nempe ad coetum illum spectarent , qui ex humiliori loco veterem appellationem acceperat : sicuti vicissim plures Atticae Populi reperiebantur , qui vix Oppiduli nomine decorari posse videbantur . Hinc optime Eustathius eiusmodi Populos aut *Urbes* , aut universe loquendo *Loca* appellavit : quod nempe intelligeret plures ex Populis illis Urbis nomine vocari posse ; sed plures tamen alios simpliciori potius , communiorique loci nomine donandos esse. Ita Agellius graecam vocem δῆμον *Locum* latine reddidit . Siquidem de Herode Marathonio loquens Lib. XVII. c. 10. asserit illum incoluisse *Villam*, *quae est in agro Attico*, *loco* , *qui appellatur Cephisia* ; Philostratum , ut opinor , exscribens , qui dixerat Herodem plerumque degere consuevisse παρὰ τὲς φιλτάτες ἑαυτῷ Δήμες , Μαραθῶνα , ϗ Κηφισίαν *charissimos sibi Populos Marathonem* , *&* *Cephisiam* [2] .

(1) Epist. ad Attic. Lib. VII. Epist. 3. (2) Vit. Sophist. Lib. II. num. I. §. 12.

Sic etiam Thucydides Populi, Urbisque nomina distincta fore demonstrat ubi Acharnensem Urbem vocavit χωρίον μέγιςον τῆς Ἀττικῆς τῶν Δήμων καλȣμένων (1) *maximum totius Atticae Oppidum ex iis, qui Populi nominantur*: quemadmodum etiam Strabo de Eleusina loquens ait ἐν δὲ τοῖς Δήμοις καταριθμεῖται ἡ πόλις *Urbs inter Populos recensetur*. Denique, ne pluribus testimoniis aliis hic immorer, Plinius varios Atticae Populos enumerans non unum, idemque nomen, sed varia potius, ac dissidentia exprimendis illis adhibuit. Etenim ait *Rhamnus pagus, locus Marathon, campus Thriasius, oppidum Melita*, & *Oropus* (2): cum tamen Populares, ac Cives illi, qui vel a Rhamnunte, vel a Marathone, vel a Thria nomen sortiti fuerant, aequali prorsus, eodemque iure ceteris Atticae Populis accenserentur; quamvis Rhamnusii a *pago*; Marathonii ab Urbe, seu *loco*; Triasii a *campo*; Melitenses denique, ac Oropii ab *oppido* nomen accepissent.

V. At quorsum subtilior ista, paulloque fortasse prolixior de *Populi*, vel Δήμȣ nomine disputatio? Non alio certe spectasse illa debuit quam ut nitide intelligatur quid Δήμȣ nomine a Graecis Scriptoribus exprimatur in tanto praesertim veterum, recentiorumque Latinorum dissidio: simulque perspicue deprehendatur quam splendide fallantur ii, qui in contexenda Populorum serie solam Geographiae, ut ita dixerim, rationem habendam esse putarunt; quo certe erroris, aut fraudis genere doctissimos etiam viros Meursium, ac Sponium subinde deceptos esse conspicio. Ita Meursius cum *Amphialem*, *Agram*, *Astypalaeam*, *Atalantem*, *Belbinam*, *Hydrusam*, *Pharmacusam*, *Phauran*, *Phoron*, *Psyttaliam* veluti regionis Atticae Pagos, aut Insulas a Geographis memorari vidisset, illarum singulas in Populorum serie repente posuit; sicuti *Anchesmum* quoque, *Brilessum*, & *Lycabettum*, quos in Atticae montibus numeratos esse conspexerat. Hinc optimo, maximoque iure clarissimus Sponius tresdecim Populos illos a Meursio numeratos ex vera Populorum serie expungendos esse putavit, quod praesertim illorum plurimi inculti forent, aut incolis caruisse videantur; ipsisque tresdecim Populos alios sibi omnium primo observatos substituit, ut integer ille CLXXIV. Populorum numerus haberetur. At error ille, qui Meursio iam-

(1) Lib. II. c. 19. (2) Lib. IV. c. 7.

iampridem imposuerat, ipsum quoque Sponium subinde abripuit, ut Oppida, vel loca quaedam ceteris Atticae Populis accenseret, quae quamvis in Attica reperiantur, atque a Graecis Historicis memorentur, Populorum tamen nomine minime decorari posse ostendemus. Eiusmodi certe sunt *Arma*, *Drymos*, *Thebe*, *Larissa*, *Panactus*, de quorum singulis Num. 20. oportunius agendum erit. Interim vero addidisse iuverit quod si in contexenda Populorum serie solos Geographos, ceterosque Graeciae Scriptores consulere licuisset, adeoque Urbes omnes, aut Oppida recensenda fuissent, uberior certe, longeque prolixior Populorum numerus haberetur; cum plurimae sint Urbes, aut Oppida, quae eodem ipso iure, quo superiores illae, Atticae Populis inscribi poterant. Ita Stephanus *Perseum* Atticae Urbem fuisse memorat, cuius incolae Περσεῖς vocabantur. Plinius etiam asserit quod *Oppida Atticae* fuere *Sidus*, *Cromyon*, *Scyronia Saxa*, *Geranea*, *Eleusis*, *Oenoa*, *Probalintos* (1); neque tamen illa, si tria postrema exceperis, inter Atticae Populos a Meursio, vel Sponio recensentur. Itaque duo solum characteres, indicia, & argumenta supererunt, quibus nitide, certoque deprehendi possit an locus aliquis a Graecis Scriptoribus in Attica memoratus inter Atticae Populos haberi debeat: si nempe Scriptores illi ipsum Atticae Populum fuisse diserte dixerint; aut certè si eiusmodi Pagi, vel loci nomen civis alicuius Atheniensis nomini adiectum fuerit, ut veteri nempe, constantique more exprimatur Civem illum eidem loco, veluti Populo, certis quibusdam, legitimisque ritibus inscriptum esse.

VI. Quod enim quilibet Atheniensium civis statis quibusdam temporibus, solemnique ritu paterno Populo inscriberetur innumeris fere Veterum testimoniis erudimur; quemadmodum rituum illorum plurimos Demosthenes (2), Lysias (3), Isaeus (4), Pollux (5), Hesychius (6), Suidas (7) aliique prodidere. Cum enim maxima inquilinorum copia, perturbato ob Peloponnesiacum bellum Reipublicae statu, in Atheniensem civitatem irrepsisset, anno 2. Olymp. XC. eiusmodi Civium διαψήφισις, aut *disquisitio* instituta fuit, ut veri Cives ab exteris secernentur. Itaque qui peregrinitatis accusabatur, avo-

(1) Lib. IV. c. 7. (2) Orat. contra Eubul. Macart. Neaer. & Boeotum de Nomi. (3) Adv. Pancleon. (4) De Apollod. Haeredit. (5) Lib. VIII. c. segm. (6) In Diapse. (7) In Apatur.

avorum ſuorum familiam, cognatoſque ſuos, ſeu φράτορας oſtendere cogebatur; niſi fortaſſe, Plataeenſium inſtar, publico ſolum decreto Civitatis iure donatus, ſimulque certo Atticae Populo inſcriptus eſſet; ideoque eiuſmodi Populi, ſenatuſque Decretum exhiberet. Deinde vero, compoſitis imperii rebus, veriſque Civibus conſtitutis, pater ipſe tum liberos, quos iuſto matrimonio ſuſceperat, tum illos etiam, quos Athenienſium iure adoptaverat, primum ad φράτορας, ſive *cognatos*; deinde vero ad δημότας, ſeu *populares* adducere conſueverat, ac iureiurando aſſerere cogebatur liberos illos a ſe procreatos, vel adoptatos fuiſſe. Quod ſi vel cognatorum teſtimonio, vel patris iuriiurando nihil adverſaretur, Athenienſis ille ſecretis cognatorum ſuffragiis in Phratriam, itidemque Popularium in Populum admittebatur; ideoque in Phratorum, & Popularium albo inſcribebatur. Quemadmodum vero duae diſquiſitiones illae ritibus, atque etiam tempore diſtinguebantur quod naturales nimirum filii primo aetatis anno, ut Etymologus (1), vel tertio ut Proclus (2) aſſerit, ſimulque tertia Apaturiorum die, quae Pyanepſione menſe celebrabantur; adoptivi vero, quacumque aetate illi forent, Thargeliorum tempore, ſive ſexta, ſeptimaque Thargelionis die admitterentur; ita quoque liber ille, cui Phratores inſcribebantur, ab illo diverſus erat, quo Popularium nomina recenſebantur: unde optime Harpocration obſervat (3) κοινὸν γραμματεῖον eſſe, cui Phratores, ληξιαρχικὸν vero, cui Populares inſcribebantur. Utrique tamen albo ita civis recens cooptati nomen inſcribebatur, ut ſimul etiam patris, Populique nomen exprimeretur; quod in aereis etiam, buxeiſve lamellis illis obſervatum eſſe iam diximus (4), quae in publicis ſortitionibus adhibebantur. Hinc illa celebris, ſolemniſque formula, qua civium Athenienſium quilibet deſignari conſueverat, ut exgr. *Cteſiphon Leoſthenis Anaphliſtius*; quod nempe proprio, ſimulque patris, ac Populi nomine a ceteris ille civibus veluti charactere diſtingueretur; & quamvis etiam Athenienſem Urbem ipſam incoleret, alicuius tamen Populi nomine, veluti nota, diſtinguebatur: quod nimirum Athenienſium quilibet ad Populum aliquem referri, ſive Populo cuidam inſcribi deberet, quamvis in illo degere minime cogeretur. Hinc opti-

(1) In Apaturia. (2) In Timaeum. (3) In Lexiarch. (4) Diſſ. I. num. 16.

optime Diodorus de Thrasybulo differens ait Θρασύβυλος Στειριεὺς ὀνομαζόμενος, ὢν Ἀθηναῖος [1] *Thrasybulus Stiriensis vocatus, cum Atheniensis esset*; quod nempe Thrasybulus Atheniensis quidem foret, simulque tamen Stiriensis, cum Stiriae Atticae Populo inscriptus esset. Hinc frequens illa, ac perennis fere consuetudo a Graecis Scriptoribus, praesertim vero ab Oratoribus usurpata ut cum Cives aliquos veluti testes proferre velint, ipsorum nomini Populi quoque nomen adiiciant: quemadmodum in plerisque Atticis Inscriptionibus una cum Atheniensis civis nomine, patris etiam, vel certe Populi nomen occurrit: ut facile exemplis innumeris ostendi posset; atque in hoc etiam conspicitur, in quo, rariori tamen exemplo, naturalis, simulque adoptantis patris nomen habetur [2].

ΠΡΑΞΙΚΛΗΣ ΕΥΦΡΟΝΙΟΥ ΓΟΝΩ ΔΕ ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΟΥ ΘΟΡΙΚΙΟΥ

Praxicles Euphronii, natura vero Callicratis Thoricii filius.

VII. Atque incredibile est certe quantum splendoris, ac praesidii in Graecis Scriptoribus, ac monimentis omnibus explicandis ex eiusmodi Populorum cognitione, constantique more, quo civium Atheniensium nomina efferri consueverant, oriatur. Siquidem primo facile intelligi, vel definiri poterit an civis ille, qui vel ab Historico, vel in veteri monimento quodam memoratur, Atheniensis fuerit, sive ad Atticam spectaverit: ubi nimirum civis eiusdem nomini certus insuper Atticae Populus, veluti character, ac nota quaedam, adiectus fuerit. Innumera deinde Scriptorum loca, quae vel temporis iniuria, vel exscriptorum vitio, vel Interpretum oscitantia miserrime corrupta fuerant, facile sanari, pristinoque splendori restitui poterunt; simulque plurimae implexaeque ambages accurate dirimi, quae in veteribus monimentis illis occurrunt. Id facile profecto intelliget quicumque in varios Meursii Libros, praesertim vero in eximium *de Populis Atticae* libellum oculos coniecerit, ibique infinita fere Scriptorum loca eiusmodi Populorum praesidio feliciter emendata,

(1) Lib. XIV. c. . . (2) Spon. Pop. Attic. Artic. 61.

data, vel restituta, vel illustrata conspexerit. Atque utinam quidem doctissimi etiam viri, qui in Graecis deinde Scriptoribus, ac marmoreis praesertim Inscriptionibus illustrandis superiori, nostraque aetate laudatissimam operam collocarunt, Meursii vestigiis institissent! neque enim frequenter adeo haerere viderentur, aut etiam in errorem abrepti subinde forent; ut Marmoris, vocumque explicationem ex exteris plerumque, remotisque Gentibus inquirerent, quae ex solis certe Atticae Populis nativa, facilique serie deducenda fuerat. Ita Seldenus cum in Oxoniensi quodam Marmore legisset Α'λέξανδρον Πολυκλέιτου Χλυέα subdit, *si Marmor inspiciat quis, forsan etiam* Φλυέα *legerit: sed utrumque mei fugit intellectum* (1): cum tamen in Marmore Athenienses cives Delum incolentes, atque Atheniensis Archon memorentur; ideoque manifestissime non Χλυέα, sed Φλυέα legendum sit; ac Alexander ille ad *Phlyam* Atticae Populum referri debeat, ut observavit Prideauxius, qui merito Seldenum asserit *ignorantiam suam hic etiam in re manifestissima consiteri*. Quid vero quod Prideauxius ipse, qui Seldeni errorem, aut ingenuam confessionem illam deprehenderat, hoc ipso in loco in errorem alium impegit? Etenim cum observasset Phlyam a Stephano, Harpocratione, & Suida Cecropidi Tribui adscriptam fuisse, ab Hesychio vero sub Ptolemaide collocari, addit: *sed cum Euripides Poeta Tragicus, qui priusquam Tribus Ptolemais Athenis instituta fuerat, diu occubuerat, huius* δήμου *fuisse dicatur, priorum praeferenda est autoritas*. Certe, ut eiusmodi disserendi genus sibi constare, vimque aliquam habere possit, manifestissime supponi debet, quod Atticae Populi, qui sub Ptolemaide Tribu recensebantur, antiquiores illa non fuerint, sed una cum Tribu instituti fuerint: cum tamen perspicuo Harpocrationis, aliorumque testimonio compertum maxime sit aliquos ex veteribus Atticae Populis ex veteri in novam Tribum mox institutam translatos esse; adeoque Phlyam Euripidis aetate ad Cecropidem Tribum spectare potuisse, ut Stephanus, & Harpocration testatur; simulque tamen Hesychii temporibus in Ptolemaidem translatam esse: quemadmodum certe ipsam in Sponiano Marmore (2) Hadriani Caesaris aetate posito sub Ptolemaide collocatam esse conspicimus. Doctissi-

(1) Ad Marm. CXXXII. pag. 271. (2) Spon. Itin. Pag. 45.

ctissimus quoque, virtutisque aeternum suspiciendae Salvinus, cum in Riccardiano Marmore legisset επι ιερεως Διοκλευς του Διοκλευς Τυρμεδου *Sacerdote Diocle Dioclis* filio *Tyrmede*, ad postremam vocem hanc adnotavit *quid sit hoc nominis ignoro* (1): cum tamen perspicue hic Τυρμείδαι Atticae Populus exprimatur, quem Sponius hoc ipso Marmore illustravit. Denique loca plurima in Graecis Inscriptionibus illis, quas nuperrime Cl. Muratorius bono literarum natus edidit, emendari facile poterunt, quae latinus Inscriptionum Interpres minus accurate, feliciterque reddidit. Ita Βησσαιεως interpretatur *ex Bessa Locrorum civitate* (2). Ad Inscriptionem aliam ubi legitur εκ Κεραμεων, ait *Ceramum Cariae Urbem hic habes, Straboni, & aliis Veteribus memoratam* (3). Sic Μελιτευς latine redditur *Melitensis, idest de Melita insula* (4); ac Παιανιεως *civis Paeanii in Civitate Acharnaniae* (5). Sic ad vocem Μυρρινουσιου adnotavit *habemus hic hominem Myrrhinusium, idest civem Myrrhinae, quae Urbs maritima fuit Aeolidis* (6). Denique in alia, ubi legitur εκ Πτελεασιων, observavit quod *Oppida duo Ptelei nomine signata Veteres memorarunt, alterum Ioniae, alterum Thessaliae* (7): dicitque ad alterutrum ex Oppidis illis Inscriptionem istam spectasse: cum tamen in ista, ceterisque omnibus non exterae, dissitaeque regiones illae, sed solum Atticae Populi exprimantur; ipsorumque proinde nomina restitui, latineque reddi debuerint. Haec, aliaque id genus exempla plurima, quae possent afferri, & quibus libenter abstineo, satis, ut arbitror, argumento esse poterunt quam facile, ac proclive sit in veteribus monimentis istis explicandis falli, nisi Populorum Atticorum nomina, atque cognitio oculis nostris obversetur.

VIII. Celebris autem ille Atheniensum ritus, & consuetudo in civium nominibus exprimendis suspicionem mihi, dubiumque pridem iniecerat an cognomines quidam Populi, qui scilicet uno eodemque nomine designantur, ex vera Populorum serie expungendi fortasse forent; quamvis illorum singulos non a Meursio solum, & Sponio, sed a veteribus etiam Scriptoribus Populorum numero inscriptos esse conspicerem. Ita Meursius duplicem *Halam*, *Colonum*, *Ceramicum*, *Lampram*, *Oenoen*, *Paeaniam*, *Phaegaeam*, simulqe duplex *Oeum* in Po-

(1) Vid. Gorii Inscript. Tom. I... & Murat. Clas. I. Pag. 73. num. 3. (2) Pag. 1032. num. 3. (3) Pag. 1037. num. 8. (4) Pag. 1058. num. 6. (5) Pag. 1059. num. 5. (6) Pag. 1060. num. 7. (7) Pag. 132. num. 4. & Pag. 1074. num. 13.

pulis enumeravit; sed ita tamen ut Populus unus ab alio cognomine aliqua nota, sive discrimine distingueretur: quod illi nimirum in variis Atticae partibus reperirentur, aut interdum etiam ad varias, distinctasque Tribus spectarent. In Atticis tamen Scriptoribus Populares illi solo Populi nomine expresso, nullaque proinde nota, sive discrimine adiecto, frequentissime memorantur. Ita Demosthenes alicubi *Sabriam Lamprensem* (1) semel iterumque nominat; quemadmodum alibi *Antiphanis Lamprensis* (2) meminit; alibique *Philostratus Coloneus*, & *Buseus*, & *Agnias ex Oeo* (3) apud Demosthenem ipsum occurrit: quod facile exemplis aliis de ceteris etiam cognominibus Populis ostendi posset; in quibus nusquam character alius, aut alia discriminis nota reperitur. Quid vero quod hic ipse Populi designandi mos iu Graecis etiam marmoribus omnibus observatur? Certe in Marmore, quod Dissertat. I. Num. 36. iam protuli, *Asclepiades Alaeus* memoratur: sicuti in alia Inscriptione apud Sponium Επικτητος Ζοτιμȣ Λαμπρευς *Epictetus Zosimi Lamprensis* occurrit; atque in duplici Marmore apud Sponium ipsum civis ille, cui Marmor inscribitur, simpliciter Κολωνηθεν *Colonita*, vel *ex Colono* vocatur; nullumque, ut omnia verbo complectar, monimentum offendi fortasse poterit, in quo Populus unus ab alio cognomine distinguatur. Itaque, si in efferendis Atheniensium civium nominibus maxima atque incredibilis fere perspicuitas adhiberi consueverat, ut ex Oratione Demosthenis *contra Boeotum de Nomine* inferri potest, ne qua nimirum erroris occasio, fraudisque suspicio ex nominum, Populorumque similitudine oriri posset, quî fieri deinde potuit ut uno, eodemque nomine duo Populi exprimerentur, adeoque ambiguum plane incertumque foret ad quem potius ex cognominibus Populis illis civis, aut Popularis aliquis referri deberet?

IX. Quaecumque tamen vis, aut veri species eiusmodi coniecturae, vel suspicioni inesse videatur, dubitari certe non poterit quin aliqui cognomines Atticae Populi admitti debeant; qui quamvis uno eodemque nomine designarentur, interse tamen accuratissime distinguebantur: quod in variis Atticae partibus constituti illi forent, ac interdum etiam ad va-

(1) Adver. Neaer. (2) Adver. Timoth. (3) Orat. in Macart.

varias omnino Tribus ſpectarent. Sic Hala duplex, aut Halae binae, Heſychio teſte, diſtingui debent; quarum aliae *Aexonides* appellatae ad Cecropidem Tribum referrentur; aliae vero *Araphenides* dictae Aegidi tribuerentur. Sic etiam Lampra duplex admitti debet; quamvis illarum utraque ad Erechtheidem Tribum ſpectaret, quod Heſychius ipſe diſerte dixerit Δῆμοι Λαμπραὶ Ἀθήνησιν, ὁ μὲν παράλιος, ὁ δὲ καθύπερθεν *Lamprae Athenienſium*, vel Atticae, *Populi*, *hic quidem litoralis*, aut inferior; *ille vero ſuperior*: quemadmodum Ariſtophanes ait

Λαμπρεὺς ἔγωγε τῶν κάτω (1)
Lamprenſis ego ex iis, qui infra ſunt.

Ita propemodum Oenoe una prope Eleutheras poſita Hippothoontidis Tribus erat; altera Marathoni finitima Aeantidis. Oeum aliud *Decelicum* dicebatur, quod Deceliae proximum foret, atque Hippothoontidi tribuebatur; aliud vero *Ceramicum*, quod Ceramico finitimum Leontidi adſcribebatur. Duplicem quoque Populum Paeaniam fuiſſe teſtatur Suidas, quamvis illorum uterque in Pandionide Tribu cenſeretur. Duplicem Phaegaeam deſcribit Stephanus; quarum una in Aeantide, alia in Pandionide continebatur. Denique, ut exemplis iſtis, aut cognominibus Populis a Meurſio memoratis exemplum aliud adiiciam, ſuſpicari certe cum Valeſio (2) quis poterit duplicem quoque Ἀγρύλην, *Agrylem*, vel *Argyliam* fuiſſe. Harpocration certe de Ardetto loquens dixit hunc Athenis locum fuiſſe ὑπὲρ τὸ ςάδιον τὸ Παναθηναικὸν, πρὸς τῷ Δήμῳ τῷ ὑπένερθεν Ἀγρυλέων *ſupra ſtadium Panathenaicum*, *prope Populum Agrylenſium ſuperiorum*: adeoque ſubindicat Agrylem aliam fuiſſe, quae καθύπερθεν, vel *inferior* diceretur. Clarius id etiam ex Heſychio deduci fortaſſe poterit, qui de Agryle loquens ait Ἀγρύλη δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς, καὶ τῆς Ἀτταλίδος *Agryle Populus Erechtheidis Tribus*, *atque Attalidis*; ideoque Agrylem ipſam duplicem fuiſſe non obſcure ſignificat; ut illarum quidem altera ad Erechtheidem, alia vero ad Attalidem Tribum ſpectaverit. Quamvis enim Palmerius, ac Meurſius reſcribendum exiſtiment ἢ τῆς Ἀτταλίδος, *vel Attalidis*, nihil ipſe tamen in Heſychii textu mutandum

 puta-

(1) Apud Harpocr. in Lampra. (2) Not. in Harpocr.

putaverim; cum Agryle Populus, quamvis etiam unus, idemque fuisse dicatur, prius tamen in Erechtheide collocari potuerit, simulque deinde in Attalidem mox institutam transferri; vel, si duplex fortasse ille fuerit, unus ad Erechtheidem, alter ad Attalidem referri. Addi etiam poterit alterutrum ex Populis istis etiam cum *Argilia* confundi posse, quam Hesychius ipse sic describit Ἀργίλια δῆμος τῆς Ἀττικῆς *Argilia Populus Atticae*. Nihil hic ipse tamen in tanta rerum ambiguitate temere definire nunc velim; ideoque, quamvis in Populorum serie Agrylem ipsam, & Argiliam veluti duos cognomines Populos expresserim, explorandum tamen aliis relinquo an Agryle duplex admitti, atque ab Argilia distingui debeat. Id vero longe facilius, atque certius existimo quod Agryle Populus ab Agraule distingui debet, secus ac doctissimo Meursio videbatur. Quamvis enim Stephanus, quem Meursius hic exhibet, *Agrylem* Populum cum *Agraule* confuderit; si ipsius tamen autoritas cum Scriptoribus aliis conferatur, Populum unum ab altero distinguendum esse putaverim. Sic enim Stephanus: Ἀγραυλὴ δῆμος Ἀθήνησι τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. Τινὲς δὲ Ἀγρυλὴ γράφουσιν ἄνευ τοῦ α .... τέλει δὲ τὸ α. ἀπὸ Ἀγραύλου τοῦ Κέκροπος θυγατρός.. Ἔστι δὲ καὶ πόλις Ἀθηναίων ἄποικος ἐν Σαρδοῖ ἀπὸ τοῦ δήμου κληθεῖσα Ἀγρυλή. ὁ δημότης Ἀγρυλεύς *Agraule Populus Atticus Erechtheidis Tribus. Quidam vero Agrylem scribunt sine a. Gaudet autem habere a. ab Agraulo Cecropis filia.. Est etiam Sardiniae civitas Atheniensium colonia, Agryle a Populo nominata. Popularis Agryleus*. Itaque, Stephano teste, Populus quidam Atticus admitti debet, qui ab *Agraule* Cecropis filia nomen acceperit; ideoque non *Agryle*, sed *Agraule* vocari debeat: simulque tamen Populus quidam agnosci, ex quo *Agryle* Sardorum civitas appellata fuerit. At Populus iste, ex quo Sardiniae civitas nomen, atque incolas accepit, non Agraulem, sed Agrylem potius vocandum esse nitide, ut opinor, ostendit Pausanias, qui de eiusmodi Atheniensium colonia differens ait οἰκίζουσιν Ὀγρύλλην οἱ Ἀθηναῖοι διασώζοντες τῶν δήμων τῶν οἴκοι τινὸς τὸ ὄνομα, ἢ καὶ αὐτὸς τοῦ στόλου μετεῖχεν ὁ Γρύλλος (1) *condunt Athenienses Ogryllem urbem, servato cuiusdam ex domesticis Populis nomine, vel quod Gryllus coloniae socius, duxque fuerit*. Quemadmodum ergo Populus ille, qui

(1) Phocic. c. 17.

qui ab Agraule nomen obtinuit, Agryle vocavit non potuit; ita quoque Populus ille, a quo Ogrylle, sive si mavis Agryle Sardorum civitas est appellata, Agraule dici non potest; sed Populus unus ab alio distingui debet: nisi gentilia id genus, adeoque constantia nomina temere confusa, ac permixta comminiscamur. Huc etiam referri poterit quod Plutarchus ipse, qui in *Antiphontis Vita* illum Ἀγρύληθεν *ex Agryle* fuisse dicit, in *Themistocle* Leobotam quendam Ἀγραυλῆθεν *ex Agraule* nominat; ideoque, nisi in Plutarchi textum mendum hic irrepserit, *Agryle*, ab *Agraule* distingui debet. Idipsum quoque in Hesychio deprehendisse videor: qui cum antea dixisset Ἀγριαύλη δῆμος Ἀττικῶς, sive ut optime Palmerius, ac Meursius emendat, Ἀγραύλη δῆμος Ἀττικῆς *Agraule Populus Atticae*, interiectis deinde vocibus aliquot subdit Ἀγρύλη δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς, καὶ τῆς Ἀτταλίδος *Agryle Populus Erechtheidis Tribus, atque Attalidis*; ideoque satis aperte *Agraulem* Atticae Populum ab *Agryle* distinguit. Quod si Agraulensis ab Agrylensi Populo distingui debet, divinari certe non poterit utrum ex illis expresserit Harpocration, & Suidas, qui solum *Agroelem* Populum memorarunt: Ἀγροίλη δῆμος ἐστι φυλῆς τῆς Ἐρεχθηΐδος. ὁ δὲ δημότης πάλαι ἐλέγετο Ἀγροιλεύς. *Agroele Populus est Erechtheidis Tribus. Popularis olim Agroelensis dicebatur*. Num Agraule, vel Agryle potius est illa, quae prius *Agroele* dicebatur; ut Agrylem proinde Hesychius, Agroelem Suidas ad unam, eandemque Erechtheidem Tribum revocare potuerit? Num Agraule quoque, Agrylis, sive Agroelis instar, ad Erechtheidem Tribum spectavit? Graves eiusmodi turbas alii componant: id unum mihi ostendisse sufficiat quod immerito prorsus ex Agryle, Agraule, Agroele unicum solum Populum conflavit Meursius; ideoque plurima Scriptorum loca corrigenda putavit, ut in iis omnibus Ἀγραύλη legeretur: cum longe verisimilius haberi fortasse debeat tres, aut duos certe Populos distinguendos esse, aut saltem Agrylem cum Agraule confundi non posse.

X. Quemadmodum vero cognomines eiusmodi Populos hactenus a me numeratos in accurata Populorum serie recensendos esse concesserim, quod ita perspicuo Veterum testimonio illorum unus ab altero distinguatur, ut ipsorum uterque

Popu-

Populi nomine decoretur; ita viciſſim duplicem quoque Ceramenſium, aut Colonitarum Populum fuiſſe negaverim. Et ſane, quod ad Colonum attinet, optime quidem novi Colonum alium in Urbe prope Forum fuiſſe, unde *Forenſis* ille, ſive Ἀγοραῖος appellabatur; alium vero extra Urbem [1] ipſam ad Neptuni Fanum, qui Ἵππιος, vel *Equeſtris* dicebatur. At non video certe qui Forenſis ille Colonus ceteris Atticae Populis, alterius, vel Equeſtris inſtar, inſeratur: cum nullo Veterum teſtimonio oſtendi poſſit ipſum quoque Populi nomine donatum eſſe; quemadmodum ſane perſpicuo plurium teſtimonio conſtat Equeſtrem Colonum Populis inſcriptum eſſe, indeque Sophoclem oriundum fuiſſe, ut mox oſtendetur. Deinde vero, ut opportune Diſſert. I. Num. 18. iam monui, atque ex omnibus fere Scriptoribus illis inferri facile poterit, quos paullo ſuperius exhibui, omnes Atticae Populi extra Urbis moenia per Atticae regionis fines diſperſi fuerant: idque Atticae diviſio a Cecrope inſtituta, omniumque Populorum in unam Athenienſium Urbem translatio, quae Theſeo auctore peracta fuit, ſatis innuere, vel confirmare videtur. Itaque, niſi mea me fallit opinio, Colonus ille Forenſis ex Atticae Populis expungi debet; ſoluſque Colonus ſupererit, qui extra Urbis moenia reperiebatur, atque ab illa 10. fere ſtadiis diſtabat, ut nitide expreſſit Thucydides. Siquidem accuratiſſimus Auctor ille, ubi de *Quadringentis* Civibus loquitur, quibus Athenienſis Reipublicae regimen anno 1. Olymp. XCII. conceſſum fuit, ait ξυνέλεξαν τὴν ἐκκλησίαν ἐς τὸν Κολωνὸν (ἔστι δὲ ἱερὸν Ποσειδῶνος ἔξω τῆς πόλεως, ἀπέχον σαδίους μάλιστα δέκα) καὶ ἐσήνεγκαν οἱ ξυγγραφεῖς [2] *Concionem convocaverunt in Colonum (eſt autem* hic locus editus, & *Neptuno ſacer extra Urbem, decem ferme ſtadiis* ab ea *diſtans*), *Scribaeque attulerunt &c.* Inſignem hunc Thucydidis locum *neceſſario corruptum* eſſe putat Meurſius; atque ita corrigendum, ut in Thucydidis textu reſcribatur σαδίους μάλιστα δ' *ſtadiis ferme quatuor*. Etenim Cicero diſerte dicit Academiam ab Athenienſis Urbis Porta, quae *Dipylum* vocabatur, ſex ſtadiis diſſitam fuiſſe = *ſex illa a Dipylo ſtadia in Academiam confecimus*; moxque ſubdit *me ipſum huc* in Academiam *modo venientem convertebat ad ſeſe Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos verſabatur* [3]. Itaque, con-

1) Harpocr. & Etymol. (2) Lib. VIII. c. 67. (3) De Finib. V. c. 1.

concludit Meursius, si Q. Fratri a Dipylo in Academiam properanti Colonus occurrebat, manifestissime inferri debet quod Colonus ipse Urbi proximior fuerit quam Academia; ideoque, si sex solum stadiis haec a Dipylo, vel ab Urbe remota fuit, Coloni distantia 10 stadiorum esse non potuit. Quamvis tamen eiusmodi Meursii coniectura accurata videatur, eamque in Tucydidaeis Commentariis totidem fere verbis Hudsonus exscripserit, temere hic tamen a doctissimo viro Thucydidis textum sollicitatum esse putaverim: cum ex superioribus certe Ciceronis verbis inferri minime id possit, quod necessario tamen exinde, perspicueque deduci posse Meursius existimavit. Dixerat Cicero quod Q. Fratri ex Dipylo in Academiam descendenti Colonus obversabatur, indeque concludit Meursius quod Colonus ipse ante Academiam occurrere, adeoque proximior Urbi esse debuit. Sed quis aperte non videat Colonum ipsum Quinti descendentis oculis obversari potuisse, quamvis ille trans Academiam positus etiam ab Urbe remotior esset? Certe *Colonus*, ut ipsa vox sonat, ut a Suida, aliisque Scriptoribus erudimur, ut Meursius ipse fatetur, *tumulus*, *editiorque locus*, vel collis erat, in quo aeris fodinae reperiebantur; ergo, quamvis Academia remotior ille foret, antea tamen conspici, vel oculis obversari poterat quam in Academiam, humilem nempe, palustremque locum, descenderetur; ideoque prorsus immerito ex Cicerone concluditur Colonum ipsum inter Academiam, atque Urbem fuisse. Quinetiam ex eodem ipso Cicerone oppositum potius inferri fortasse poterit: subdit enim *cum venissemus in Academiam ... venit mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hic disputare solitum; cuius etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi afferunt, sed ipsum videntur in conspectu meo hic ponere*: quod nimirum, ut Laertius quoque testatur, Plato *initio quidem in Academia philosophari caepit, deinde vero in horto, qui est prope Colonum*: ἐφιλοσόφει τὴν ἀρχὴν ἐν Ἀκαδημίᾳ, εἶτα ἐν τῷ κήπῳ τῷ παρὰ τὸν Κολωνόν (1). At Cicero Platonis hortulos ita propinquos dixisse videtur, ut Academia tamen remotiores illos fuisse innueret; cum nondum illos a se praeteritos fuisse dixerit: quemadmodum certe de *Epicuri hortis* ibidem differens ait *quos modo praeteribamus*.

Addi

(1) Lib. III. seg. 5.

Addi poſtremo poterit quod haec illuſtria Athenarum ſuburbia ita a Pauſania deſcribuntur, ut ille veluti ex Urbis moenibus digreſſus primo Academiam, mox Ἀκαδημίας ὀ πόῤῥω *non longe ab Academia* Platonis monumentum, in hortulis nimirum illis, quos Cicero Academiae, Laertius vero Colono propinquos fuiſſe dixerat; tandemque Colonum memoret: quod argumento certe eſſe poterit Colonum ipſum Academia remotiorem fuiſſe, ideoque nihil in Thucydidis textu mutandum eſſe.

XI. Quod vero ad Ceramicum attinet, dubitari certe non poterit quin ipſe quoque, Coloni inſtar, duplex foret [1]; ut alter quidem *interior* diceretur, quod in Urbe, eique portae proximus eſſet, quae prius *Thriaſia* mox *Dipylum* vocata fuit [2]: alter vero *exterior*, quod extra portam ipſam, atque Academiae finitimus foret: ut facile proinde ab Heſychio [3], aliiſque Scriptoribus *Academiae* nomine vocari, ſive cum Academia confundi potuerit: quod nimirum Academia ipſa veluti Ceramici pars haberetur. Utrumque Ceramicum iſtum, ipſiuſque partes, ac hiſtoriam omnem peculiari Opere, quod *Ceramicus Geminus* inſcribitur, Meurſius accurate deſcripſit; &, ſicuti de Colono loquens duos cognomines Populos fuiſſe dixerat, quod duo Coloni a Scriptoribus memorentur; ita quoque utrumque Ceramicum illum inter Atticae Populos habendum eſſe putavit, quod duo Ceramici, vel Ceramicus geminus a Scriptoribus ipſis deſcribatur. Niſi tamen mea me hic quoque fallit opinio, interior Ceramicus ille, qui Urbis moenibus includebatur, ex vera Populorum ſerie manifeſtiſſime excludi debet. Siquidem Scriptores illi, qui Ceramicum duplicem, ſive Ceramicos duos fuiſſe memorant, nullibi tamen utrumque *Populi* nomine appellant, aut duos Populos fuiſſe dicunt: quemadmodum certe ubi de Lampra, Oenoe, Paeania, aliiſque Populis loquebantur, illorum ſingulos in duos cognomines Populos ita diſtinguendos eſſe dixerunt; ut ex. gr. non ſolum Lampras duas, ſed duos etiam Populos Lamprae nomine nuncupatos agnoverint. Quinetiam ubi Veteres de Ceramico, ſive de Ceramenſibus loquebantur, illos *Populum*, non vero *Populos* appellarunt, ut ceteros inter Moſchopulus ait

(1) Harpocr. Heſych. Suid. Schol. Ariſtoph. ad Equit. (2) Plutar. in Pericl. (3) In Ceramic.

ait Κεραμεῖς δῆμος ἐν Ἀθήναις *Ceramenses Populus Athenis*: quod argumento esse poterit Auctores illos ex Ceramensibus unum solum Populum agnovisse; idque de exteriori potius quam urbano Ceramico accepisse. Itaque plane non video cur Demosthenis, Laertii, aliorumque Scriptorum loca, in quibus Ceramenses nominantur, ad urbanum Ceramicum Meursius retulerit (1); quamvis enim uterque Ceramicus in Populis habendus esset, non erat certe cur Populares illi ad urbanum potius, quam ad exteriorem spectasse viderentur. Nec quempiam certe movere debet quod Ceramicus ille, qui a Moschopulo Populus appellatur, ἐν Ἀθήναις *Athenis* fuisse dicatur. Etenim Graecis Scriptoribus commune esse solet, ut cum locum aliquem, qui certe non intra Urbis moenia, sed in Attica potius, sive Atheniensi ditione reperiebatur, memorent, illum ἐν Ἀθήναις, sive Ἀθήνησι fuisse dicant: perinde ac si Atheniensis Urbis moenibus ille contineretur. Ita Suidas Marathonem, qui 80. stadiis Athenis aberat, τόπον Ἀθήνησι *locum Athenis* appellat; Hesychius quoque Phalerum, qui 35. stadiis ab Urbe distabat, τόπον Ἀθήνησι *locum Athenis* vocat (2). Etymologus (3) utrumque Colonum *Athenis* fuisse dicit Ἀθήνησι δύο Κολωνοὶ, Ἵππιος, καὶ Ἀγοραῖος *Athenis duo Coloni, Equestris, & Forensis*. Suidas ipse, ne ceteris exemplis aliis, quae plurima subinde occurrunt, hic immorer, de Ceramico duplici loquens ait Κεραμεικοὶ δύο τόποι Ἀθήνησιν *Ceramici duo loca Athenis*; quemadmodum Academiam ipsam Ἀθήναις *Athenis* fuisse iam dixerat: cum tamen Ceramicus unus, & Academia, istius Ceramici pars, pluribus certe stadiis ab Urbe dissideret. Itaque mirari plane quis poterit quî perspicuus ille, simulque constans loquendi modus a Graecis Scriptoribus usurpatus doctissimo Meursio interdum imposuerit; ut varia proinde Atticae loca in Atheniensem Urbem ille transtulerit. Ita cum in Hesychio legisset Εὐπυρίδαι δῆμος, καὶ τόπος Ἀθήνησιν *Eupyridae, Populus, & locus Athenis*, Eupyridas non modo Atticae Populum, sed peculiarem insuper *locum* quendam *Athenis ipsis* fuisse dicit. Certe, si qua Meursii argumento vis esse posset, ipse quoque Eupyridarum Populus Athenis ipsis admitti deberet, cum Etymologus diserte dixerit illos ideo Eupyridas vocatos esse quod *Athenis* in Eupyridarum

D d Popu-

(1) Ceramic. c. 2. (2) In Colon. (3) In Oscophor.

Populo ignis inventus fuerit Ε'υπυρίδαι. δῆμος Α'θηναίων. ὅτι ἐν Αθήναις πρῶτον τὸ πῦρ εὑρῆθαι φασὶ κατὰ τὸν δῆμον τῦτον: *Eupyridae Populus Athenienſium*; *quod Athenis ignem in hoc Populo primum inventum memorant*.

XII. Haec, aliaque id genus plurima ſuis in locis opportune mox proferenda, perſpicue ſatis oſtendunt in contexenda Populorum ſerie neque coniecturis omnibus indulgendum eſſe, neque ſingula Veterum teſtimonia promiſcue adhibenda; ſed illorum praeſertim veſtigiis inſiſtendum eſſe, qui cum aliquem Atticae locum memoraverint, illum diſerte *Populi* nomine decoraverint; aut iis certe characteribus illum expreſſerint, ut nitide, certoque deprehendi poſſit ipſum ceteris Atticae Populis inſcriptum eſſe. Atque utinam quidem eximii Scriptores illi ad haec uſque tempora perueniſſent, qui peculiaribus Libris Populorum ſeriem ita adornarunt, ut accuratam quoque illorum hiſtoriam complexi fuiſſe videantur! quos inter excellere merito exiſtimantur Diodorus, atque Nicander Thiatyrenus, quorum teſtimonia ex Opere *de Populis* deſumpta ab Harpocratione, Stephano, aliiſque pluribus memorantur. Verum uterque Scriptor ille maximo Atticae Hiſtoriae detrimento prorſus interiit; ut ſolae proinde ipſorum laciniae apud Graecos Scriptores alios ſubinde occurrant. Inſignem hanc tamen iacturam maxima ex parte Stephanus ipſe ſarcivit; quippequi CXX. Populorum nomina, additis etiam plerumque ipſorum Tribubus, conſervaverit. Plurimos etiam ex illis Harpocration expreſſit; plures ab Heſychio memorantur; alii plures ab Ariſtophanis, Sophoclis, aliorumque Scholiaſtis recenſentur; plurimi denique ab Etymologo, & Suida, qui antiquiores illos exſcripſerant, deſcribuntur: ut facile proinde fuerit Sigonio CXXXII. Populorum ſeriem contexere; ipſorumque fere ſingulos ad propriam Tribum referre: quod tamen in tanta rerum obſcuritate, Scriptorumque numero, ac varietate *magna* a ſe *diligentia* factum merito gloriatur (1). Doctiſſimi tamen Sigonii ſtudium, ac diligentiam longiſſime ſuperavit Meurſius in eximio libro, quem *de Populis Atticae* inſcripſit. Siquidem eruditiſſimus Auctor ille non modo CLXXIV. Populorum nomina, ſeriemque nobis exhibuit; ſed etiam illorum plurimos ita illuſtravit, ut plura Atticae Hiſtoriae

(1) De Republ. Athen. Lib. I. p. 13. & II. pag. 47.

ſtoriae capita, quae ad Populos ipſos referri poterant, memoraverit; ac infinita fere veterum Scriptorum loca, quae depravata iam fuerant, accurate emendaverit, uberiorique luce perfuderit. Deinde vero, cum edito iam ſuperiori *de Populis Atticae* Libro, plurima in Graecis Scriptoribus offendiſſet, quae eidem Operi vel illuſtrando, vel amplificando, perficiendoque conferre poterant, ſeorſim illa diſpoſuit, ac *Reliqua Attica* appellavit; quae mox a Gronovio, dum Liber ipſe *de Populis Atticae* in Graecarum Antiquitatum Theſauro excuderetur, ſuis in locis opportune inſerta fuere. Denique, Meurſio facem praeferente, uberiorem nobis, longeque accuratiorem Populorum ſeriem Sponius reliquit. Cum enim Vheelero comite Athenas, aliaſque Graeciae, & Orientis Urbes luſtraret, plurimas ille Graecas Inſcriptiones in variis Atticae partibus exſcripſit, in quibus Athenienſium Tribus, aut Populi, aut Populares certe exprimebantur; illarumque praeſidio novos Atticae Populos Meurſio, ceteriſque incognitos in lucem extulit; plures alios a Meurſio memoratos expunxit; quorundam Tribuum, quae ignota Meurſio fuerat, oſtendit; plurima denique prorſus obſcura, & incerta Marmorum illorum ope accuratiſſime demonſtravit: ut nihil proinde in hac Atticae Hiſtoriae parte aut illuſtrius, aut exactius publicam hactenus lucem adſpexerit.

XIII. Optandum tamen maxime fuerat ut non modo Sponius, ſed Meurſius etiam ipſe libellum de Populis Atticae una cum Reliquis Atticis contuliſſet; melioremque alicubi diligentiam in adornanda Populorum ſerie obſervaſſet. Accuratior hinc certe, omnibuſque fere numeris abſoluta ipſorum ſeries haberetur; neque in ipſorum numero ambages illa, ſive perplexitas offenderetur, quae doctiſſimorum hominum libris invicem collatis ineſſe conſpicitur. Ac ſane, quod ad Meurſium attinet, plures ille Pagos, aut loca inter Populos enumeravit, quae ex vera tamen Populorum ſerie prorſus expungi debent, ut Sponius ipſe obſervavit. Interdum etiam ex unico duplicem Populum ille fecit, ut de *Colono*, & *Ceramico* iam dixi. Facile haec tamen in doctiſſimo Viro diſſimulari profecto debent, qui ambiguis ſubinde, obſcuriſque Veterum teſtimoniis ea coniecturis aſſeruit, quae ſola plerumque coniectura refelli poſſunt. Id certe gravius, neque

tamen aut a Sponio, aut a Gronovio obſervatum, quod cum Meurſius in aureolo de Populis Atticae libello CLXXIV. Populos, totidem nimirum, quot Euſtathio, Straboneque teſte fuiſſe iam dixerat, recenſuiſſet; in variis deinde Scriptoribus undecim alios Atticae Populos deprehendit, *Gorgynam*, *Eretriam*, *Hiſtiaeam*, *Cycalam*, *Colypen*, *Cyrtiadas*, *Leccon*, *Oenas*, *Otrynen*, *Salaminam*, *Chaſtienſes*, quos in Reliquis Atticis memoravit: ac nullibi tamen expreſſit an undecim iſti prioribus aliis CLXXIV. adiungendi forent, ut contra Strabonis, Euſtathiique mentem, CLXXXV. ſeries habenda foret; an vero potius ex prima illa ſerie, quae in *Populis Atticae* contexta fuerat, Populi undecim expungendi, ipſorumque loco totidem recentiores alii, atque in *Reliquis Atticis* memorati, inſerendi forent. Ac mirari plane quis poterit doctiſſimum quoque Gronovium ita utrumque Meurſii Opus ediſſe, ut Populos quidem omnes vel in Reliquis Atticis, vel in Atticae Populis memoratos expreſſerit; ſed ſeriem tamen illam aut indicem praefixerit, in quo undecim Populi deſiderantur: perinde quaſi ceteris iſti accenſendi minime viderentur. Quod vero ad Sponium attinet, ex duobus iſte Meurſii Operibus illud unum inſpexit, quod de *Populis Atticae* inſcribebatur; ideoque, cum tresdecim Atticae Populos in Graecis Marmoribus, atque Scriptoribus obſervaſſet, illorumque ſingulos Meurſio prorſus incognitos exiſtimaſſet, totidem ex veteri Meurſii ſerie expungendos putavit, ut conſtans ille CLXXIV. Populorum numerus haberetur: qui tamen CXCVI. potius habendus eſſet, ſi Populorum omnium ſeries ex duobus Meurſii Operibus, ſimulque Sponii obſervationibus contexeretur. *Pnycem* quoque, Meurſii veſtigiis inſiſtens, *Forenſem Colonum*, ſimulque *Ceramicum interiorem* inter Atticae Populos Sponius euumeravit; ne hic *Harmam*, *Edapteon*, aliaque id genus loca commemorem, quae ceteris ille Atticae Populis immerito prorſus inſcripſit, ut opportunius alibi oſtendam.

XIV. Itaque, ſi in doctiſſimis etiam Viris, qui maxima ingenii laude Spartam hanc adornarunt, tanta ſubinde inconſtantia, ſive perplexitas obſervatur, operae certe pretium me facturum putavi ſi Faſtis Atticis opportune illuſtrandis breviorem ipſe, ſimulque tamen, ut opinor, accuratiorem Populorum ſeriem contexerem; in qua certa ab incer-

cer-

certis, perſpicua ab obſcuris accurate ſecernerentur; utraque tum Meurſii, tum Sponii ſeries exhiberetur; ſimulque tamen quid in ipſarum alterutra aut corrigi, aut illuſtrari debeat, oſtenderetur; quorundam denique Populorum nomina, qui aliorum diligentiam effugerant, adiicierentur. Quemadmodum enim opportune ſuperius expoſui, clariſſimis Viris illis id maxime fraudi fuit, quod cum olim CLXXIV. Atticae Populos fuiſſe intelligerent, ut numerus ille conficeretur, ex Graecis Hiſtoricis, Geographiſque loca quaedam arripuere, quae tamen in vera Populorum ſerie recenſeri minime poterant; cumque alia ſubinde loca, vel Oppida occurrerent, quae eodem ipſo iure ceteris Atticae Populis inſcribi poſſe videbantur, longe maior ipſorum numerus oriri inde debuit; neque tamen facile definiri poterat quinam in vero Populorum cenſu habendi, qui vero potius expungendi forent. Mihi vero id unum cordi fuit, ut veros Atticae Populos recenſerem; eos nimirum, de quibus facile dubitari non poſſet an inter veteres, certoſque Atticae Populos inſcripti forent, quicumque demum illorum numerus eſſet futurus, aut a quocumque demum obſervati, deſcriptique fuiſſent; deinde vero ceteros indicarem, quos immerito Meurſius, aut Sponius in Atticae Populis habendos eſſe putarunt. Itaque primum veros Atticae Populos alphabetica ſerie diſponam; atque in illorum ſingulis nomen exponam, quo Populus ipſe, aut Popularis etiam vocari conſueverat; ſimulque indicabo an ille in Sigonii, Sponii, Meurſiique ſerie, quove Meurſii Opere memoretur. Mox Tribus nomen ſubiiciam, ad quam Populus ille ſpectavit; ſimulque veterum Scriptorum nomina, aut Marmora indicabo, in quibus Populus ipſe eidem Tribui adſcribitur. Quorundam hic obiter Populorum Tribum, quae ambigua, ceteriſque Scriptoribus ignota fuerat, demonſtrabo; atque in Populis aliis, quorum Tribus hactenus obſcura fore conſpicitur, veteres tamen Scriptores proferam, qui locum illum verum Atticae Δῆμον, ſeu *Populum* fuiſſe dixerint. Abſoluta horum Populorum ſerie mox illos etiam ſubiiciam, qui vel a Meurſio, vel a Sponio, vel ab utroque recenſiti fuerant; ſimulque nitide oſtendam quid facile afferri, vel opponi poſſit ne ipſorum ſinguli veris Atticae Populis accenſeantur. Interim vero nonnulla tum veterum, tum recentiorum Scriptorum teſtimo-

monia illustrabo; simulque varios Meursii, Sponiique errores, prout ipsa rerum affinitas postulaverit, indicabo.

XV. Quandoquidem vero plurimus, immensusque fere splendor iis, quae de Populis Atticae dicturi iam sumus, accedere posse videtur, si ipsorum quoque situs, ac dispositio ostendatur; Geographicam quandam Atticae regionis Tabulam meliori quo poterat ordine concinnandam suscepi: ut in illa verus Populorum situs, atque distantia legentium oculis exhiberetur. Incredibile est enim quantum exinde praesidii in Graecis Scriptoribus illustrandis, explicandisque oriatur; simulque ut plurima ipsorum loca opportune emendentur, quae mirifice depravata, vel vitiata fore conspicimus. Nec alio certe consilio id operis Sophianus, ac Gerbelius, ut ceteros hic ommittam, susceperant; ac Laurembergius in primis, qui in veteris Achaiae, Graeciaeque Tabula singulos fere Atticae Populos expressit, qui in variis nimirum Atticae regionis partibus reperiebantur. Eximius tamen, ac diligens Auctor ille non modo plures Atticae Populos alieno prorsus in loco contra veterum Scriptorum mentem collocavit; sed plurimos etiam alios, quorum sedes adhuc ignota illi fuerat, in illa Tabulae parte depingendos curavit, quae vacua erat futura: ut facile proinde haerere, vel dubitare quis possit, an locus ille, qui Marathoni ex. gr. conceditur, ex Veterum testimoniis, aut Laurembergii potius arbitrio, vel coniectura profluxerit. Accedit etiam quod in variis eiusmodi Atticae Tabulis Urbes, & Oppida a Populis nullo discrimine distinguuntur; ideoque singula Atticae loca, quae ab Historicis memorata fuerint, quocumque demum nomine decorari illa debeant, describantur. Itaque, ut ambiguitas illa dirimatur, singulis Atticae locis, quorum mihi certa sedes, atque distantia ex Veterum testimoniis coronidis loco proferendis, affulsit, characterem aliquem appingendum curavi, quo facile deprehendi posset an ille inter Urbes, aut Oppida, aut Populos haberi debeat; alios vero plures, quorum mihi sedes obscura, vel incomperta fuit, satius certe duxi prorsus negligere; ne ipsorum nominibus temere hinc inde positis certus aliorum situs, atque ordo perturbaretur. Sed exposito iam operis huius consilio, Atticae Populorum series methodo superius constituta contexi nunc debet.

XVI. An-

XVI. Antequam tamen id operis aggrediar, illorumque Populorum seriem complectar, quos a Scriptoribus aliis inventos, ac memoratos esse iam dixi, nonnullos hic obiter illustrasse iuverit, qui Sigonii certe, Sponiique diligentiam effugere, vel mihi nunc omnium primo sunt observati. Eiusmodi sunt certe *Eretrienses*, ne *Boeotos*, & quosdam alios inferius nominandos hic persequar, quos ego non ita facile, certoque dixerim, an ceteris Atticae Populis accenseri fortasse debeant. Atque, ut ab Eretriensibus exordiar, Ἐρετριέων Δῆμον *Eretriensem Populum* Athenis fuisse perspicuo Strabonis, aliorumque testimonio deprehenditur. Siquidem Strabo de Eretria Chalcidis urbe loquens ait Ἐρετριέας δ' οἱ μὲν ἀπὸ Μακίστου τῆς Τριφυλίας ἀποικισθῆναι φασὶν ὑπ' Ἐρετρίας, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Ἀθήνησιν Ἐρετρίας, ἡ νῦν ἐστιν ἀγορὰ (1): *Eretrienses vero quidam a Macisto Triphyliae in coloniam deductos narrant ab Eretria; alii vero ab Eretria, quae Athenis, ubi nunc est Forum*. Longe tamen clarius id asserit ubi de Oreo Macedoniae, Chalcidisque urbe differens ait Ἔνιοι δ' ὑπ' Ἀθηναίων ἀποικισθῆναι φασὶ τὴν Ἱστιαίαν ἀπὸ τοῦ Δήμου τῶν Ἱστιαίεων, ὡς καὶ ἀπὸ τοῦ Ἐρετριέων τὴν Ἐρετρίαν, *quidam ab Atheniensibus coloniam huc deductam tradunt a Populo Histiaensium, ut Eretriam ab Eretriensium*. Utrumque vero Strabonis locum ita exscripsit, ac illustravit Eustathius, ut Eretriam ipsam, Strabone teste, vel ab Eretrieo Phaetontis filio, vel ab Eretriensi Atticae Populo nominatam esse contendat. Ὁ δὲ Γεωγράφος οὐ μόνον ἀπὸ Ἐρετριέως ἀποικήσαντος εἰς αὐτὴν κληθῆναι φησὶν, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ Ἐρετρίας καθ' ἑτέρους, τῆς Ἀθήνησιν, ἡ νῦν ἐστιν ἀγορὰ ..... (2) ὁ δὲ Γεωγράφος λέγει καὶ ὅτι ὥσπερ ἀπὸ Δήμου Ἀττικοῦ Ἐρετριέων ἡ Ἐρέτρια, ἤγουν ἀπὸ Ἐρετρίας τῆς Ἀθήνησιν, ὡς πρὸ ὀλίγου ἐγράφη, οὕτως ἀπὸ Δήμου Ἱστιαιέων ἡ Ἱστιαία. Λέγει δὲ καὶ ὅτι Ἱστιαία ὕστερον Ὠρεός (3). *Geographus vero non tantum ab Eretrieo, qui eo habitatum concesserit, vocatam hanc Urbem* Eretriam *asserit; verum etiam, iuxta alios, ab Eretria illa Atheniensi, quae nunc est Forum... Tradit insuper Geographus, quemadmodum a Populo Eretriensium Attico dicta Eretria, videlicet ab Eretria Atheniensi, ut paullo ante scriptum est; ita ab Histiaeensium Populo dictam esse Histiaeam. Scribit item Histiaeam vocatam postmodum esse Oreum*. Quis hic aperte non videat duos Atticae

(1) Lib. X. vid. Stephan. in Histiaea. (2) Iliad. II. num. 35. (3) Num. 36.

cae Populos, *Eretrienſes* nimirum, ac *Hiſtiaeos* perſpicue memorari, a quibus incolas, ſimulque nomen duae illae Chalcidis urbes acceperint? Ergo, ſicuti Hiſtiaea inter veros Atticae Populos admitti debet, non ſolum quod in Coloniarum ſerie, quae ex Atticae Populis deductae ſunt, a Strabone, & Plutarcho memoretur (1), verum etiam quod ipſius popularis, & incola Σώϛρατος Ἱϛιαίοθεν, *Soſtratus Hiſtiaenſis* a Demoſthene nominetur (2); ita quoque Eretria ipſa ceteris Atticae Populis adiungi debet; quemadmodum certe Meurſius, qui utrumque Populum hunc in *Atticae Populis* praeterierat, utrumque deinde in *Reliquis Atticis* enumeravit: in ipſis etiam Atticae Populis de Eretria loquuturus, niſi perſpicuus ille Strabonis locus, quem alibi in contexenda *Coloniarum Athenienſium* ſerie laudaverat, ipſi excidiſſet: quemadmodum Sigonium prius, Sponiumque fugerat, qui *Pſaphidas*, alioſque Populos Meurſio indictos ex Strabone, aliiſque Scriptoribus deprehenderant.

XVII. Quandoquidem vero perſpicuum illum Strabonis, Euſtathiique de Eretria locum hic opportune iam protuli, quid prohibet quin inſigne mendum, quod in Strabonis textum irrepſerat, emendem; ſimulque Euſtathium ipſum ab oſcitantiae, vel malae fidei nota nunc liberem? De Eretrienſis urbis nomine diſſerens Euſtathius aſſerit a Strabone duplicem nominis huius originem expreſſam eſſe: quod illa nimirum vel ab Eretrieo Phaetontis filio, qui in illam habitatum migraverat; vel ab Eretria Athenienſi nomen obtinuit. At in vulgato Strabonis textu, quam paullo ſuperius exhibui, nullibi *Eretriei* nomen occurrit, atque a Maciſto potius colonia Eretriam deducta ſignificatur; ut optime proinde dixerit Politus Strabonem hic, alibique ſaepius ab Euſtathio interpolatum, minuſque accurate expreſſum fuiſſe. Facile tamen Strabo non cum Euſtathio ſolum, ſed cum Scriptoribus etiam aliis conciliari poterit, ubi in depravato ipſius contextu *Eretriei* nomen, quod incautis librariis exciderat, reſtituatur; ſimulque ambages illa, quae irrepſerat, dirimatur. Itaque in Strabone reſcribendum arbitror Ἐρετριέας δ' οἱ μὲν ἀπὸ Μακίϛυ τῆς Τριφυλίας ἀποικιϑῆναι φασιν ὑπ' Ἐρετριέως, οἱ δε ἀπὸ τῆς Ἀθήνῃσιν Ἐρετρίας: *Eretrienſes vero quidam ex Maciſto Triphyliae* Urbe

(1) In Pericle. (2) Orat. in Lacritum.

Urbe *in coloniam deductos narrant ab Eretrieo; alii vero ab Eretria, quae Athenis est*. Etenim nullus *Eretriae* locus hic esse potest; ideoque temere Eretriae nomen in Strabonis textum irrepsit. Siquidem Strabo semel iterumque alibi diserte dixerat Macistum Triphyliae urbem fuisse; adeoque cum Eretrienses ex Macisto translatos esse nunc asserit, Eretriam hic aliam ab Atheniensi distinctam memorare certe non potuit, ex qua coloni deducti fuerint. Quod vero *Eretrieus* in depravato Strabonis textu rescribi debeat satis, ut opinor, ostendit Stephanus, qui Chalcidensem Eretriam ab Eretrieo Phaetontis filio nuncupatam esse testatur: ὅτω δ' ἐκλήθη ἀπὸ Ἐρετριέως τῦ Φαέθοντος υἱῦ: ne perspicuum Eustathii testimonium hic persequar, qui Eretrieum coloniae ducem, nominisque auctorem a Strabone memoratum esse iam dixerat. Ceterum an Eretriae nomen ab Eretrieo, an ab Atheniensi potius Eretria deductum fuerit alii diligentius inquirant. Mihi certe verisimilius videri subinde solet Eretrienses non a fabuloso illo Eretrieo, sed ab Eretriensibus Atticae nuncupatos esse: quippequi Atheniensium coloni fuisse plurimis Veterum testimoniis memorentur [1]; atque idem Strabo, qui utramque nominis gentisque originem indicavit, alibi tamen clarius expressit Eretrienses, Histiaensium instar, a cognomine Atticae Populo, hoc est ab Eretria, quae Athenis erat, vocatos esse. Neque tamen hinc facile inferri posse putaverim quod Eretria illa, ex qua coloni in Chalcidem migrasse dicuntur, Athenis ipsis, hoc est intra Urbis moenia extiterit. Video quidem id a Strabone, ac Eustathio memorari, perinde quasi Strabonis ipsius aetate Eretria illa *Forum* evaserit, ideoque Forum, quod olim prope Dipylum, vel Ceramicum fuerat, sequioribus deinde temporibus alio translatum fuerit, hoc est ad variam Porticum, ut ex Pausania collegit Meursius [2]; quo certe fieret Eretriam illam prope Porticum variam extitisse. Sed opportunius alibi ostendi [3] quod voces illae Ἀθήνησι, ἐν Ἀθήναις *Athenis* non Urbem ipsam, sed regionem plerumque Urbi subiectam, sive Atticam ipsam significant; adeoque Eretria illa, quae colonos, incolasque Chalcidi praebuit, non Athenis ipsis, sed in Attica potius admitti debet; quemadmodum in illa Strabonis aetate Forum esse profecto poterat,

E e quam-

(1) Vid. Meurs. Fort. Ath. c. 6. (2) Ceramic. c. 16. (3) Supra Num. 15.

quamvis extra Urbem existeret: quod non in Urbe solum, sed in Piraeeo quoque, Phalero, aliisque id genus locis res venales prostare, ideoque Fora haberi consueverint: eadem ferme ratione qua Tripodiscium a Strabone τῶν Μεγαρέων ἀγορά [1] *Megarensium forum* vocatur, quamvis ab ipsa Megarensium urbe distaret. Quamvis tamen hic verus Eretriae situs, quemadmodum Tribus illa, ad quam Eretriensis Populus iste spectaverit, mihi prorsus incognita sit, perspicuum est tamen quod ille ceteris Atticae Populis adiungi debet; ideoque merito in Populorum serie, Meursio duce, mox recensebitur.

XVIII. Sed Eretriensi Populo iam Populus etiam alius, *Boeotus* nimirum, sed coniectura solum, accedat, quem Scriptoribus omnibus ignoratum esse iam dixi. Primam huiusce Populi suspicionem mihi iampridem iniecerat in *Herodis Vita* Philostratus ubi de Hercule illo loquitur, qui contra Persas in Marathonia pugna mire certavit, iisque profligatis ex intuentium oculis evanuit. Ait enim: γενέϑαι δὲ τον Ἡρακλέα τῦτον οἱ μὲν γεγενῆ φασὶν ἐν τῷ Βοιωτίῳ Δήμῳ. Ἡρώδης δὲ ἀκῦσαι λέγοντα φησὶν ὡς μητὴρ μὲν ἀυτῷ γένοιτο γυνὴ βυκόλος, πατὴρ δὲ Μαραθὼν, ȣ̃ τὸ ἐν Μαραθῶνι ἄγαλμα: [2] *fuisse autem Herculem hunc terrigenam aiunt in Boeotio Populo; Herodes vero aiebat audiisse dicentem matre genitum bubulca, patre vero Marathone, cuius etiam Marathone statua extat*. Deinde vero γεωργοὶ Μαραθώνιοίτε, καὶ Βοιώτιοι *agricolae Marathonii, Boeotiique* a Philostrato nominantur, qui Herculem illum colere, ipsique sacra peragere consueverunt; ut testatur etiam Pausanias [3], a quo plurima de hoc ipso Heroe narrantur, quem Ἔχετλον, sive *Stivalem* appellatum asserit, quippequi in Marathonia pugna barbaros aratro fuderit. Optime quidem novi, ingenueque fateor Philostrati verba ita intelligi fortasse posse, ut ille non peculiarem quendam Atticae, Boeotiaeve Populum, sed universe potius Boeotiae regionem, quae praesertim Marathoni proxima, adeoque Atticae finitima foret, expresserit; cum in Marathonio bello non privata solum Atticae caussa, sed communis quoque Graeciae res ageretur, atque in illo ex Boeotis Plataeenses acerrime dimicaverint. Si cui tamen peculiaris quidam Atticae Populus hic a Philostrato expressus videatur, suspicari facile is poterit Populum istum ea de causa

(1) Lib. IX. (2) Lib. II. c. 1, num. 7. (3) Attic. c. 15. & 32.

ſa *Boeoti* nomine vocatum eſſe quod in ipſis Atticae, Boeotiaeque finibus collocatus ex Boeotorum imperio avulſus in Atticae ditionem migraverit, ceteriſque proinde Atticae Populis adiectus fuerit, quod de *Hyſia*, *Oropo*, & *Oropiorum Pſaphide* factum accepimus. Quod autem ex ſuperiori Philoſtrati teſtimonio non infeliciter, ut opinor, conieceram, id clariori certe, meliorique Demoſthenis autoritate confirmari poſſe putaverim. Etenim Orator ille, qui in ſingulis fere Orationibus civium Athenienſium nomina, quos teſtes inducit, illorumque Populos exprimere conſuevit, in Oratione *contra Lacritum* inter alios Athenienſes cives *Cephiſodorum Boeotium* ſemel iterumque memorat: ait enim Μάρτυρες Φορμίων Πειραιεὺς, Κηφισόδωρος Βοιώτιος, Ἡλιόδωρος Πυτθεύς *Teſtes Phormion Piraeeus, Cephiſodorus Boeotius, Heliodorus Pyttheus*: pauciſque interiectis Θεόδοτος Ἰσοτελὴς, Χαρῖνος Ἐπιχάρους Λευκονεὺς, Φορμίων ὁ Κτησιφῶντος Πειραιεὺς, Κηφισόδωρος Βοιώτιος μαρτυροῦσι *Theodotus municeps, Charinus Epicharis Leuconienſis, Phormion Cteſiphontis Piraeeus, Cephiſodorus Boeotius teſtificantur*. Itaque, ſi conſtans ille Demoſthenis mos in Athenienſibus civibus, veluti teſtibus, proferendis hic obſervetur, Cephiſodorus ille, qui cum teſtibus aliis, certe Athenienſibus, hic memoratur, Athenienſis habendus erit, eiuſque Populus, ex quo *Boeotii* nomen acceperit, ceteris Atticae Populis adiungi debebit: quemadmodum prorſus Hiſtiaeam in *Reliquis Atticis* a Meurſio numeratam eſſe iam dixi, quod in eadem ipſa Oratione *contra Lacritum* diſerte *Soſtratus Philippi Hiſtiaeenſis* nominetur. Quod ſi fortaſſe quis dixerit Cephiſodorum illum ideo Boeotium vocari non quod ex Atticae Populo, ſed ex Boeotia gente ille fuerit, a perſpicuo certe Demoſthenis ſenſu, forique ſeveritate maxime abhorrebit. Quis enim exiſtimet teſtium nomina, quae perſpicuis, certiſque characteribus circumſcribi plerumque ſolent, hic vagis adeo, ambiguiſque vocibus indicari, ut Cephiſodorus ille non a patria, ſed a regione potius, in qua plures alii Cephiſodori eſſe poterant, nominetur? Certe Demoſthenes ipſe exteros etiam alicubi veluti teſtes inducit: ſed illos nunquam cum Athenienſibus promiſcue memorat; ipſiſque patriae, non provinciae, nomen veluti characterem adiungit, ut in hac ipſa Oratione *Aratum Halicarnaſſeum*, *Naucratemque Caryſtium* nominat. Ergo, ſi Cephiſodorus ille non

Atticus, ſed Boeotus genere fuiſſet, illum Demoſthenes vel Plataeenſis, vel Thebanae, vel alterius Boeoticae urbis civem, non *Boeotium* ſimpliciter appellaſſet: cum vero *Boeotium* diſerte dixerit, illumque ceteris Athenienſibus coniunxerit, facile, ut opinor, inferri poterit illum ex Attica, Atticaeque Populo fuiſſe, adeoque *Boeotium* hunc Populum ceteris adiungendum eſſe. Quin etiam facile ex ipſo Boeotii nomine, ſimulque Philoſtrati teſtimonio deduci poterit eiuſmodi Populum Marathoni proximum fuiſſe, atque in ipſis Atticae, Boeotiaeque finibus ita collocatum, ut exinde fortaſſe nomen acceperit. De Tribu vero, ad quam Populus iſte ſpectaverit, nihil eſt certe quod hic definiri, vel divinari a me poſſit; cum ipſum vix Populi nomen apud veteres Scriptores illos occurrat.

XIX. Age vero iam cetera vel Urbium, vel Locorum nomina complectamur, quae quamvis incertum plane, obſcurumque ſit an ad Atticae Populos referri fortaſſe debeant, ſubobſcura tamen indicia quaedam, vel characteres praeſeferunt, quibus in Atticae Populis illa numerari poſſe videantur. Itaque illorum ſingula hic ordine recenſebo, ſimulque breviter oſtendam quid argumento fortaſſe eſſe poſſit ut illa Populis Atticae accenſeantur: ut ſi deinde ex Scriptoribus, vel monimentis aliis uberior fortaſſe lux aliquando affulſerit, illa ex Populorum ſerie prorſus expungi, aut in illam certius inſeri ab aliis poſſint: quemadmodum ſane Sponius ipſe *Antiochenſes*, *Thaſios*, alioſque ſubindicat, quos incertum eſſe teſtatur an veris Atticae Populis adiungi debeant.

Ἀυρίδῃ *Auride* Vetus Inſcriptio Eleuſine poſita, atque a Sponio memorata (1)

Ονασικλεια Δημητριȣ Αυριδȣ Θυγατηρ.

Onaſiclea Demetrii Auridis Filia.

Quid hic *Auridis*, vel *Auridi* nomine deſignatur? Num Demetrii pater, avuſque Onaſicleae? Num patria Demetrii civitas Scriptoribus tamen omnibus, atque Geographis ignorata? Num potius Ἀυλίδȣ *Aulidis* legi debet, ut exprimatur illum ex Aulide Boeotiae urbe fuiſſe, cuius certe civis, Stephano teſte, etiam Ἀυλίδος *Aulidus* dicebatur? Num denique Aulis alia, quam in ſiniſtra Cephiſi ripa fuiſſe teſtatur Stephanus,

(1) Pop. Attic. Artic. 43.

nus, erat in Attica, ceterisque Atticae Populis accensebatur?

Ἔδεσα *Edesa* Inscriptionem hanc in Populis Atticae Sponius exhibet (1)

Ειρηνη Διοδωρυ Εδεσαια Σωσιπολιδος Αμαξαντεως γυνη

Irene Diodori Edesaea Sosipolidis Amaxantei uxor

Νικομεδια *Nicomedia*: Inscriptio Eleusine posita (2)

Αθηναις Σωτηριδος Νικομεδισσα

Athenais Soteridis Nicomediensis

Σικισσα *Sicissa*: Inscriptio prope Athenas a Sponio inventa (3)

Στρατονικη Απολλοδωρυ Σικισσα

Stratonice Apollodori Sicissa

Tres autem Inscriptiones istas hic protuli non solum ut inquirendum aliis relinquam an mulieres illae Atheniensibus civibus nuptae, vel in Attica tumulatae, Athenienses & ipsae fuerint, adeoque ad novos quosdam Atticae Populos referendae; verum etiam ut exemplis istis ostendam prorsus immerito Sponium Εδαπτέων Populum ceteris Atticis accensuisse, quod Inscriptionem hanc *prope Athenas* observasset (4)

Χαιρε

Αθηναις Θεοκριτυ Εδαπτεων

Φαυςος Λεοντος Μιλεσιος

Vale

Athenais Theocriti Edaptea

Faustus Leonis Milesius

Fieri siquidem fortasse potuit ut mulier illa Εδαπτέων, sive, si mavis, Ἐκ Δαπτέων fuerit, neque tamen ipsius patria, quaecumque illa fuerit, ad Populos Atticae referri debeat; cum Atheniensis fortasse civis uxor, sed extera tamen, atque alienigena esse potuerit

Ερωεα *Eroea*

Plutarchus in Libro *de Gloria Atheniensium* ubi Marathoniae victoriae nuncium Athenas advenisse memorat ait: *τὴν εν Μαραθῶν μαχὴν απήγγειλεν Θέρσιππος ὁ Ἐρωεὺς, δράμων σὺν τοῖς ὅπλοις θερμὸς ἀπο τῆς μάχης.. τοσῦτον μόνον ειπων Χαίρετε καὶ χαιρομεν* *Marathoniam pugnam* Athenas *nunciavit Thersippus Eroensis ex conflictu cum armis currens.. hoc unum dicens*: *Salvete, salvi sumus*. Nullus hic certe dubitandi locus esse poterit quin Ther-

(1) Spon. Pop. Attic. Artic. 13. (2) Spon. ibi Artic. 43. (3) Itiner. Tom. II. pag. 31. (4) Pop. Attic. Artic. 38.

Tersippus ille Atheniensis fuerit, eiusque Populus hic a Plutarcho exprimatur. Ergo, nisi in Plutarchi textum insigne mendum irrepserit, *Eroensis* Populus ceteris adiungi debet. Fieri tamen potest ut Ἐροιάδης, *Eroeades*, sive Θορεύς *Thoreus* rescribi debeat, ac Thersippus ille ad alterutrum ex Populis illis spectaverit.

Λεσβος *Lesbus*

Aeschines in Oratione *De Falsa Legatione* ubi se *Pylagoram*, sive Atheniensium Legatum ad Amphictyonicum Concilium electum esse memorat, haec ait: Ἐπὶ Θεοφράστου Ἄρχοντος, Ἱερομνήμονος ὄντος Διογνήτου Ἀναφλυστίου, Πυλαγόρους ὑμᾶς εἵλεσθε Μειδίαν τὸν Ἀναγυράσιον, καὶ Θρασικλέα τὸν Λέσβιον, καὶ τρίτον δὲ μετὰ τούτων ἐμέ: *Theophrasto Archonte* (hoc est anno 1. Olymp. CX.) *Hieromnemone*, vel sacro Scriba *Diogneto Anaphlystio*, *vos Pylagoras elegistis Midiam Anagyrasium*, *Thrasiclem Lesbium*, *meque cum illis tertium*. Si perspicuus iste Rhetoris locus mendo careat, depravatusque minime sit, novus exinde, ceterisque omnibus ignoratus Atticae Populus exsculpi poterit. Nullus hic enim ambigendi locus supererit an Thrasicles ille Atheniensis civis fuerit, quippequi Atheniensis Urbis nomine, cum duobus aliis civibus Pylagorae munere perfunctus sit. Facile est quidem hic *Lesbum* Insulam cogitare; mihique suspicio iampridem suborta fuerat an ex Lesbo Insula, quam inter Atheniensium Colonias memoratam esse iam videram (1), Pylagoras aliquis ab Atheniensibus eligeretur, qui Amphictyonico Concilio vel Patriae, vel Atheniensis Urbis nomine interesset. At incertum prorsus, obscurumque esse video an Aeschinis aetate Lesbus Atheniensium colonia foret; nec facile concedi poterit Coloniis ipsis, quaecumque illae forent, id honoris tributum esse, ut exinde Pylagorae eligerentur. Ergo, si Thrasicles ille ab Atheniensi Populo electus fuit, civis Atheniensis esse, Atticaeque Populo inscribi debuit; adeoque, nisi in Aeschinis textum error irrepserit, *Lesbus* etiam Populus ceteris Atticis adiungendus erit. Atque ista quidem hic obiter de locis illis dicta sint, de quibus ambigere, vel suspicari quis possit an inter veros Atticae Populos referri debeant. Illorum vero singulos hic una complecti libuit, ne accuratior alia Populorum series perturbanda foret, quam methodo iam constituta, atque ordine alphabetico nunc exponam.

XX. Atti-

(1) Aeschyl. in Persis vid. Meurs. Fort. Athen. c. 6.

XX. Atticae Populi alphabetica ſerie diſpoſiti.

I.

Ἀγγελή   Ἀγγελῆθεν   Sigon. & Spon.
Angele   *ex Angele*   Meurſ. Pop. Att.

Pandionidis Tribus ex Stephano, Heſychio, & Marmore Sponii Pag. 45. quod opportune Differt. IV. Num. 7. iam protuli, & de Popul. Attic. Artic. 1. & 46.

II.

Ἀγνοῦς   Ἀγνούσιος   Sig. Spon.
Agnus   *Agnuſius*   Meurſ. P. A.

Acamantidis Harpocrationi, aliiſque apud Steph.
Demetriadis Stephano.
Attalidis ex Phrynico apud Steph. ex Heſychio, & Marm. Sponii Pag. 45.

III.

Ἀγραυλή   Ἀγραυλεύς   Ἀγραυλῆθεν   Sig. Spon.
Agraule   *Agrauleus*   *ex Agraule*   Meurſ. P. A.

Erechtheidis ex Steph. Harpocr. Heſych. Suida

IV.

Ἀγρυλή   Ἀγρυλεύς   Ἀγρυλῆθεν   Sig. Spon.
Agryle   *Agryleus*   *ex Agryle*   Meurſ. P. A.

Erechtheidis ex Heſych. vide ſupra Num. 9.

V.

Ἀγρυλή   vel   Ἀγρίλια   Spon.
Agryle   vel   *Agrylia*   Meurſ. P. A.

Attalidis ex Heſychio.

VI.

Ἀζηνιά   Ἀζηνιεύς   Sig. Spon.
Azenia   *Azenieus*   Meurſ. P. A.

Hippothoontidis ex Steph. Harpocr. Heſych.

VII.

Ἄθμονον & Ἀθμονία   Ἀθμονεύς   Sig. Spon.
Athmonum & Athmonia   *Athmoneus*   Meurſ. P. A.

Cecropidis ex Steph. Harpocr. Suida
Attalidi tribuere videtur Heſychius

VIII.

Αἰγιλία & Αἴγιλος   Αἰγιλιεύς   Αἰγιλιᾶθεν   Sig. Spon.
Aegilia & Aegilus   *Aegilieus*   *ex Aegilia*   Meurſ. P. A.

Antiochidis ex Steph. Harpocr. Suida

IX.

IX.

Α'ιθαλίδαι & Α'ιθαλιά Α'ιθαλίδης Sig. Spon.

Aethalidae & *Aethalia* *Aethalides* Meurſ. P. A.

Leontidis ex Steph. Harpocr. Heſych. Suida

X.

Α'ιξωνὴ Α'ιξωνεύς Α'ιξωνῆθεν Sig. Spon.

Aexone *Aexoneus* *ex Axone* Meurſ. P. A.

Cecropidis ex Steph. Harpocr. & Mar. Spon. Artic. 42. & Pag. 45.

XI.

Α λαὶ Α'ιξωνίδες Α'λαεύς Α'λῆθεν Sig. Spon.

Halae Aexonides *Halaeus* *ex Halis* Meurſ. P. A.

Cecropidis ex Steph. & Marm. Spon. Artic. 42.

XII.

Α λαὶ Α'ραφηνίδες Α'λαεύς Α'λῆθεν Sig. Spon.

Halae Araphenides *Halaeus* *ex Halis* Meurſ. P. A.

Aegeidis ex Stephano

XIII.

Α'λιμῦς Α'λιμύσιος Α'λιμυντόθεν Sig. Spon.

Halimus *Halimuſius* *ex Halimunte* Meurſ. P. A

Leontidis ex Steph. Harpocr. Suida & Schol. Ariſtoph Avib. ver. 498.

XIV.

Α'λωπέκη & Α'λωπεκαὶ Α'λωπεκεὺς Α'λωπεκῆθεν Sig. Spon.

Alopece & *Alopecae* *Alopeceus* *ex Alopece* Meurſ. P. A

Antiochidis ex Steph. Harpocr. Suida.

XV.

Α'μαξάντεια Α'μαξαντεὺς Α'μαξαντείαθεν Sig. Spon.

Amaxantea *Amaxanteus* *ex Amaxantea* Meurſ. P. A.

Hippothoontidis ex Steph. Harpocr. Heſych.

XVI.

Α'μφιτρόπη Α'μφιτροπαιεύς Α'μφιτρόπηθεν Sig. Spon.

Amphitrope *Amphitropaeus* *ex Amphitrope* Meurſ. P. A.

Antiochidis ex Steph. & Heſych.

XVII.

Α'ναγυρῦς Α'ναγυράσιος Α'ναγυρῦντοθεν Sig. Spon.

Anagyrus *Anagyraſius* *ex Anagyrante* Meurſ. P. A.

Erechtheidis ex Steph. & Harpocr.

XVIII.

XVIII.

Ἀνακαία Ἀνακαιεύς Ἀνακαίαθεν Sig. Spon.
Anacaea *Anacaeus* *ex Anacaea* Meurs. P. A.
Hippothoontidis ex Steph. Harpocr. & Suida

XIX.

Ἀνάφλυστος Ἀναφλύστιος Ἀναφλυστόθεν Sig. Spon.
Anaphlystus *Anaphlystius* *ex Anaphlysto* Meurs. P. A.
Antiochidis ex Steph. Harpocr. & Suida

XX.

Ἀπολλωνιεῖς Ἀπολλωνιεύς
Apolloniei *Apollonieus*
Attalidis ex Steph. Hesych. & Mar. Spon. Pag. 45.

XXI.

Ἀραφήν Ἀραφήνιος Ἀραφηνόθεν Sig. Spon.
Araphen *Araphenius* *ex Araphene* Meurs. P. A.
Aegeidis ex Steph. Harpocr. & Suida

XXII.

Ἀτήνη Ἀτηνεύς Spon.
Atene *Atenensis* Meurs. P. A.
Antiochidis ex Steph. sed Phrynicus apud Stephanum dicit *Aeolidis*: ubi Meursius rescribit *Attalidis*

XXIII.

Ἄφιδνα Ἀφιδναῖος Ἀφίδνηθεν Sig. Spon.
Aphidna *Aphidnaeus* *ex Aphidna* Meurs. P. A.
Leontidis ex Steph. *Aegeidis* ex Harpocr. in Θυργωνίδαι
Hadrianidis ex Marm. Spon. Pag. 45. Antequam tamen Hadrianidi Tribui Aphidnae Populus adiungeretur, ad Aeantidem ille Tribum spectaverat; ut proinde Stephanum, atque Harpocrationem deceptos esse, simulque doctissimo Meursio, Sponioque imposuisse existimem. Certe Plutarchus in Sympos. Lib. I. Quaest. 10. singulas Aeantidis Tribus laudes accurate commemorans ait καὶ γὰρ ὁ Μαραθὼν εἰς μέσον εἵλκετο δῆμος ὢν ἐκείνης τῆς φυλῆς, καὶ τοὺς περὶ Ἁρμόδιον Αἰαντίδας ἀπέφαινον, Ἀφιδναίους γε δὴ τὸν δῆμον γεγονότας: *venit enim in medium Marathon, qui eius Tribus Populus fuit; atque Harmodius Aeantidibus adscriptus fuit, quippequi Populo Aphidnaeus erat*. Ergo, si Harmodius, & Aristogiton ad Aeantidem Tribum spectarunt quod Aphidnae Populo inscripti forent, perspicuum erit Aphidnam ipsam non ad Leontidem, sive Aegeidem, sed ad

Aeantidem potius Tribum ſpectaſſe: alioquin Plutarchus ipſe, qui ſe Athenienſis civitatis iure donatum, ac in Leontidem Tribum relatum aſſerit, id certe gloriae non Aeantidi, ſed Leontidi potius tribueret, ut ex illa praeclarus ille Athenienſis libertatis aſſertor oriundus diceretur. Itaque ſuſpicor Aphidnam, Marathonis inſtar, antiquioribus olim temporibus ad Aeantidem Tribum ſpectaſſe, antequam aucto Tribuum numero Hadrianidi accenſeretur; neque a vero fortaſſe diſſidet in Stephani textum errorem hunc irrepſiſſe, ut pro Ἀἰαντίδος *Aeantidis*, Λεοντίδος *Leontidis*, proclivi ſane lapſu, nomen obtruderetur.

XXIV.

Ἀχάρνα	Ἀχαρνεύς	Ἀχαρνῆθεν	Sig. Spon.
Acharna	*Acharnenſis*	*ex Acharna*	Meurſ. P. A.

Oeneidis ex Steph. & Mar. Spon. Pag. 45.

XXV.

Ἀχερδοῦς	Ἀχερδούσιος	Ἀχερδουντόθεν	Sig. Spon.
Acherdus	*Acherduſius*	*ex Acherdunte*	Meurſ. P. A.

Hippothoontidis ex Steph.

XXVI.

Ἀχραδοῦς	Ἀχραδούσιος	Sig. Spon.
Achradus	*Achraduſius*	Meurſ. P. A.

Ignotae Tribus. Steph.

XXVII.

Βατή	Βατῆθεν	Sig. Spon.
Bata	*ex Bata*	Meurſ. P. A.

Aegeidis ex Steph. & Heſych.

XXVIII.

Βερενικίδαι	Spon.
Berenicidae	Meurſ. P. A.

Ptolemaidis ex Steph. Heſych. & Marm. Spon. Pag. 45.

XXIX.

Βῆσα	Βησαῖος	&	Βησαιεύς	Sig. Spon.
Beſa	*Beſaeus*	&	*Beſaeeus*	Meurſ. P. A.

Antiochidis ex Harpocr. & Suida: in Sponii tamen Marmore Pag. 45. *Hadrianidi* tribuitur.

XXX.

Βουτεία	Βουτάδαι	&	Ἐτεοβουτάδαι	Sig. Spon.
Buteia	*Butadae*	&	*Eteobutadae*	Meurſ. P. A.

Oenei-

Oeneidis ex Harpocr. Etymol. Suida; Stephanus tamen *Aegeidi* adſcribit,

XXXI.

Βραύρων	Βραυρώνιος	Βραυρωνόθεν	Sig. Spon.
Brauron	*Brauronius*	*ex Braurone*	Meurſ. P. A.

Ignotae. Populus tamen a Stephano, aliiſque omnibus appellatur.

XXXII.

Γαργηττός	Γαργήττιος	Γαργήττηθεν	Sig. Spon.
Gargettus	*Gargettius*	*ex Gargetto*	Meurſ. P. A.

Aegeidis ex Steph. Heſych. & Marm. Spon. Pag. 45. & Marm. Riccard. quod exhibui Diſſert. IV. Num. 9.

XXXIII.

Γοργύνη	Meurſ. P. A.
Gorgyna	

Ignotae. Suidas Γοργύνη. δεσμωτήριον ὑπόγειον. ἢ ἀπὸ δήμυ τῆς Ἀττικῆς κακοπράγμονος *Gorgyne carcer ſubterraneus; vel a Populo Atticae malefico*.

XXXIV.

Δαιδαλίδαι	Δαιδαλίδης	ἐκ Δαιδαλιδῶν	Sig. Spon.
Daedalidae	*Daedalides*	*ex Daedalidis*	Meurſ. P. A.

Cecropidis ex Steph.

XXXV.

Δειράδες	Δειραδιώτης	Sig. Spon.
Dirades	*Diradiotes*	Meurſ. P A.

Leontidis ex Steph. Harpocr. & Suida.

XXXVI.

Δεκέλια	Δεκελειεύς	Δεκελειᾶθεν	Sig. Spon.
Decelia	*Decelieus*	*ex Decelia*	Meurſ. P. A.

Hippothoontidis ex Steph. Lyſia *adver. Pancl.* & Mar. Spon. Artic. 35.

XXXVII.

Διόμεια	Διομειεύς	Sig. Spon.
Diomia	*Diomienſis*	Meurſ. P. A.

Aegeidis ex Steph. Suida & Schol. Ariſtoph. ad Ran.

XXXVIII.

Ἐιρεσίδαι	Ἐιρεσίδης	ἐξ Ἐιρεσιδῶν	Sig. Spon.
Ireſidae	*Ireſides*	*ex Ireſidarum*	Meurſ. P. A.

Acamantidis ex Steph.

XXXIX.

Ἑκάλη Ἑκάλειος Ἑκάληθεν Sig. Spon.
Hecale Hecalius ex Hecale Meurs. P. A.
Leontidis ex Steph.

XL.

Ἐλαιεύς & Ἐλαιέσιος Ἐλαιεντόθεν ἐξ Ἐλαίεως Spon.
Elaeus & Elaeusius ex Eleunte ex Elaeeo Meurs. P. A.
Hippothoontidis ex Steph.

XLI.

Ἐλευσα Ἐλεύσιος Spon.
Eleusa Eleusius
Hadrianidis ex Sponii Marm. Artic. 42.

XLII.

Ἐλευσίς Ἐλευσίνιος Ἐλευσινόθεν Sig. Spon.
Eleusis Eleusinius ex Eleusine Meurs. P. A.
Hippothoontidis ex Steph.

XLIII.

Ἐπιεικίδαι Ἐπιεικίδης ἐξ Ἐπιεικιδῶν Sig. Spon.
Epiicidae Epiicides ex Epiicidis Meurs. P. A.
Cecropidis ex Steph. & Mar. Spon. Pag. 45.

XLIV.

Ἐπικηφησία Ἐπικηφήσιος Ἐπικηφησιᾶθεν Sig. Spon.
Epicephesia Epicephesius ex Epicephesia Meurs. P. A.
Oeneidis ex Steph.

XLV.

Ἐρετρία Ἐρετριεύς Ἐρέτριος & Ἐρετριακός
Eretria Eretrieus Eretrius & Eretriacus Meur. R. A.
Ignotae. Vide Disser. V. num. 16.

XLVI.

Ἐρεχθία Ἐρεχθιεύς Ἐρεχθιᾶθεν Sig. Spon.
Erechthia Erechthieus ex Erechthia Meurs. P. A.

Aegeidis ex Steph. Isocratem ex Erechthiensi Populo oriundum fuisse nitide, diserteque tradidit Stephanus; ideoque merito in *Populis Atticae* Meursius corrigendum esse putavit Plutarchum, qui in *Isocratis Vita* ipsum Θεοδώρου τοῦ Ἀρχιερέως *Theodori summi Sacerdotis* filium fuisse dicit, ibique rescribendum Θεοδώρου τοῦ Ἐρεχθιέως *Theodori Erechthiensis*. In *Reliquis* tamen *Atticis* huius emendationis immemor, sibique non constans Isocratem non *Erechthiensem*, sed *Erchiensem* fuisse

fuisse dicit; ideoque Stephanum, simulque Plutarchum ex Photio corrigendum asserit, qui Isocratem Θεοδώρȣ τȣ Ἐρχιέως *Theodori Erchiensis* filium fuisse scribit. Non video tamen quî Photii autoritas Stephani testimonio praeferri debeat: cum praesertim Photii locus vitiatus esse possit, idque de Stephani textu suspicari non liceat, qui de *Erechtheia* differens Isocratem inde oriundum, adeoque *Erechthiensem* fuisse dicit.

XLVII.

Ἐρίκεια	Ἐρικεεῖς	Ἐρικειᾶθεν	Sig. Spon.
Ericia	*Ericieus*	*ex Ericia*	Meurs. P. A.

Aegeidis ex Steph.

XVLIII.

Ἕρμος	Ἑρμειος	ἐν Ἑρμεῖ	Sig Spon.
Hermos	*Hermius*	*in Hermo*	Meurs. P. A.

Acamantidis ex Steph. Harpocr. & Suida

IL.

Ἐροιάδαι	Ἐροιάδης	Sig. Spon.
Eroeadae	*Eroeades*	Meurs. P. A.

Hippothoontidis ex Steph Harpocr. & Hesych.

L.

Ἕρχεια	Ἐρχιεύς	Ἐρχειᾶθεν	Sig. Spon.
Erchia	*Erchieus*	*ex Erchia*	Meurs. P. A.

Aegeidis ex Hesych. & Harpocr.

LI

Εὐκόνθη	Εὐκονθεύς	Spon.
Euconthe	*Euconthеus*	

Ignotae. Videndus Sponius Artic. 52.

LII.

Εὐπυρίδαι	Εὐπυρίδης	Sig. Spon.
Eupyridae	*Eupirides*	Meurs. P. A.

Leontidis ex Steph. & Spon. Marm. Pag. 45.

LIII.

Εὐωνυμία & Εὐώνυμος	Εὐωνυμεύς	Sig. Spon.
Evonymia & *Evonymos*	*Evonymeus*	Meurs. P. A.

Erechtheidis ex Harpocr. & Hesych.

LIV.

Ἐχελίδαι	Ἐχελίδης	Sig Spon.
Echelidae	*Echelides*	Meurs. P. A

Ignotae. Steph. ac Etymol.

L V.

Ζωςήρ Ζωςήριος Spon.
Zoster *Zosterius* Meurs. P. A.

Ignotae. Steph. & Strab. IX. Solus tamen Pausanias Attic. c. 31. diserte Populum vocat.

L V I.

Ἡφαιςία Ἡφαιςιάδης Sig. Spon.
Hephaestia *Hephestiades* Meurs. P. A.

Acamantidis ex Steph. & Hesych. in Ἰφιάςαι

L V I I.

Θημακός & Θημακοί Θημακεύς Sig. Spon.
Themacus & *Themaci* *Themaceus* Meurs. P. A.

Erechtheidis ex Steph. & Harpocr. Phrynicus apud Stephanum *Ptolemaidi* adscribit, quod in hanc fortasse translatus deinde fuerit.

L V I I I.

Θοραί Θορεύς Θόραθεν Sig. Spon.
Thorae *Thoreus* *ex Thoris* Meurs. P. A:

Antiochidis ex Steph. & Harpocr.

L I X.

Θορικός Θορίκιος & Θορικεύς ἐκ Θορικοῦ Sig. Spon.
Thoricus *Thoricius* & *Thoriceus* *ex Thorico* Meurs. P. A.

Acamantidis ex Steph. Hesych. Harpocr. Demosth. *adv. Boeot. de Nomi.* Schol. Sopho. ad. Oedip. Colon. vers. 1591.

L X.

Θρία Θριῶ & Θριαί Θριάσιος & Θριαῖος Sig. Spon.
Thria *Thrio* & *Thriae* *Thriasius* & *Thriaeus* Meur. P. A.

Oeneidis ex Steph. & Schol. Aristoph. ad Aves.

L X I.

Θρίων Spon.
Thrion Meurs. P. A.

Ignotae. Steph.

L X I I.

Θυμοιτάδαι Θυμοιτάδης ἐκ Θυμοιταδῶν Sig. Spon.
Thymoetadae *Thymoetades* *ex Thymoetadis* Meur. P. A.

Hippothoontidis ex Steph. Harpocr. Hesych. & Schol. Arist. ad Vesp. vers. 933.

LXIII.

Θυργωνίδαι	Θυργωνίδης	Sig. Spon.
Thyrgonidae	*Thyrgonides*	Meurſ. P. A.

Aeantidis ex Harp. mox *Ptolemaidis* ex eodem Harpocr. & Suida

LXIV.

Ἰκαρία	Ἰκαριεύς	Ἰκαριόθεν	Sig. Spon.
Icaria	*Icarieus*	*ex Icaria*	Meurſ. P. A.

Aegeidis ex Steph. Harpocr. & Heſych.

LXV.

Ἱπποταμάδαι	Ἱπποταμάδης	ἐξ Ἱπποταμαδῶν
Hippotamadae	*Hippotamades*	*ex Hippotamadis*

Oeneidis ex Steph. in cuius tamen textu Meurſius reſcribendum putat Ἱπποδαμειάδαι : quod nimirum ab Hippodamo Mileſio nomen acceperint , qui Piraeeum Athenienſibus diviſit , atque in illo Ἱπποδαμείαν ἀγορὰν *Hippodamium Forum* extruxit : *Igitur* , inquit ille , *ab* Ἱπποδαμείᾳ , *qui inhabitarent* , Ἱπποδαμειάδαι *dicti* . Sed , ut argumenta cetera hic nihil morer , quibus haec coniectura facile refelli poteſt , ſi Ἱπποδαμειάδαι forent illi , qui in Piraeeo , atque Hippodamio Foro habitabant , Hippotamadae inter Piraeenſes , ſive Populus unus in alio Populo locandus eſſet.

LXVI.

Ἱστίαια	Ἱστιαιεύς	Meurſ. R. A.
Hiſtiaea	*Hiſtiaeus*	

Ignotae . Strabo Lib. X. & Pauſan. VII. vid. Diſſer. V. num. 16.

LXVII.

Ἰτέα	Ἰταῖος	Spon.
Itea	*Itaeus*	Meurſ. P. A.

Acamantidis ex Steph. Harpocr. Heſych. & Suida
Antiochidis in Sponii Marm. Pag. 45.

LXVIII.

Ἰωνίδαι	Ἰωνίδης	ἐξ Ἰωνιδῶν	Sig. Spon.
Ionidae	*Ionides*	*ex Ionidis*	Meurſ. P. A.

Aegeidis ex Steph. & Heſych.

LXIX.

Καλή	Spon.
Cale	Meurſ. P. A.

Ignotae . Steph. in Ἀγγέλη . Eadem fortaſſe , quae Ἀκτὴ

Καλὴ

Καλὴ ab Athenaeo vocatur Lib. VI. Suſpicor etiam hunc ipſum Populum eſſe, qui in Sigonii ſerie *Echelidae*, typographico fortaſſe mendo, nominatur; cum *Echelidas* ille inferius ſuo loco recenſeat.

LXX.

Κειριάδαι	Κειριάδης	Sig. Spon.
Ceriadae	*Ceriades*	Meurſ. P. A.

Hippothoontidis ex Steph. Harpocr. Heſych. & Suida

LXXI.

Κεραμικός	Κεραμεύς	ἐκ Κεραμέων	Sig. Spon.
Ceramicus	*Ceramenſis*	*ex Ceramenſibus*	Meurſ. P. A.

Acamantidis ex Harpocr. & Suida.

LXXII.

Κεφαλή	Κεφαλῆθεν	Sig Spon.
Cephale	*ex Cephale*	Meurſ. P. A.

Acamantidis ex Harpocr. Suid. Schol. Ariſtoph. ad Av. verſ. 417. & Marm. Sponii Pag. 45.

LXXIII.

Κηδή & Κηδαί	ἐκ Κηδῶν	Sig. Spon.
Cede & Cedae	*ex Cedis*	Meurſ. P. A.

Erechtheidis ex Spon. Mar. Pag. 45.

LXXIV.

Κηττοί	Κήττιος	Sig. Spon.
Cetti	*Cettius*	Meurſ. P. A.

Leontidis ex Harpocr. & Suida

LXXV.

Κηφήσια & Κηφίσια	Κηφησιεύς	Sig. Spon.
Cepheſia & Cephiſia	*Cepheſienſis*	Meurſ. P. A.

Erechtheidis ex Harpocr. & Marm. Spon. Pag. 45. & Marm. Riccard.

LXXVI.

Κίκυννα	Κικυννεύς	Κικυννόθεν	Spon.
Cicynna	*Cicynneus*	*ex Cicynna*	Meurſ. P. A.

Acamantidis ex Heſych. Schol. Ariſtoph. ad Nub. ver. 134. & Marm. Sponii Pag. 21.

LXXVII.

Κοθωκίδαι	Κοθωκίδης	Sig. Spon.
Cothocidae	*Cothocides*	Meurſ P. A.

Ignotae. Fortaſſe tamen ad Aegeidem Tribum ſpectavit. Aeſchines certe, qui Cothocides fuit, φρατρίας ἦν, καὶ γένους τῶν

Ἐτεο-

Ἐτεοβυταδῶν, ὅθεν ἡ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Πολιάδος ἐςὶν ἱρεια *phratria, & genere erat ex Eteobutadis, unde femina Poliadis Minervae Sacerdos eligitur*, ut Apollonius Grammaticus in Aeſchinem, atque Aeſchines ipſe in Oratione *de Falſa Legatione* teſtatur. Optime quidem novi *Phratoras*, ipſorumque *genera* ad varias etiam ex X. Tribubus ſpectaſſe, quamvis in una, eademque ex veteribus IV. Tribubus continerentur; atque in Inſcriptione, quam Diſſert. I. Num. 36. iam protuli, Poliadis Minervae Sacerdotem ex Cecropide, vel ex Aegeide potius Tribu fuiſſe; ſed Aeſchinis ipſius aetate Sacerdos illa ex ſolis Eteobutadis, adeoque ex ſola Aegeide Tribu eligi fortaſſe conſuevit: atque Cothocidae, Eteobutadarum inſtar, Aegeidi adſcribebantur. Sed levioris id coniecturae loco haberi nunc velim. Perſpicuum hic tamen, & grave mendum, quod in Demoſthenis textum irrepſit, opportune corrigam. Aſſerit Orator *adverſus Neaeram* Theogenem illum, qui Neaerae filiam duxerat, Rexque Sacrificus electus fuit, Κοθωκίδην *Cothocidem* fuiſſe: at paucis interiectis Theogenem ipſum ſemel iterumque Ἐρχιέα *Erchienſem* diſerte vocat: perinde quaſi *Cothocidae* cum *Erchienſi* Populo confundi poſſent; adeoque Cothocidae, Erchienſium inſtar, ad Aegeidem Tribum ſpectarent. Ergo alteruter ex locis illis emendari debet, nulluſque dubito quin prior ex duobus poſterioribus corrigendus ſit; ideoque in Demoſthene pro *Cothocida*, *Erchienſis* reſcribi debeat.

LXXVIII.

Κοίλη	ἐκ Κοίλης	Sig. Spon.
Coele	*ex Coele*	Meurſ. P. A.

Hippothoontidis ex Sponii Marm. Pag. 45.

LXXIX.

Κολυττός	Κολλιττεύς	Sig. Spon.
Colyttus	*Colytteus*	Meurſ. P. A.

Aegeidis ex Harpocr. & Suida. Utrumque tamen ex illis deceptum eſſe putat Palmerius in Exercit. ad Lucianum [1], atque Colyttum Erechtheidi tributum eſſe contendit. Siquidem Timon apud Lucianum ita de Demea Rhetore conqueritur: ἐπειδὴ πρώην ἔλαχε τῇ Ἐρεχθηΐδι φυλῇ διανέμειν τὸ θεωρικὸν, κἀγὼ προσῆλθον αὐτῶν τό γε νόμιμον, ἐκ ἔφη γνωρίζειν πολίτην ὄντα με: *cum illi ſorte obveniſſet ut Erechtheidi Tribui diſtribueret* pecu-

(1) Pag. 539.

pecuniam ad ſpectacula; *atque ego id*, *quod ad me redibat*, *poſcerem*, *negabat ſe ſcire num civis eſſem*. Ergo, ſi Timon, qui certe Luciano, Laertioque teſte Colytteus erat, theoricam pecuniam non ab Aegeidis, ſed ab Erechtheidis Tribus Quaeſtore poſtulavit, perſpicue inferri poterit Timonem, eiuſque Populum Colyttum non ad Aegeidem, ſed ad Erechtheidem Tribum ſpectaſſe. Sed iniquior hic tamen in Harpocrationem, & qui Harpocrationem exſcripſerat, Suidam Palmerius. Ut enim praetercam errorem facilius in Luciani, quam in Harpocrationis textum, irrepere potuiſſe, quis aperte non videat Harpocrationi potius, qui Populorum Tribum conſulto ex veteribus monimentis collegerat, quam Luciano fidem adhibendam eſſe, qui feſtive ſolum, atque obiter Athenienſem Tribum memoravit, atque Erechtheidis nomen non ad hiſtoriae normam, ſed temere ſolum, atque fortuito uſurpavit? Certe, ſi elegans illa Luciani narratio ad hiſtoriae fidem revocetur, Demeas ille Timonis coaevus, quem Erechtheidis Quaeſtorem Lucianus fuiſſe memorat, alius eſſe non potuit, quam Demeas Demadis filius Athenaeo Lib. XIII. Suidae, aliiſque pluribus memoratus. At Demeas ille, Demadis inſtar, Populo *Laciades* fuit, adeoque non ad Erechtheidem, ſed Oeneidem Tribum ſpectavit, atque Erechtheidis proinde Tribus Quaeſtor eſſe non potuit. Ergo, niſi fortaſſe mendum in Luciani textum irrepſerit, Lucianus ipſe fallitur dum Timonem, Demeam, & Colytti Populum Erechtheidis Tribus fuiſſe ſupponit.

LXXX.

Κολωνός	Κολωνεύς	Κολωνῆθεν	Sig. Spon.
Colonus	*Coloneus*	*ex Colono*	Meurſ. P. A.

Ignotae. Vide Diſſert. V. Num. 10.

LXXXI.

Κοντύλη	Κοντυλεύς	Sig. Spon.
Contyle	*Contyleus*	Meurſ. P. A.

Pandionidis, vel ut alii *Ptolemaidis* ex Schol. Ariſtoph. ad Veſp. ver. 233. fortaſſe quod Populus iſte ex Pandionide in Ptolemaidem translatus fuerit.

LXXXII.

Κορυδαλλός	Κορυδαλλεύς	Κορυδαλλόθεν	Sig. Spon.
Corydallus	*Corydalleus*	*ex Corydallo*	Meurſ. P. A.

Hippothoontidis ex Steph.

LXXXIII.

LXXXIII.

Κριῶα	Κριωεύς	Κριῶθεν	Sig. Spon.
Crioa	*Crioeus*	*ex Criois*	Meurſ. P. A.

Antiochidis ex Steph. Harp. Heſych. Schol. Ariſtoph. ad Aveſ.

LXXXIV.

Κρωπία	Κρωπίδης	ἐκ Κρωπιδῶν	Sig. Spon.
Cropia	*Cropides*	*ex Cropidis*	Meurſ. P. A.

Leontidis ex Steph. Schol. Ariſtoph. Equit. ad verſ. 80. & Marm. Spon. Artic. 166. in quo *Cropidae* cum *Phrearriis*, qui ad Leontidem certe ſpectabant, coniunguntur.

LXXXV.

Κυδαθήναιον	Κυδαθηναιεύς	ἐκ Κυδαθηναίων	Sig. Spon.
Cydathenaeum	*Cydathenaeus*	*ex Cydathenaeis*	Meur. P. A.

Pandionidis ex Steph. Harpocr. Heſych. Suida & Mar. Spon. Pag. 45. Illud in hoc Populo accurate obſervari velim quod Heſychius ipſum ἐν Α'ςει *in Urbe* fuiſſe dicit; cum tamen ceteros in variis Atticae partibus diſtributos eſſe plurima non obſcure ſignificent, quae in hac ipſa Diſſert. Num. 10. iam protuli. Itaque ſuſpicor Athenienſes illos, ex quibus *Cecropia*, una ex XII. Urbibus, aut Populis a Theſeo congregatis conflata fuit, mox aucto Populorum numero, ſimulque variata imperii forma *Cydathenaeos* deinde vocatos eſſe, ut veterem Athenienſis Populi ſpeciem conſervarent; atque a Populis aliis, qui Cecropidis, ſive Athenienſibus auctore Theſeo coniuncti, ſociatique fuerant, diſtinguerentur. Tantum vero abeſt, ut Cydathenaeorum exemplo, alii quoque Populi ἐν Α'ςει collocari poſſint, ut oppoſitum potius ex ſuperiori Heſychii loco inferri poſſe videatur: qui cum Cydathenaeos in Urbe fuiſſe notat, tacite fortaſſe ſubindicat id illis peculiare fuiſſe; adeoque Populos alios extra Urbis moenia, vel in Attica diſperſos eſſe.

LXXXVI.

Κυδαντίδαι	Κυδαντίδης	Sig. Spon.
Cydantidae	*Cydantides*	Meurſ. P. A.

Aegeidis ex Steph. Harpocr. & Suida. At *Ptolemaidis* ex Phrynico apud Steph. & Heſychio, quod nimirum ex Aegeide in Ptolemaidem translati illi fuerint.

LXXXVII.

Κύθηρος & Κύθηρον Κυθήριος Κυθηρόθεν Sig. Spon.
Cytherus & Cytheron Cytherius ex Cythero Meurs.P.A.

Pandionidis ex Steph. Harpocr. Suida & Marm. Spon. Pag. 45. Corrigendus hic obiter Demosthenis locus in Oratione *de Corona* ubi Εὔβουλος Μνεσιθέου Κύπριος *Eubulus Mnesithei Cyprius* nominatur. Rescribi velim Κυθήριος; sive, si mavis, Κρώπιος, ut ad *Cropiam* referatur.

LXXXVIII.

Κύκαλα Meurs. R. A.
Cycala

Aeantidis ex Hesychio, cui soli Populus hic memoratur.

LXXXIX.

Κυνόσαργες ἐκ Κυνοσάργους Spon.
Cynosarges ex Cynosarge Meurs. P. A.

Ignotae. Suspicor tamen fuisse Tribus Aegeidis, Diomeiae instar; a qua fortasse minime distinguebatur. Stephanus Κυνόσαργες γυμνάσιον ἐν τῇ Ἀττικῇ καὶ δῆμος, ἀπὸ Διώμου, ἀφ' οὗ ὁ χῶρος Διώμεια καλεῖται: *Cynosarges Gymnasium in Attica, & Populus a Diomo, a quo regio Diomeia vocatur.*

XC.

Κυρτιάδαι Spon.
Cyrtiadae Meurs. R. A.

Acamantidis ex Hesychio, qui solus Populi huius meminit.

XCI.

Κωλυπές Meurs. R. A.
Colypes

Aegeidis ex Suida, apud quem unum hic Populus occurrit.

XCII.

Λακία & Λακιάδαι Λακιάδης & Λακιεύς Sig. Spon.
Lacia & Laciadae Laciades & Lacieus Meurs.P.A.

Oeneidis ex Steph.

XCIII.

Λαμπρὰ καθυπέρθεν Λαμπρεύς Sig. Spon.
Lampra inferior Lamprensis Meurs. P. A.

Erechtheidis ex Harpocr. Suida & Marm. Spon. Pag. 45.

XCIV.

Λαμπρὰ ὑπένερθεν Λαμπρεύς Sig. Spon.

Lam-

Lampra superior *Lamprensis* Meurs. P. A.

Erechtheidis. Vide Differt. V. Num. 9.

XCV.

Λέκκον Spon.

Leccum Meurs. R. A.

Antiochidis ex Hesychio

XCVI.

Λευκόνιον Λευκονιεύς Sig. Spon.

Leuconium *Leuconieus* Meurs. P. A.

Leontidis ex Harpocr. Suida & Marm. Spon. Pag. 45.

XCVII.

Λευκοπύρα Spon.

Leucopyra Meurs. P. A.

Antiochidis ex Hesych.

XCVIII.

Λήναιον Λήναιος & Ληναιεύς Sig. Spon.

Lenaeum *Lenaeus* & *Lenaeeus* Meurs. P. A.

Ignotae. Vid. Steph. & Hesych. in Ἐπὶ Ληναίῳ

IC.

Λίμναι Spon.

Limnae Meurs. P. A.

Ignotae. Populus tamen vocatur a Scholiaste Callimachi Hymno III.

C.

Λυσία Λυσιεύς & Λύσιος Sig. Spon.

Lusia *Lusieus* & *Lusius* Meurs. P. A.

Oeneidis ex Steph. Harpocr. Hesych. & Suida.

CI.

Μαραθών Μαραθώνιος Μαραθωνόθεν Sig. Spon.

Marathon *Marathonius* *ex Marathone* Meurs. P. A.

Leontidis ex Stephano. Sed in Sponii Marmore Pag. 45. quod Differt. IV. Num 7 iam protuli, sub *Aeantide* collocatur, ut optime proinde Sponius hic Marmori potius quam Stephano credendum esse putaverit. At fieri fortasse poterat ut aucto Tribuum numero, variataque Populorum serie Marathon ex Leontide in Aeantidem Tribum migraverit, nisi perspicuo Veterum testimonio ostendatur Marathonem antiquioribus etiam temporibus ad Aeantidem Tribum spectasse; cuiusmodi tamen nullum aut a Sponio, aut a Meursio profertur,

fertur; quamvis id nitide a Plutarcho doceri deprehenderim. Siquidem ille varias Aeantidis Tribus laudes commemorans ait κὴ γὰρ ὁ Μαραθῶν εἰς μέσον εἵλκετο δῆμος ὢν ἐκείνης τῆς φυλῆς [1] *venit enim in medium Marathon, qui eius Tribus Populus est* [2]. Idipsum quoque ex Philostrato deprehendisse videor, qui de Herode Marathonio loquens asserit illum paternum genus ad Aiacem referre, adeoque subindicat Herodem ipsum, eiusque Populum Marathonem inter Aeantidas, sive in Aeantide Tribu recensitum esse. In Riccardiano etiam Marmore Marathonem sub Aeantide Tribu collocatum esse conspicio.

CII.

Μελαινεῖς & Μελαῖναι	Μελαινεύς		Sig. Spon.
Melaenei & Melaenae	*Melaeneus*		Meurs. P. A.

Antiochidis ex Steph.

CIII.

Μελίτη	Μελιτεύς	ἐκ Μελίτης	Sig. Spon.
Melite	*Melitensis*	*ex Melita*	Meurs. P. A.

Oeneidis ex Steph. sed *Cecropidi* tamen tribuitur ab Harpocr. Suida, & Marm. Spon. Pag. 45. simulque a Marm. Riccar.

CIV.

Μίλητον	Μιλήσιος		Spon.
Miletum	*Milesius*		

Ignotae. Vid. Spon. Artic. 107.

CV.

Μυῤῥινοῦς	Μυῤῥινούσιος	Μυῤῥινοῦντόθεν	Sig. Spon.
Myrrhinus	*Myrrhinusius*	*ex Myrrhinunte*	Meurs. P. A.

Pandionidis ex Steph. & Marm. Spon. Art. 1. 46. & Pag. 45.

CVI.

Ξυπέτη	Ξυπετεών	ἐκ Ξυπετεώνων	Spon.
Xypete	*Xypete*	*ex Xypeteonibus*	Meurs. P. A.

Cecropidis ex Steph. Harpocr. Hesych. & Suida.

CVII.

Ὄα & Ὄαι	Ὄαθεν		Sig. Spon.
Oa & Oei	*ex Oa*		Meurs. P. A.

Pandionidis ex Steph. Hesych. & Marm. Sponii Artic. 1. Mox *Hadrianidis* ex Marm. Spon. Artic. 42. & Pag. 45.

CVIII.

(1) Sympos. Lib. I. quaest. 10. (2) Vit. Sophist. Lib. II. num. 1. §. 1. 12.

CVIII.

Ὄη	Ὀήθεν.	Spon.
Oe	*ex Oe*	Meurs. P. A.

Oeneidis ex Steph. & Marm. Spon. Artic. 2. Harpocration, & Suidas *Pandionidis* esse dicit, quod nimirum illam cum superiori confundat. Ita Meursius, cum observasset *in Oa* quod ipsius Popularis Ὀάθεν ex Stephano vocabatur, apud quem diserte legitur Δάμων Δαμωνίδου Ὀάθεν *Damon Damonidae ex Oa*, mox *in Oe* Plutarchum *in Pericle* corrigendum asserit ubi corrupte nunc legitur Δημονίδου τοῦ Ἰήθεν, scribendumque Δημονίδου τοῦ Ὄηθεν *Demonidae ex Oe*. Si tamen Demonides ille, qui a Plutarcho, simulque a Stephano memoratur, unus idemque fuerit, perspicuum fiet in Plutarchi textu non Ὀήθεν sed Ὀάθεν potius legendum esse, multoque minus Ὀίθεν admitti posse, quod Palmerio [1] videbatur; quippequi *Oen* ab *Oa* distinguendam esse non viderat.

CIX.

Ὄιναι	Ὀιναῖος	Meurs. R. A.
Oenae	*Oenaeus*	

Attalidis, vel *Ptolemaidis* ex Hesychio. Populum hunc sequenti Marmore illustravit Meursius, quod in Grutero exhibetur Pag. 405. Ανθεςηριος εκ Μυρρινουντης, Ξενοφιλος Θιναιος, Δημητριος Μαραθωνιος. *Antheſterius ex Myrrhinunte*, *Xenophilus Thinaeus*, *Demetrius Marathonius*. Meursius hic optime rescribendum viderat Ὀιναῖος *Oenaeus*: quod Sponius quoque deinde observavit ad Pop. Attic. Artic. 106. Plurimum tamen hic fallitur Sponius quod Xenophilum hunc non ad *Oenas*, qui Populus ipsi incognitus fuerat, sed ad *Oenoem* retulerit: simulque Ανθεςηριοις *Antheſteriis* legendum putaverit; quod nimirum, ut opinatur ille, non viri, sed Festi cuiusdam Atheniensis nomen hic habeatur. At doctissimi Viri pace, quid *Antheſteria* Festa cum *Myrrhinunte* Populo? aut quî sequentium Populorum nomina semper civium, seu Popularium nominibus coniunguntur, Myrrhinuntis vero nomen non ad Popularis, virique, sed ad Festi nomen referatur? Itaque certissime Ανθεςηριος scribi debet, atque *Antheſterii* civis nomen latine reddi: quemadmodum in Riccardiano quoque Marmore inter aliorum Civium nomina . . . ιων Ανθεςηρου . . *ion Anthe-*

(1) Exercit. Pag. 191.

thesterii occurrit, quod nemo ſane vel ad Feſti, vel ad menſis Athenienſis nomen revocaverit. Denique ad hunc ipſum Atticae Populum referendam eſſe putaverim Inſcriptionem aliam, quae in eodem Grutero Pag. 86. reperitur Απολλωνιος Διοσκȣριδȣ Νεαπολιτης Ανȣβιδι υπερ εαυτȣ και της γυναικος και των παιδων επι Ιερεως Σωσιωνος τȣ Ευμενȣς Οιναιȣ *Apollonius Diſcuridis Neapolites Anubidi pro ſe, & uxore, & filiis* votum poſuit *ſub Sacerdote Soſione Eumenis Oenaeo*. Quamvis enim Apollonius ille *Neapolites* dicatur, votiva tamen haec tabula Athenis poſita, ideoque in illa Athenienſis Sacerdotis nomen expreſſum videtur, quod in pluribus tabellis aliis factum conſpicitur.

CX.

Οἰνόη	Οἰνοαῖος	Sig. Spon.
Oenoe	*Oenoaeus*	Meurſ. P. A.

Hippothoontidis ex Harpocr. vid. Strabo VIII. & Euſtath. Iliad. II. num. 55.

CXI.

Οἰνόη	Οἰνοαῖος	Sig. Spon.
Oenoe	*Oenoaeus*	Meurſ. P. A.

Aeantidis ex Harpocr. & Strab. VIII. & Euſtath. in Iliad. II. num. 55.

CXII.

Οἶον	ἐξ Οἴȣ	Sig. Spon.
Oeum	*ex Oeo*	Meurſ. P. A.

Leontidis ex Steph. Harpocr. Suida Marm. Spon. 45. & Marm. Riccard. Oeum *Ceramicum* vocabatur quod Ceramico proximum foret.

CXIII.

Οἶον	ἐξ Οἴȣ	Sig. Spon.
Oeum	*ex Oeo*	Meurſ. P. A.

Hippothoontidis ex Harpocr. & Suida. *Decelicum* vero dicebatur iſtud quod Deceliae finitimum eſſet.

CXIV.

Ὀτρυνεῖς	Sigon.
Otrynenſes	Meurſ. R. A.

Ignotae Tribus. Demoſthenes *in Leocharem* Populi huius meminit, gobiique Otrynenſes ab Athenaeo laudantur Lib. VII.

CXV.

Παιανιὰ καθυπέρθεν	Παιανιεύς	Sig. Spon.

Paea-

Paeania superior *Paeaniensis* Meurs. P. A.
Pandionidis ex Harpocr. Suida, & Marm. Spon. Artic. 1. & 46. Addo Cyriaci Marmor, quod Differt. XI. proferam, ubi de M. Valerio Mamertino Archonte differetur.

CXVI.

Παιανιὰ ὑπένερθεν Παιανιεύς Sig. Spon.
Paeania inferior *Paeaniensis* Meurs. P. A.
Pandionidis etiam ista ex eodem Harpocr. & Suida.

CXVII.

Παιονίδαι Sig. Spon.
Paeonidae Meurs. P. A.
Leontidis ex Harpocr. Suida, & Marm. Sponii Pag. 45.

CXVIII.

Παλλήνη Παλληνεύς Sig. Spon.
Pallene *Palleneus* Meurs. P. A.
Antiochidis ex Steph. Harpocr. & Marm. Spon. Pag. 45.

CXIX.

Παμβωτάδαι Παμβωτάδης Sig. Spon.
Pambotadae *Pambotades* Meurs. P. A.
Erechtheidis ex Steph. Harpocr. & Suida.

CXX.

Πειραιός Πειραιεύς ἐκ Πειραιῶς Sig. Spon.
Piraeus *Piraeeus* *ex Piraeo* Meurs. P. A.
Hippothoontidis ex Steph. & Marm. Spon. Pag. 45. & facile etiam ex Marm. Riccard.

CXXI.

Πεντέλη Πεντεληθεύς Sig. Spon.
Pentele *Penteletheus* Meurs. P. A.
Antiochidis ex Steph.

CXXII.

Περγασή Περγασεύς Περγασῆθεν Sig. Spon.
Pergase *Pergaseus* *ex Pergase* Meurs. P. A.
Erechtheidis ex Steph. Harpocr. Suida, & Marm. Riccard.

CXXIII.

Περιθοῖδαι Περιθοίδης ἐκ Περιθοιδῶν Sig. Spon.
Perithoedae *Perithoedes* *ex Perithoedis* Murs. P. A.
Oeneidis ex Steph. Harpocr. Suida, & Apostolio.

CXXIV.

Περρίδαι Περρίδης Sig. Spon.

Perrhidae	*Perrhides*		Meurf P. A.

Antiochidis ex Steph. Antea tamen *Aeantidis* erat ex Harpocr. in *Thyrgonidae*. Hesychius Populares istos *in Aphidnis* fuisse dicit Περρίδαι, τῆς Ἀττικῆς δῆμος ἐν Ἀφίδναις; idque etiam, ut opinor, ostendit Aphidnas non Leontidis, aut Aegeidis, sed Aeantidis Tribus fuisse, ut alibi demonstravi.

CXXV.

Πήληκες	Πήληξ	ἐκ Πηλήκων	Sig. Spon.
Peleces	*Pelex*	*ex Pelecibus*	Meurs. P. A.

Leontidis ex Steph.

CXXVI.

Πίθος	Πιθεύς	vel Πιτθεύς	Sig. Spon.
Pithos	*Pitheus*	vel *Pittheus*	Meurs. P. A.

Cecropidis ex Steph. Harpocr. Suida Marm. Spon. Artic. 42. & Marm. Riccard.

CXXVII.

Πλώθεια	Πλωθειεύς & Πλωθεύς	Πλωθειάθεν	Sig. Spon.
Plothia	*Plothieus* & *Plotheus*	*ex Plothia*	Meurs. P. A.

Aegeidis ex Steph. Harpocr. & Suida

CXXVIII.

Πόρος	Πορειεύς	& Πόριος	Sig. Spon.
Porus	*Porieus*	& *Porius*	Meurs. P. A.

Acamantidis ex Harp. Hesych. Suida, & Marm. Spon. Pag. 45.

CXXIX.

Ποταμός	Ποτάμιος	Sig. Spon.
Potamus	*Potamius*	Meurs. P. A.

Leontidis ex Harpocr.

CXXX.

Πρασίαι	Πρασιεύς	Πρασίαθεν	Sig. Spon.
Prasiae	*Prasieus*	*ex Prasiis*	Meurs. P. A.

Pandionidis ex Steph. & Marm. Spon. Artic. 1. & 46.

CXXXI.

Προβάλινθος	Προβαλίνθιος	Προβαλινθόθεν	Sig. Spon.
Probalinthus	*Probalinthius*	*ex Probalintho*	Meurs. P. A.

Pandionidis ex Steph.

CXXXII.

Πρόσπαλτα	Προσπάλτιος	Προσπαλτόθεν	Sig. Spon.
Prospalta	*Prospaltius*	*ex Prospalta*	Meurs. P. A.

Acamantidis ex Stephano, Demosth. *in Macartatum*, Harpocr. & Suida.

CXXXIII.

CXXXIII.

Πτελέα	Πτελεάσιος	Πτελεάθεν	Sig. Spon.
Ptelea	*Pteleasius*	*ex Ptelea*	Meurs. P. A.

Oeneidis ex Steph. Addo Eustath. ad Iliad. II. num. 73.

CXXXIV.

Ῥαμνοῦς	Ῥαμνούσιος	Ῥαμνουντόθεν	Sig. Spon.
Rhamnus	*Rhamnusius*	*ex Rhamnunte*	Meurs. P. A.

Aeantidis ex Steph.

CXXXV.

Σαλαμίς	Σαλαμίνιος	Meurs. R. A
Salamis	*Salaminius*	

Ignotae. Atticae tamen Populis inscriptam fuisse docet Philostratus *in Aiace*: Σαλαμῖνα Ἀθηναῖοι δῆμον πεποίηνται *Athenienses Salaminem Populum fecerunt*; unde etiam a Statio Lib. XII. ver. 637. *Thebaidos* ceteris Atticae Populis accensetur.

CXXXVI.

Σημαχίδαι	Σημαχίδης	Spon.
Semachidae	*Semachides*	Meurs. P. A.

Antiochidis ex Steph. & Hesychio.

CXXXVII.

Σκαμβωνίδαι	Σκαμβωνίδης	Sig. Spon.
Scambonidae	*Scambonides*	Meurs. P. A.

Leontidis ex Steph. Harpocr. Hesych. Schol. Aristoph. in Vespis ad ver. 81. & Suida

CXXXVIII.

Σούνιον	Σουνιεύς	Σουνιόθεν	Sig. Spon.
Sunium	*Sunieus*	*ex Sunio*	Meurs. P. A.

Leontidis ex Steph. Mox *Attalidi* tributa fuit ex Marm. Spon. Pag. 45.

CXXXIX.

Σπόργιλος	Σποργίλιος	Spon.
Sporgilus	*Sporgilius*	Meurs. P. A.

Ignotae. Populum tamen fuisse docet Stephanus

CXL.

Στείρια	Στειριεύς	Στειριάθεν	Sig. Spon.
Stiria	*Stirieus*	*ex Stiria*	Meurs. P. A.

Pandionidis ex Steph. Harpocr. Hesych. Suida, Lucian. *in Dialog. Meretric.* & Marm. Spon. Pag 45 & Artic. 1. & 46. quibus adiungo Marmor Cyriaci Dissert. XI. proferendum.

CXLI.

Συβρίδαι Συβρίδης Sig. Spon.
Sybridae *Sybrides* Meurſ. P. A.
Erechtheidis ex Steph. Heſych. & Marm. Riccard.

CXLII.

Συπαληττός Συπαλλήττιος Συπαληττόθεν Sig. Spon.
Sypalettus *Sypalettius* *ex Sypaletto* Meurſ. P. A.
Cecropidis ex Steph. & Heſychio.

CXLIII.

Σφενλδάλη Σφενδαλεύς Σφενδαλῆθεν Sig. Spon.
Sphendale *Sphendaleus* *ex Sphendale* Meurſ. P. A.
Hippothoontidis ex Stephano.

CXLIV.

Σφηττός Σφήττιος Σφηττόθεν Sig. Spon.
Sphettus *Sphettius* *ex Sphetto* Meurſ. P. A.
Acamantidis ex Steph. Harpocr. Heſych. & Suida

CXLV.

Τίθρας Τιθράσιος Τιθραντόθεν Sig. Spon.
Tithras *Tithraſius* *ex Tithrante* Meurſ. P. A.
Aegeidis ex Steph. & Schol. Ariſtoph. *in Ranis* ad ver. 386.

CXLVI.

Τιτακίδαι Τιτακίδης Sig. Spon.
Titacidae *Titacides* Meurſ. P. A.
Antiochidis ex Steph. Sed *Aeantidis* Harpocr. Suidae, atque Etymologo fuiſſe dicitur.

CXLVII.

Τρικόρυθον Τρικορύσιος Sig. Spon.
Tricorythum *Tricoryſius* Meurſ. P. A.
Aeantidis ex Stephano.

CXLVIII.

Τρινεμεῖς Τρινεμεύς Τρινεμέαθεν Sig. Spon.
Trinemeis *Trinemeus* *ex Trinemea* Meurſ. P. A.
Cecropidis ex Steph. & Marm. Spon. Pag. 45.

CIL.

Τυρμίδαι Τυρμίδης Sig. Spon.
Tyrmidae *Tyrmides* Meurſ. P. A.
Oeneidis ex Steph. & Suida

CL.

Ὕβα Ὑβάδαι Ὑβάδης Sig. Spon.

Hyba

Hyba	*Hybadae*	*Hybades*	Meurſ. P. A.

Leontidis ex Steph. Suida, & Etymol.

CLI.

Ὑσίαι & Ὑσία		Ὑσιεύς	Spon.
Hysiae & *Hysia*		*Hysieus*	Meurſ. P. A.

Ignotae. Herodotus Lib. IV. c. 74. hunc Atticae Populum fuiſſe, atque Oenoe proximum teſtatur: οἱ Βοιωτοὶ Οἰνόην αἱρέυσι, καὶ Ὑσίας δήμυς ἐσχάτυς τῆς Ἀττικῆς *Boeoti Oenoem capiunt, & Hysias Populos extremos Atticae*. Harpocrationi tamen, Suidae, & Stephano Hyſia quidem Boeotiae civitas, non vero Atticae Populus memoratur; cumque Stephanus ipſe praemiſiſſet Hyſiam Boeotiae civitatem eſſe, moxque cognomines alias in Parthia, Argolicis, Arcadia memoraſſet, poſtremo ſubdit ἔςι καὶ Ὑσία πόλις Βοιωτίας *eſt etiam Hysia Boeotiae civitas*; quem certe locum ſibi merito ſuſpectum eſſe Pinedus optime exiſtimavit, cum a vero prorſus abhorreat Stephanum Boeotiam Hyſiam ſemel iterumque memoraſſe; ſcribendumque putat Ἀχαίας *Achaiae*: quod nimirum Hyſiae Achaicis urbibus accenſeantur a Plinio Lib. IV. c. 5. Non video tamen cur potius hic Ἀττικῆς *Atticae* reſcribi non poſſit; cum facile Stephanus Hyſiam Boeotiam ab Attica diſtinctam cenſere potuerit: quamvis una, eademque foret, quae prius Boeotorum, mox Athenienſium imperio ſubiecta fuit.

CLII.

Φάληρον	Φαληρεύς	& Φαληραῖος	Sig. Spon.
Phalerum	*Phalereus*	& *Phaleraeus*	Meurſ. P. A.

Antiochidis ex Harpocr. & Suida; *Aeantidis* tamen ex Spon. Marm. Pag. 45.

CLIII.

Φηγαία	Φηγαιεύς	ἐκ Φηγαίων	Sig. Spon.
Phegaea	*Phegaeeus*	*ex Phegaeis*	Meurſ. P. A.

Aegeidis ex Steph. & Heſychio.

CLIV.

Φηγαία	Φηγαιεύς	Sig. Spon.
Phegaea	*Phegaeeus*	Meurſ. P. A.

Pandionidis ex Stephano. Alteruter ex cognominibus Populis iſtis *Aeantidi* adſcribitur ab Harpocr. Suida, & Etymologo; ſicuti *Phegaea* ſub *Hadrianide* collocatur in Marm. Spon. Pag. 45. ſed incertum quaenam ex veteri in novam hanc Tribum translata fuerit.

CLV.

CLV.

Φηγοῦς	Φηγούσιος	Φηγοῦντόθεν	Sig. Spon.
Phegus	*Phegusius*	*ex Phegunte*	Meurs. P. A.

Erechtheidis ex Steph. Harpocr. Suida Etymol. & Marm. Spon. Pag. 45.

CLVI.

Φιλαΐδαι	Φιλαΐδης	Sig. Spon.
Philaidae	*Philaides*	Meurs. P A.

Aegeidis ex Steph. & Marm. Spon. Artic. 163. Quo tamen loco fallitur Sponius dum Philaidas semper *Oeneidi* inscriptos esse arbitratur, quod in alio Marmore Pag. 45. sub *Oeneide* collocentur. Nam in Marmore, quod Artic. 163. exhibet Sponius, Evagides Ctesiae filius Philaides Euthycrito Archonte *Aegeidis* Tribus Choragus fuisse dicitur; ideoque anno 1. Olymp. CXIII. Philaidae sub *Aegeide* recensebantur, sequioribus fortasse temporibus in *Oeneidem* translati.

CLVII.

Φλύα	Φλυεύς	Φλυῆθεν	Sig. Spon.
Phlya	*Phlyeus*	*ex Phlya*	Meurs. P. A.

Cecropidis ex Steph. Harpocr. Suida. Hesychius tamen & Marm. Spon. Pag. 45. illam *Ptolemaidi* adscribit; quod nimirum in istam translata videatur.

CLVIII.

Φορμίσιοι	Spon.
Phormisii	Meurs. P. A.

Ignotae. Atticae tamen Populum illos fuisse diserte docet Dinarchus Oratione *in Demosthenem*.

CLIX.

Φρέαρροι	Φρεάρριος	Φρεαρρόθεν	Sig. Spon.
Phrearrhii	*Phrearrhius*	*ex Phrearrhiis*	Meurs. P. A.

Leontidis ex Steph. Plutar. *in Themistocle*. Harpocr. Hesychio, Suida, & Etymol.

CLX.

Φρίττιοι	Spon.
Phrittii	Meurs. P. A.

Ignotae. Hic Atticae Populus ab Alciphrone solo memoratur in Epistola Aegialei ad Struthionem.

CLXI.

Φυλή	Φυλάσιος	Sig. Spon.

Phyle

Phyle	*Phylasius*	Meurs. P. A.

Oeneidis ex Steph. Harpocr. & Etymologo.

CLXII.

Φυρν . . .		Spon.
Phyrn . . .		

Antiochidis ex Marm. Spon. Pag. 45. ex cuius laciniis Populi huius ceteris omnibus indicti notitia primum affulsit.

CLXIII.

Χιτόνη	Χιτόνιος	Spon.
Chitone	*Chitonius*	Meurs. P. A.

Erechtheidis Tribus Populum istum fuisse ex Riccardiano Marmore ego primus deprehendi. Etenim ibi sub Erechtheide Tribu recensetur Παρανομος Διονυσιυ X. nullusque prorsus hic dubito quin initiali litera X. Paranomi Populus exprimatur; ideoque vel ad Chitonem, vel ad Cholargum, vel denique ad Chollidas referri ille poterit, quod eiusmodi solum Populorum nomina a litera illa initium ducant. At neque *Cholargeus*, neque *Chollides* esse ille poterat, cum Cholargei in Acamantide; Chollidae in Aegeide, sive potius in Leontide continerentur, ergo Chitone solum ex notis supererit, quae ad Erechtheidem referatur. Ceterum Chitonem *Populum* fuisse docet Callimachi Scholiastes Hymno *in Dianam* ver. 225.

CLXIV.

Χόλαργος & Χολαργία	Χολαργεύς	Sig. Spon.
Cholargus & *Cholargia*	*Cholargeus*	Meurs P. A.

Acamantidis ex Steph. Hesych. Harpocr. Suida, & Scholi. Aristoph. in Acharn. ver. 855.

CLXV.

Χολλίδαι	Χολλίδης	Sig. Spon.
Chollidae	*Chollides*	Meurs. P. A.

Leontidis ex Steph. Harpocr. Suida. *Aegeidis* vero ex Schol. Aristoph. ad Acharn. ver. 404.

CLXVI.

Ψαφίδαι		Sig. Spon.
Psaphidae		

Aeantidis ex Marm. Spon. Pag. 45. Ceteris Atticae Populis hic a Strabone diserte accensetur: ut mirari proinde subeat cur Meursius illum praeterierit; cum praesertim in Sigonii serie nobis occurrat.

XXI. Hactenus illa Populorum series, quam methodo iam constituta contexendam suscepi. Quid vero in Populis illis hic ordine recensendis ego praestiterim, quidve laboris, ac diligentiae res ista postulaverit, facile, ut opinor, intelliget quicumque ambages illas inspexerit, quae in serie a Scriptoribus aliis adornata subinde occurrunt, ut in hac ipsa Dissertatione Num. 13. opportune iam monui; simulque reputaverit omnia, quae in Populorum singulis hic ordine expressi, non ex Sponio solum, Meursioque, qui pleraque sane complexi fuerant, sed ex ipsis potius Veterum fontibus hausta, ac derivata fuisse: ut exinde quoque loca plurima, quae in alias Populorum series irrepserant, facilius detegi, atque a veris Atticae Populis perspicuo charactere distingui possent. Itaque brevissima series illa, quam protuli, monimentis quidem aliis illustrari, vel confirmari subinde poterit; at nullus fortasse Populus in illa memoratus expungi: ut si proinde series aliae a Meursio, Sponioque contextae hac ipsa uberiores sint futurae; haec tamen nitore, ac diligentia sua non immerito fortasse probari, ceterisque praestare posse videatur: quippequae veros omnes Atticae Populos complectatur, nullumque recenseat, qui ex accurata Populorum serie excludi possit. Quandoquidem vero non omnes CLXXIV. sed CLXVI. solum Atticae Populos enumeravi, si cui fortasse libeat integrum illum Populorum numerum conficere, neque tamen ex Graecis Scriptoribus, aut monimentis aliis nova quaedam Populorum nomina affulgeant, quae in Marmoribus tamen, aut Scriptoribus aliquando occurrent, is ex XXX. Populis, qui in Meursii, Sponiique serie supersunt, octo illos eligat, per me licet, quos ceteris a me numeratis accenseat. Ut vero facilius peragi id possit, simulque deprehendi cur illos ex accurato Populorum censu eximendos esse putaverim, ipsorum singulos hic ordine complectar; simulque argumenta, vel indicia exponam, quibus illos expungendos esse conieci. Atque initio quidem ex undecim Populis illis, quos Meursius in *Reliquis Atticis* enumeravit, *Chastienses* eximendos arbitror. Quamvis enim Hesychius a Meursio laudatus *Chastienses* ipsos *Populi* nomine decoraverit; obscurum tamen, incertumque maxime censeri poterit, an Atticae potius, an alterius regionis incolae, sive Populus haberi illi debeant. Sic enim Hesychius

ſychius Χαςιᾶ, τὸν ἀπὸ δήμου, Χαςιεῖς γὰρ δῆμος. Χαςιεῖς ὄνομα δήμου. *Chaſtienſem eum, qui a Populo* nominatur; *Chaſtienſes enim Populus. Chaſtienſes nomen Populi*. Quis facile hic dixerit Chaſtienſes illos perſpicue, certoque ad Atticae Populos referendos eſſe; cum neque Atticae regionis, neque Athenienſis Tribus nomen Heſychius expreſſerit? Certe Heſychius ipſe *Molſum* quoque Populum alibi memoravit Μόλσος· ὁ δῆμος Αἰολεῖς *Molſus Populus apud Aeolidas* ubi Sopingius Αἰολίδος *Aeolidis* legendum eſſe coniecit: ut proinde Populus ille ad *Aeolidem* Atticae Tribum, alibi quoque Stephano memoratam, referri videatur. At Sponius tamen *Molſum* hunc Atticae Populis inſerendum eſſe negavit, quod ex ambiguo nimirum Heſychii teſtimonio minime oſtendi poſſet hunc Atticae Populum habendum eſſe. Itaque, niſi plurimum fallor, *Chaſtienſis* etiam Populus eodem ipſo iure refelli debet; quod Chaſtienſes illi non Atticae, ſed alterius fortaſſe gentis Populus eſſe poſſent. Deinde vero ex integra CLXXIV. Populorum ſerie, quam Meurſius in Libro de *Populis Atticae* adornaverat, doctiſſimo Sponio treſdecim Populos illos reiiciendos eſſe conceſſerim, quos Sponius ipſe ex eadem Meurſii ſerie iampridem expunxerat; quique in ſubiecta ſerie conſpiciuntur

1. *Agra*	6. *Belbina*	10. *Pharmacuſa*
2. *Anchesmus*	7. *Brileſſus*	11. *Phaura*
3. *Amphiale*	8. *Lycabettus*	12. *Phoron Portus*
4. *Aſtypalaea*	9. *Hydruſa*	13. *Pſyttalia*.
5. *Atalanta*		

Quemadmodum enim accuratiſſimus Auctor ille obſervavit, eiuſmodi loca a plurimis quidem Graecis Scriptoribus memorantur; ſed a nullo tamen δήμου, vel *Populi* nomine inſignita conſpiciuntur; quinetiam ipſorum pleraque vel inhoſpita, vel deſerta fuerant, ut immerito proinde Populis a Meurſio inſcripta videantur. Eiuſmodi Sponii argumento gravius hic etiam argumentum aliud adiungi poterit, quod nimirum in *Reliquis Atticis* undecim Populos alios Meurſius exhibuit, quemadmodum quatuor alios deinde Sponius adiecit, & *Pſaphidas* Sigonius ante Sponium admiſerat, atque horum ſexdecim Populorum ſinguli, ſi *Chaſtienſes* exceperis, in veram, accuratamque ſeriem admitti debent. Itaque, ne conſtans ille CLXXIV. Populorum numerus varietur, totidem prorſus ex

antiqua Meursii serie sunt expungendi: nullique verisimilius eximi debent quam tresdecim illi, qui a Sponio notati fuerant, quippequi obscuriores, magisque incerti videantur. At non tresdecim solum Populos illos a Sponio notatos, sed undecim insuper alios reiiciendos existimo; quamvis ipsorum singuli a Sponio, Meursioque recepti, ceterisque adiecti iam fuerint, nimirum

1. *Enna*	5. *Munychia*	9. *Sciron*
2. *Ceramicus*	6. *Parnes*	10. *Hymettus*
3. *Colonus*	7. *Pnyx*	11. *Oropus*
4. *Laurion*	8. *Patrocli Vallum*	

Etenim quod ad *Pnycem* attinet, opportune iam dixi Dissertatione I. Num. 18. illam prorsus immerito Populis accenseri. De *Ceramico* vero *interiori*, simulque de *Forensi Colono* Dissert. V. Num. 10. & 11. disserui. Quod vero ad loca reliqua spectat, indicia vel argumenta modo subiiciam, quibus illa ex Atticorum Populorum censu eximenda fore coniicio.

1. Ἔννα *Enna*

Solus Callimachi Scholiastes Populum, aut locum hunc memoravit. Cum enim Callimachus Hymno III. *in Cererem* vers. 30. de Cerere ipsa loquens dixisset . . . Θεὰ δ' ἐπεμαίνετο χώρῳ.

Ὅσσον Ἐλευσῖνι, Τριόπῳθ' ὅσσον, ὁκκόσον Ἔννᾳ

. . . *Dea vero tanto amore loci insaniebat*

Quanto Eleusinis, quanto Triopii, quanto Ennae

Scholiastes hic adnotavit Ἐλευσὶς, καὶ Ἔννα δῆμοι Ἀττικῆς *Eleusis, & Enna Populi Atticae*. Doctissima tamen Daceria observavit Scholiastem illum *mire falli, & cum eo maximum Virum Ioannem Meursium de Populis Atticae*: quod nimirum *Enna*, Cicerone teste, *civitas ac umbilicus Siciliae* foret. Atque optime haec illa quidem, cum Callimachi certe locus ambiguus sit, atque ipsum Eleusinis nomen facile Scholiastem fallere potuerit, ut is *Ennam* quoque, *Eleusinis* instar, in Attica collocaret, Atticaeque Populis accenseret. Fieri tamen fortasse potuit, ut Enna in Sicilia, simulque etiam in Attica reperiretur; atque Enna illa, quae in umbilico Siciliae sita erat, Atheniensium colonia foret, adeoque nomen, atque incolas ab Atticae Enna accepisset: quo plane fieret ex sola Daceriae coniectura, vel argumento hunc Scholiastae, Meursiique errorem satis evinci non posse. Verum quod laudatus ille Calli-

machi

machi versus non Atticae, sed Siciliae solum Ennam significet, adeoque etiam facile Scholiastes erraverit, ex ipso Callimachi contextu deprehendi. Etenim Callimachus ipse paullo superius vers. 15. Cererem alloquens ait

Τρὶς δ' ἐπὶ καλλίςης νήσυ δράμες ὀμφαλὸν Ἔνναν

Ter ad pulcherrimae insulae umbilicum Ennam accurristi; ergo, quemadmodum Enna, quae hic memoratur, ad Atticam referri certe non poterit, ita quoque Enna illa, quae mox occurrit, non Atticae, sed Siciliae civitas habenda erit. Neque reponi facile poterit quod Enna quaedam etiam in Attica reperiebatur. Etenim, si in Atticae finibus ulla unquam Enna fuisset, cuius *amore insanire* Ceres potuisset, & in qua Cereri Festa, vel Sacra peragi consuevissent, fieri profecto vix poterat, ut illa ab Atticis Scriptoribus minime memoraretur; nec ullibi prorsus ipsius nomen, nisi apud solum Callimachi Scholiastem occurreret. Quod enim Sponius Ennam hanc Atticam in sequenti Marmore indicari putavit, quod ille *prope Athenas* positum exscripsit,

Μοσχος Μοσχιωνος Αννιος

Moschus Moschionis filius *Annius*

levissimae coniecturae loco haberi vix poterit; cum fortasse non Αννιος, aut Εννιος, sed Αινιος *Aenius* potius legendum sit; ac *Moschus* ille non ad *Ennam*, sed ad Aenam Thraciae, vel Thessaliae, vel Locridis etiam urbem spectaverit.

4. Λάυριον *Laurium*

Quamvis hic locus, in quo Atheniensium argenti fodinae reperiebantur, ab omnibus fere Graecis Scriptoribus memoretur; a nullo tamen *Populus*, sed universe solum a Suida, aliisque Atticae *locus*, aut τόπος nominatur.

5. Μενύχια *Munychia*

Celeberrimus hic Atheniensium portus fuit; ideoque a Strabone Lib. IX. & Stephano λιμὴν *Portus*, a Suida τόπος θαλάσσιος ἐν Ἀττικῇ *litoralis Atticae locus* appellatur; nullibi vero *Populi* nomine donatur. Quinetiam Stephanus ipse, qui de veris Atticae Populis differens, ipsorum incolas δημότας, hoc est *Populares* appellat; ubi de Munychiae incolis agit, ait ὁ οἰκήτωρ Μενύχιος *habitator Munychius*: perinde quasi Munychia non *Populus*, sed locus simpliciter habenda foret. Denique Munychia, Strabone teste, muro circumdata fuerat, ambi-

tuque suo Piraeeum complectabatur; adeoque, si Populus & ipsa fuisset, Populus unus in alio Populo locandus esset.

6. Πάρνης *Parnes*

Ceteris hic Atticae montibus a Strabone, Stephano, aliisque omnibus accensetur; a nullo tamen *Populi* nomen ipsi tribuitur. Itaque facile Parnethis incolae, quemadmodum etiam *Harmatis*, quod in occidentali Parnethis latere collocatum esse iam dixi, ad Populum alium spectavit.

8. Πατρόκλυ χάραξ *Patrocli vallum*

Haec Insula, quae sequioribus solum temporibus a Patroclo quodam Aegyptio, qui Ptolemaei Lagidis triremibus Praefectus erat, nomen obtinuit, ita a Pausania describitur: νῆσος ἔρημος ὐ μεγάλη Πατρόκλυ καλυμένη *Insula deserta, non magna Patrocli nuncupata*. Quemadmodum ergo *Belbinam*, *Pharmacutam*, aliasque id genus Insulas in Meursii serie Atticae Populis inscriptas optime Sponius expunxerat, ita quoque *exiguam*, *desertamque* hanc Insulam minime Populis accensendam esse putaverim.

9. Σκίρα, vel Σκίρον *Scira*, vel *Scirum*

Hic ipse quoque locus nullibi *Populus* appellatur; sed a Pausania χωρίον *locus*; a Strabone, Stephano, simulque Harpocratione τὶς τόπος *locus quidam* vocatur.

10. Ὑμεττός *Hymettus*

Quamvis hic Atticae mons mellificio celebris incolis abundaret, semper tamen a Graecis Scriptoribus ὄρος *mons*, nunquam vero δῆμος, aut *Populus* nominatur; ipsiusque incola non δημότης *Popularis*, sed simpliciter οἰκήτης *habitator* a Stephano appellatur. Itaque *Brilessi*, & *Lycabetti* instar, quos ex Meursiana Populorum serie Sponius expunxerat, Hymettus etiam eximendus erit.

11. Ὠρωπός *Oropus*

Oropi civitas, cum in ipsis Atticae, Boetiaeque finibus sita foret, modo Boeotorum, modo Atheniensium imperio subesse debuit. Non facile tamen profecto ego dixerim an illa aliquando ceteris Atticae Populis inscripta fuerit. Id innuere quidem videtur Strabo, qui cum de *Marathone*, *Tricorytho*, *Rhamnunte*, & *Psaphide Oropiorum* dixisset, repente subdit Ὠρωπὸς δ' ἐν ἀμφισβητησίμῳ γεγένηται πολλάκις. ἵδρυται γὰρ ἐν μεθορίῳ τῆς τε Ἀττικῆς, καὶ τῆς Βοιωτίας *Oropus saepe in controversiam*

siam venit; *sita est enim urbs in confinio Atticae*, & *Boetiae*; adeoque, sicuti loca, quae praecesserant, veris Atticae Populis inscribenda sunt, ita quoque Oropus ipse inter Populos habendus esse videtur. At celebris ille Strabonis locus, cui Meursius, ac Sponius innititur, obscurior est certe quam ut ipsius praesidio ceteris Atticae Populis Oropus inseratur. Quinetiam Strabo ipse Oropum a locis aliis, quae antea recensuerat, ita distinguere videtur, ut cetera quidem Populis inscripta, simulque Atheniensium ditioni constanter subdita, *Oropum* vero saepe in controversia positum fuisse dicat; quemadmodum inferius *Helenam* insulam, aliaque Atticae loca recenset, quae nemo sane Atticae Populis inscripserit. Itaque, quamvis Oropus ipse aliquando Atheniensibus paruerit, atque Thucydide teste [1] *Piraica*, vel ut Pinedo legit, *Graïca* Oropiorum regio ab Oropiis Atheniensium subditis incoleretur; incertum est tamen an Oropus, ac Oropii illi peculiarem quendam Atticae Populum constituerent; longeque, ut opinor, verisimilius haberi debet Oropios illos aut *Psaphidi*, aut *Phyle*, aut alii Atticae Populo Boeotiae finitimo inscribi consuevisse, ne constans ille Populorum numerus variaretur. Video quidem Marmor a Sponio proferri, in quo legitur Αφροδισιος Ζωπυρȣ Ωρωπιος *Aphrodisius Zopyri* filius *Oropius*; at lapis ille non Athenis, sed prope Oropum reperitur: & quamvis etiam Athenis ipsis existeret, non inde tamen inferri posset Oropum Atticae Populum fuisse; cum *Eleusine* Marmor aliud a Sponio [2] exscriptum fuerit, in quo legitur Αρχιας Δαμα Ταναγραιος *Archias Damae Tanagraeus*; neque tamen *Tanagra* a Sponio, aut ab alio Populis Atticae inscripta fuerit.

XXII. Quamadmodum vero plurimos ex Populis illis, quos Meursius enumeraverat, Sponio duce, reiiciendos esse iam dixi, simulque plures alios, quos Sponius ipse Meursii vestigiis insistens admiserat, ex vera Populorum serie eximendos demonstravi; ita quoque nonnullos ex Populis etiam illis, quos Sponius omnium primus invenerat, expungendos esse putaverim. Tresdecim ille Populos partim ex Scriptoribus, partim ex Marmoreis Inscriptionibus a se repertos esse gloriatur, quos in totidem Populorum sedem ex Meursii serie expunctorum inserendos putavit. Ex tresdecim tamen Populis

(1) Lib. II. (2) Pop. Attic. Artic, 43.

lis istis a Sponio numeratis *Cyrtiadae*, & *Leccon* iampridem Meursio in *Reliquis Atticis* observati fuerant; quemadmodum *Psaphidas* optime Sigonius enumeraverat; ut decem proinde solum supersint, qui in Sigonii, Meursiique catalogo minime reperiuntur, ac in sola Sponii serie nobis occurrunt; nimirum

1. *Harma* 5. *Euconthe* 8. *Miletum*
2. *Drymus* 6. *Thebae* 9. *Panactum*
3. *Edapteon* 7. *Larissa* 10. *Phyrn* . . .
4. *Eleusa*

Atque utinam quidem illorum singuli ceteris Atticae Populis adiungi possent! sic enim integra absolutaque CLXXIV. Populorum series, ac numerus haberetur. Verum, nisi plurimum fallor, ex decem Populis illis quatuor solum admitti possunt; *Eleusa* nimirum, *Euconthe*, *Miletum*, & *Phyrn* . . . quos in superiori proinde Populorum serie recensui; sex vero reliqui prorsus expungi debent: quippequi nullos perspicuos characteres, ac indicia certa praeseferant, quibus in accurata Populorum serie numerandi videantur, ut hic breviter ostendam.

1. Ἅρμα *Harma*

Ceteris Atticae Populis hunc etiam inserendum esse confidenter adeo Sponius existimavit (1), ut mirari quoque se dixerit cur doctissimus Meursius illum praeterierit, quamvis *Harma* apud Stephanum nitide, diserteque *Atticae Populus* appelletur. Perspicuo Stephani testimonio Eustathii quoque locum adiungere potuisset hic Sponius ubi Harma *Populus* nominatur. Ἅρμα δὲ κώμη τις πλησίον Μυκαλησσοῦ. ἀλλὰ καὶ δῆμος ἔχων φρέριον ὀχυρὸν ὅμορον, φασὶ, τῇ Ταναγρικῇ *Harma vero pagus est prope Mycalessum; nec non Populus cum castello munito, quod finitimum esse aiunt Tanagricae* (2) At unus idemque prorsus error, qui Eustathium fefellerat, Sponio quoque fraudi fuit; cum ipsorum uterque ambiguum Stephani locum minus, ut arbitror, accurate, feliciterque expresserit. Etenim Stephanus, ubi de *Harmate* Boeotiae urbe dixisset, subdit ἔστι καὶ τῆς Ἀττικῆς Ἅρμα περὶ τὴν Φύλην καλουμένην. ὑπῆρχε δὲ οὗτος δῆμος ἔχων φρέριον ὀχυρὸν ὅμορον τῇ Ταναγρικῇ. *Est etiam Harma Atticae circa oppidum Phylem vocatum. Hic vero Populus habet castellum munitum Tanagricae regioni finitimum*. Eustathius, ac Sponius postrema Stephani verba ad *Harma* referenda fore putarunt,

(1) Pop. Attic. Artic. 21. (2) In Lib. II. Iliad. num. 8.

tarunt, ideoque *Harma* ipsum & *Populum*, & *castellum* appellarunt. Si quid ego tamen coniecturis hic assequor, verba illa non ad *Harma*, sed ad *Phylem* potius spectarunt; adeoque *Populi* nomen a Stephano non *Harmati*, sed ipsi *Phyle* tribuitur. Ac perspicue quidem id primum ex Strabone deprehendi poterit, qui sic utrumque *Harma*, Boeotium nempe, atque Atticum describit τὸ Ἅρμα τῆς Ταναγραϊκῆς κώμη ἔρημος περὶ Μυκαλεττὸν . . . ἑτέρα οὖσα τοῦ Ἅρματος τοῦ κατὰ τὴν Ἀττικὴν, ὅ ἐστι περὶ Φυλὴν δῆμον τῆς Ἀττικῆς ὅμορον τῇ Τανάγρᾳ [1] *Harma Tanagraicae* regionis est *vicus desertus prope Mycalessum . . . distinctum ab Harmate, quod est in Attica prope Phylem Populum Tanagraicae finitimum*. Quis hic aperte non videat *Populi* nomen non Harmati, sed ipsi Phyle a Strabone tributum esse? adeoque Stephani, Eustathiique verba, quamvis obscuriora sint, hoc ipso tamen Strabonis sensu, quem exscripsisse videntur, intelligenda fore? Certe, si locus ille *Populi* nomine donandus est, qui ὅμορος τῇ Ταναγραϊκῇ *Tanagraicae finitimus* erat, idque Strabo non de Harmate, sed de Phyle solum asseruit, non Harma, sed Phyle Populus habenda erit. Ita quoque, si Populi nomen in Stephani, ac Eustathii textu ad locum illum referri debet, qui *munitum castellum* habuit, idque de Phyle Diodorus [2], Harpocration, aliique plures diserte docent, nullus autem omnino Veterum de Harmate memoravit, non Harma, sed Phyle Populi nomine vocanda erit: quemadmodum certe Suidas de Harmate loquens, ipsum non φρούριον *castellum*, neque δῆμον *Populum*, sed *locum* potius, seu τόπον simpliciter appellavit: ac Eustathius ipse mox subdit ἔστι δὲ καὶ, φασὶ, τῆς Ἀττικῆς τόπος ἐν Πάρνηθι Ἅρμα καλούμενος, κείμενος περὶ τὴν οὕτω καλουμένην Φυλήν *Est etiam, inquiunt, Atticae locus in Parnethe, nomine Harma, situs iuxta Phylem, quam sic appellant*. Denique, ne coniecturis aliis hic immorer, Atticum Harma in Parnethe monte reperiebatur, ut Eustathius, Hesychius, aliique docent; Parnes autem a Boeotiae finibus aberat, cum in zephyria, vel occidentali sui parte Phylem respiceret, ut testatur Theophrastus [3]; ac regio a Parnethe Brauronem usque *Diacria*, Hesychio teste, vocaretur; ergo Atticum Harma *Tanagrae*, vel *Tanagraicae* regioni ὅμορον *finitimum* esse non

(1) Lib. XI. (2) Lib. XIV. (3) De signis Tempest.

non poterat; ideoque postrema Stephani verba, ac *Populi* nomen non ad Harma ipsum, sed ad Phylem potius referri debent: et quamvis etiam vel Stephanus ipse, vel qui Stephani textum breviorem, obscurioremque reddidit, Harma *Populum* fuisse dixisset; facile tamen ille perspicuo Strabonis, aliorumque testimonio refelli posset.

2. Δρύμος *Drymus*

Drymum in Atticae, Boeotiaeque finibus extitisse docet Harpocration; simulque, laudato Aristotelis testimonio, cognomines Urbes duas fuisse dicit, quarum altera in Boeotia, altera in Attica reperiretur. Atticae Urbis huius, aut *Drymi* meminit etiam Hesychius, illumque χωρίον τῆς Ἀττικῆς, κ) φρύριον *regionem, & castellum Atticae* appellat. Non video tamen cur doctissimus Sponius, Hesychio, Harpocrationeque laudato, veris Atticae Populis Drymum inscripserit; cum is a nullo δήμȣ, vel *Populi* titulo decoretur.

3. Ἐδαπτέων *Edapteon*.

Ambiguum plane, incertumque fore an Pagus iste veris Atticae Populis inserendus sit, in hac ipsa Dissertatione Num. 19. partim rationibus, partim exemplis ostendi: cum mulier illa, quae in Marmore, quod Sponius attulit, memoratur, Atheniensis quidem civis uxor, sed extera tamen esse potuerit.

4. Θήβη *Thebe*.

Ex novem Urbibus illis, quae uno eodemque *Thebarum* nomine appellabantur, sextam in Attica reperiri Sponius ex Stephano deprehendit; ideoque non modo Thebas has Atticas in vera Populorum serie numerandas esse putavit; sed miratur etiam id a Meursio iampridem factum non fuisse. Suspicatur etiam, longeque verisimilius existimat, Atticas potius, quam exteras Thebas alias in his Marmoribus indicari, quae Athenis reperiuntur,

I

Αντικλεια Απολλοδωρȣ θυγατηρ Θηβαια
Anticlea Apollodori filia Thebana

II.

M. Ευφιλητος . . . . εχθηιδι ιπ . . . Θηβαιος
M. Euphiletus . . . echtheidi . . . Thebanus

III.

Θεων Θηβαιος εδιδασκε
Theon Thebanus docuit

Sed

Sed, ut a Marmoribus ipsis exordiar, quis certe nobis nitideque dixerit cur Atticae potius, quam exterae Thebae in ipsis memorate sint? cum praesertim in similibus Marmoribus aliis, quae vel in Attica, vel Athenis ipsis reperiuntur, exterorum nomina saepius occurrant Quod vero ad Stephani testimonium attinet, id unum ex illo deduci poterit, quod *Thebae* quaedam in Attica reperiebantur; at, nisi perspicuus character alius afferatur, civitas illa veris Atticae Populis inscribi certe non poterit, ut variis in locis, & exemplis aliis ostendi.

5. Λάρισσα *Larissa*.

Veris Atticae Populis hunc quoque Sponius inseruit, quod Stephanus de variis Larissis agens diserte dixerit καὶ ἐν τῇ Ἀττικῇ ἐστι Λάρισσα *est etiam in Attica Larissa*. Addidisse poterat Sponius totidem fere verbis Larissam hanc Atticam a Strabone descriptam esse. καὶ ἐν τῇ Ἀττικῇ δ' ἐστὶ Λάρισσα, καὶ τῶν Τράλλεων διέχουσα κώμη τριακοντα σταδίους [1] *est etiam Larissa in Attica, regioque a Trallibus distans 30. stadia:* quem sane locum sibi merito suspectum esse Palmerius asserit [2], non modo quod Scriptoribus aliis, ipsique Straboni in describendis Atticae locis haec *Larissa* prorsus indicta fuerit; verum etiam quod haec Atticae Larissa, si quae foret, 30. solum stadiis a Trallibus abesse non posset. Itaque Palmerius rescribendum coniicit καὶ ἐν τῇ Καρικῇ δ' ἐστὶ Λάρισσα *est etiam Larissa in Caria;* sic enim 30. stadiis a Trallibus abesse posset. Sed quamvis etiam Larissa quaedam in Attica admittenda foret, veris illa tamen Atticae Populis accenseri non posset, nisi perspicui caracteres alii, vel testimonia proferentur, quibus illam non *Urbem* modo, sed etiam *Populum* fuisse ostendatur.

6. Πάνακτον *Panactum*.

In ipsis Atticae, Boetiaeque finibus Panactum Vrbem, simulque castellum extitisse docet Harpocration; ipsumque Atticae ditionis fuisse non modo Stephanus, sed Hesychius etiam ostendit. A nullo tamen *Panactum*, vel, ut Sponius appellat, *Panactus Populi* nomine decoratur; sed ab Hesychio τόπος ἐν τῇ Ἀττικῇ *locus in Attica*, atque a Stephano φρούριον Ἀττικὸν *Atticum castellum* vocatur. Itaque prorsus immerito ceteris Atticae Populis accensetur a Sponio, qui cum plura

 Atti-

(1) Lib. IX. (2) Exercit. in Strab. pag. 323.

Atticae loca a Meursio memorata ideo ex Populorum serie expunxisset, quod illa a Graecis Scriptoribus *Populi* nomine donata, nitideque Populis inscripta non forent, facile profecto intelligere & ipse poterat, pleraque ex locis illis, quae in Populorum seriem primus invexerat, eodem ipso iure refelli posse cum a nullo Populi titulo insignita, vel ceteris Atticae Populis adiecta fuerint. Leviores tamen errores illi, qui in Sponii serie ceteris omnibus accuratiore subinde occurrunt, in doctissimo Viro facile negligi, vel dissimulari profecto debent, qui studio, laboribus, ac diligentia sua plurimam certe lucem Eruditae Antiquitati, Atticaeque Historiae attulit. Quemadmodum vero in illustrandis Atticae Populis ceteris ille palmam praeripuit, atque de Eruditis omnibus praeclare meritus fuit; ita quoque optandum maxime fuerat, ut aureolus ipsius Libellus ab accuratiori meliorique Interprete Latine redderetur, neque in eiusmodi interpretatione plurima offenderentur, quae tum a Latinae, tum a Graecae linguae genio prorsus abhorrent, quodque insolentius est, ab accuratissimi Auctoris mente plurimum diffident. Sic, ut insignis oscitantiae huius exemplum unum hic proferam, Sponius de *Psyttalia* loquens aperte dixerat se Insulam illam in Populorum seriem minime inserere, quod illa, Strabone teste, deserta foret; &, quamvis etiam aliquando incolas habuisset, ad Salaminam potius, quam Atticam spectaret. At bonus Interpres ille sic ibi Sponium loquentem inducit. *Non inseruissem catalogo Populorum Atticorum, nisi cum Strabone longe aliter sentiendum fuisset. Propterea crediderim quondam fuisse habitatam*. Id vero monitum hic ego volui ut Sponii seriem, atque sententiam, quam singulis ipse in locis accurate expressi, non ex Latino ipsius Interprete, qui in Gronovii Thesauro locum immerito occupavit; sed ex ipso potius Auctoris Opere, quod Gallice primum anno 1678. prodierat, & quo semper ipse sum usus, diligens atque eruditus Atticae Historiae amator inquirat.

DISSERTATIO VI.

S Y N O P S I S.

I. *A*Thenienses Cives varias in Tribus, ipsarumque Populos distributi imperii participes esse poterant, cum Senatus, & Ecclesiae ex civibus componerentur. Sigonii studium, ac diligentia in describenda Atheniensis Reipublicae forma commendatur. II. *Atheniensis Senatus ex singulis Tribubus constitutus initio* 400. *mox* 500., *denique* 600. *Civibus constabat. Vetus inscriptio exponitur, ac illustratur: simulque Sponii, Potteri, aliorumque error indicatur, ac Theodoreti locus explicatur.* III. *Senatus, Populique autoritas coniuncta esse debuit. Discrimen inter Senatus, ac Populi decreta indicatur. Concionum varietas, numerus, ritus, ac tempus demonstratur.* IV. *Accuratior hypothesis circa Senatus formam, hoc est Prytanes, Proëdros, ac Epistatas, illorumque numerum, varietatem, ac munera describitur.* V. *Hypothesis ipsa, vel Senatus forma variis Scriptorum testimoniis confirmatur.* VI. *Sigonii, Petavii, ac Dodvelli sententiae proponuntur, illarumque discrimina demonstrantur.* VII. *Proëdros decem contribules admittendos esse contra Sigonium ostenditur. Harpocrationis locus notatur, & coniectura restituitur, aut illustratur.* VIII. *Demosthenis locus contra Sigonium exponitur, ac explicatur.* IX. *Quid* ἐπιψηφίσεως *nomine intelligi debeat ex Platone, Thucydide, & Demosthene demonstratur. Dodvelli, Prideauxii, Hudsonii, aliorumque error ostenditur.* X. *Contribulium Proëdrorum, ipsorumque Epistatae munus clarioribus Veterum testimoniis, & exemplis confirmatur.* XI. *Praeter novem Proëdros alios non contribules ipsorum quoque Epistatam admittendum esse Aeschinis, & Demosthenis testimonio contra Dodvellum ostenditur; ipsorumque munera describuntur* XII. *Insignis Iosephi locus corrigitur, & contra Dodvelli sententiam exponitur, simulque Petavii error indicatur.* XIII *Obscurus, depravatusque Laërtii locus restituitur, ac illustratur. Dodvelli, Petiti, Petavii, aliorumque coniectura refellitur.* XIV. *Dissidentia quaedam, & obscura Veterum testimonia conciliantur, ac illustrantur.*

DISSERTATIO VI.

De Atheniensium Senatu, et Ecclesiis, de Prytanibus, Proedris, ac Epistatis, illorumque muneribus, ac varietate.

I. ATticae regionis incolas, qui Athenienſis civitatis iure fruebantur, hoc veluti faedere devinctos eſſe iam diximus, ut ipſorum quilibet peculiari cuidam Atticae Populo inſcriptus eſſet, atque ex Populis illis Athenienſes Tribus, veluti maiores quidam, frequentioreſque caetus, exſurgerent: ut proinde plurimi ex civibus ipſis interſe δημόται, ſeu *Populares*, aliique plures φυλέται, ſive *contribules* haberentur; quemadmodum certe plurima, quae ad Populos ipſos, ſeu Tribus ſpectabant, communi pupulorum, ſive Tribulium ſuffragio decerni conſueverant. Cum vero peculiares illi Senatus, aut Curiae, quae variis in Populis initio fuerant, a Theſeo ſublatae, atque in unam Athenienſem Vrbem translatae ſint (1), arctior alia, longeque nobilior neceſſitudinis, ac ſocietatis ſpecies oriri debuit; ut unus ille Athenienſis Senatus univerſos Atticae cives complecti poſſet, adeoque in illo cives omnes arctiſſimo veluti vinculo coniungerentur. Itaque cum veram Tribuum, Populorumque ſeriem meliori quo poterat ordine ſuperioribus Diſſertationibus demonſtraverim, nunc Athenienſis etiam Senatus forma, dignitas, partes, aliaque id genus plurima oſtendi debent; ex quibus caeteris, quae diſſerenda mihi ſupererunt, maximus ſplendor accedat; ſimulque plura, quae ſuperioribus locis explicata iam fuerant, accuratius exponi vel confirmari ſubinde poſſint. Plurimum vero mihi laetandum intelligo, quod de vera quidem Tribuum ſerie, Populorumque numero loquuturus pleraque variis ambagibus, variiſque doctiſſimorum hominum opinionibus implexa conſpexerim; in explicanda vero Senatus firma longe minor opinionum varietas, rerumque

(1) Vid. Diſſert. V. Num. 2.

que perplexitas habeatur. Etenim, ut Petavium, Emmium, Potterum, Dodvellum, aliosque plures omittam; eximium ac immortale Italiae nostrae lumen Sigonius Atheniensis Reipublicae faciem diligenter adeo, copiose, subtiliterque descripsit, ut non modo ceteris hac in parte facem praetulerit; verum etiam, quod sperari vix posse videbatur, reliquis pone sequentibus palmam praeripuerit. Itaque doctissimi Viri vestigiis pressius insistam; Dodvelli, aliorumque hypotheses exponam; simulque, ubi falsae illae fuerint, perspicuis Veterum testimimoniis refellam; nonnulla, quae minus accurate, nitideque a Sigonio ipso exposita fuerant, clarioribus argumentis aliis ostendam; cumque Sigonius, aliique plurimi Atheniensis Senatus formam ex iis plerumque Scriptoribus expresserint, qui sequioribus solum temporibus, adeoque sublata Atheniensis Reipublicae dignitate floruerunt; hanc ipse ex antiquioribus Scriptoribus illis eruere enitar, qui florentem ipsam, atque adhuc incolumem conspexere.

II. Itaque, ut a Senatu exordiar, universa ferendarum legum, moderandaeque Reipublicae potestas Athenis penes Senatum, simulque Populum, Solone auctore, reperiebatur; cum Areopagiticus Senatus Solone antiquior, peculiari quodam imperio frueretur. Ac initio quidem Senatus ille Atheniensis ex *Quadringentis* solum Civibus componebatur (1). Etenim Solon ex Tribuum singulis, quae ipsius aetate quatuor erant, *centenos* Cives eligendos esse decrevit, qui Senatorio munere fungerentur. Ubi vero a Clisthene Tribus *decem* sunt institutae, *quinquageni* solum ex Tribu qualibet eligebantur, adeoque Senatus ex *quingentis* civibus constare cepit. Hinc frequentissime in Graecis Scriptoribus, ac monimentis aliis occurrit ἡ βȣλὴ τῶν Πεντακοσίων (2) *Senatus Quingentorum*; sive Πεντακόσιοι κυάμῳ λαχόντες *Quingenti sortito electi* (3): quod nimirum quinquaginta Senatores illi ex omni contribulium numero sortis arbitrio seligerentur. Aucto denique Tribuum numero, Senatus etiam augeri debuit, ut *sexcenti* deinde forent, qui ex XII. Tribubus electi hoc munere fungebantur. Id optime, accurateque exponit Plutarchus (4), & Stephanus (5); niti-

(1) Plutar. in Solon. (2) Cyriac. Inscr. Num. 75. & 101. Murator. Pag. 547. Num. 4. (3) Thucyd. Lib. VIII. 66. & 86. & Andoc. de Myster. Plutar. in Pericle. (4) In Demetr. (5) In Berenicid.

nitideque confirmat vetus Inſcriptio, quam Cyriacus Athenis exſcripſerat (1), & Muratorius etiam exhibuit (2) *ἡ βȣλὴ ἐξ Ἀ'ρειοπάγȣ, κ̉ ἡ βȣλὴ τῶν Ἑ'ξακοσίων, κ̉ ὁ δῆμος Τιβέριον Κλαύδιον Νούνιον Φιλείνȣ υἱὸν . . ἀρχιέρεα Ἀ'ντονίας Σεβάςης* *Areopagi Senatus, & Senatus ſexcentorum, & Populus Tiberium Claudium Nunium Philini filium Pontificem maximum Antoniae Auguſtae*. Itaque, cum Antonia, quam M. Antonius ex Octavia Augusti Caeſaris ſorore ſuſceperat (3), circa natalem Chriſti annum floruerit, manifeſtiſſime inferri debet, quod Athenienſis Senatus tunc etiam temporis ex *ſexcentis* civibus componebatur. Hunc ipſum Senatorum numerum ex alio quoque Marmore confirmari poſſe putaverim, quod tamen Sponium, alioſque plures in errorem abripuit. Etenim Sponius (4) Inſcriptionem exhibet, cuius initio diſerte legitur *ἡ βȣλὴ ἡ ἐξ Ἀ'ρειοπάγȣ, κ̉ ἡ βȣλὴ τῶν* X̄, *κ̉ ὁ δῆμος Ἰȣλίαν Βερενείκην βασίλισσαν μεγάλην Ἰȣλίȣ Ἀ'γρίππα βασιλέως θυγατέρα* *Senatus Areopagi, & Senatus* X̄, *& Populus Iuliam Berenicem Reginam magnam, Iulii Agrippae Regis filiam* honorat. Itaque, cum Sponius obſervaſſet Berenicem illam ex c. 25. *Act. Apoſt.* D. Pauli temporibus floruiſſe, ſubdit Senatum quidem *Quingentorum*, ac *ſexcentorum* in Graecis Scriptoribus memorari; nullibi vero *Mille* Senatum occurrere. Atque optime id ille quidem; cum primis Eccleſiae temporibus Athenienſis Senatus ex 600. ſolum civibus componeretur. Quod vero in Marmore *Mille* legendum eſſe putaverit, profecto fallitur. Etenim character ille, vel nota X̄ *ſexcentos* ſolum, non *mille* ſignificat: quemadmodum certe in Marmoribus aliis, quae Diſſ IV. Num. 16. indicavimus, character iſte H, qui alioquin *centum* exprimeret, *octo* ſignificat; notaeque IΓ *tresdecim* exprimunt. Ergo tantum abeſt ut *millenarius* Senatorum numerus ex Sponii Marmore exſculpi poſſit, ut exinde potius mirifice confirmetur, quod circa annum Chriſti 41. ſive 1. Olymp. CCV. quo Agrippa Iudeae regnum obtinuit, Athenienſis Senatus adhuc ex *ſexcentis*, ut antea, civibus conſtabat. An vero Hadriani Caeſaris aetate, cum *decimatertia*, ſive *Hadrianis* Tribus veteribus adiecta fuit, aliqua in Senatorum numero varietas invecta fuerit, ignoramus. Video quidem quod in alio Marmore, cuius exemplum Diſſert. VIII. Num. 33. oppor-

(1) Num. 94. Pag. 9. (2) Pag. 551. Num. I. (3) Plut. in Anton. (4) Itin. T. II. pag. 219.

portune proferam, memoratur ἡ ἐξ Ἀρειοπάγου βουλὴ καὶ ἡ βουλὴ τῶν Τριακοσίων, καὶ ὁ δῆμος *Areopagi Senatus*, & *Senatus Tercentorum*, & *Populus*; perinde quasi *tercentis* solum civibus Atheniensis Senatus tunc temporis componeretur. At Marmor illud ad IV. Ecclesiae seculum referri debet, quo universa propemodum Atheniensis Reipublicae forma mirifice perturbata iam fuerat, ut alibi demonstravi. Id unum tamen ex hoc ipso Marmore observari velim, quod *Rufii Festi* temporibus Areopagitici Senatus nomen adhuc Athenis extabat: quamvis Theodoretus a Meursio (1) laudatus in Libris *Therapeut.* quos anno Chr. 427. ex Garnesii calculo conscripsit, diserte dixerit: καὶ ἀργεῖ μὲν παρ' Ἀθηναίοις ὁ Ἄρειος πάγος ... καὶ ἡ τῶν Πεντακοσίων βουλὴ ... καὶ ὁ τοῦ ἐνιαυτοῦ Ἄρχων (2) & *silet quidem apud Athenienses Areopagus*, & *Quingentorum Senatus*, & Eponymus *anni Archon*. Itaque, ut Theodoreti testimonium cum Marmore componatur, Pryladis Archontis annus ante annum Chr. 427. transferri debet; sive potius asseri quod angusta illa quidem Areopagitici Senatus dignitas obsoleverat, sed ipsius tamen nomen honorario solum titulo conservabatur: quemadmodum fere *sexcentorum*, vel, ut minus accurate Theodoretus appellat, *Quingentorum* Senatus ad *Tercentos* solum deflexerat. Siquidem Potterus (3), aliique plurimi falluntur, qui *Tercentos* illos in Marmore memoratos ad Areopagiticum Senatum referendos esse putarunt: cum tamen *Areopagi Senatus*, ab eiusmodi *Tercentorum Senatu* nitide, diserteque in Marmore distinguatur.

III. Quamvis autem Atheniensis huius Senatus dignitas, atque potestas maxima censeretur, quibusdam tamen veluti finibus circumscripta illa fuit; adeoque plurima ab illo sanari non poterant nisi Populi quoque autoritas, sive suffragium accederet. Itaque, ut Senatus ipse cum Populo perpetuo veluti faedere devinciretur, nihil a Populo decerni, probarique poterat, nisi προβούλευτον *praeconsultum* esset (4), hoc est nisi prius a Senatu probatum, deindeque Populo propositum foret; nihilque vicissim a Senatu constitui, nisi deinde Populi quoque suffragiis admitteretur: alioquin decreta singula a solo Senatu facta unius dumtaxat anni spatio vim sortiebantur;

(1) De Arch. Athen. Lib. I. c. 9. (2) Lib. IX. (3) Archaeol. Graec. Lib. I. c. 19. (4) Harpocr. in Probul. & Ulpian. in Aristocr. pag. 88.

tur (1); nisi deinde a Populo rata, simulque perpetua fierent. Itaque Senatus ipse quotidie, nisi fortasse nefastus dies ille, vel sacer esset, cogebatur (2); Ecclesiae vero, vel Populi conciones, aut caetus ita a Senatu indici, vel haberi consueverant, ut aliae quidem *κυρίαι statae*, aliae vero *σύγκλητοι convocatae*, dicerentur (3). Ac *statae* quidem ex Vlpiani (4) sententia ter in mense quolibet haberi solebant, *undecima* nimirum, circa *vigesimam*, atque *trigesimam* mensis diem; sive, ut Harpocration (5), Pollux (6), & Hermogenis Scholiastes (7) asserit, qua ter in singulis Tribuum Prytaniis celebrabantur; Populusque ad illas non invitatus accedere cogebatur; *σύγκλητοι* vero, vel *convocatae* repente, prout rerum opportunitas postularet, a Senatu praeconis voce indicebantur (8): ut in exemplis etiam illis apparet, quae Diss. III. Num. 16. iam protuli. Eiusmodi vero Concionum omnium habendarum ritus, aliaque id genus plura a Sigonio (9), Pottero (10), aliisque pluribus accuratissime, simulque maxima consensione describuntur, quos diligens harum antiquitatum amator consulere subinde poterit. Etenim de Prytanibus hic mihi solum, Proëdris, illorumque Epistatis agendum erit, quod in iis describendis perplexitas aliqua reperiatur; atque exinde plurimus splendor Archontum Fastis illustrandis, corrigendisque oriri posse videatur. Vt autem clariori quo poterit, ordine progrediamur, primo opinionem illam, quae mihi omnium verisimillima videri solet, exponam, ipsamque variis Scriptorum testimoniis, quae a Sigonio, ceterisque laudari conspicio, confirmabo. Deinde vero Sigonii, Petavii, Dodvellique hypotheses, quae a superiori aliqua in parte dissident, ita complectar, ut quidquid in iis reprehendi fortasse possit, perspicuis Veterum testimoniis, & exemplis etiam refellam; simulque plura, quae ambiguis solum testimoniis innixa fuerant, clarioribus argumentis aliis confirmem. Cetera denique accurate persequar, quae ad Proëdrorum, ac Epistatarum munera, & varietatem spectare posse videantur.

IV. Ac initio quidem ex singulis X Tribubus *quinquaginta* cives sortis arbitrio designatos esse iam dixi, qui integro-

(1) Vlpian. ibi. (2) Pollux. Lib. VIII. c. 9. sect. 95. (3) Vlpian. in Pag. 75. (4) In Timocrar. Pag. 92. & III. (5) In Kyria. (6) Lib. VIII. c. 9 sect. 95. (7) Pag. 400. (8) Sect. 116. (9) De Rep. Ath. Lib. II. c. 4. (10) Archaeol. Graec. Lib. I. c. 17.

gro anni ſpatio *Senatoris* munere fungerentur, atque eiuſmodi Senatorum electioni, quae cuiuslibet anni principio peragebatur, Φύλαρχοι *Tribuum Principes*, vel Ἐπιμεληταὶ φυλῶν *Tribuum curatores*, qui a Demoſthene (1), aliiſque memorantur, fortaſſe praeerant. Sed cum X. Tribuum quaelibet aequali temporis ſpatio, hoc eſt *decima* anni parte ceteris omnibus, adeoque integro Senatui praeſidere debuerit, iterum ſortis arbitrio committebatur quaenam ex X. Tribubus *primo*, quae *ſecundo* loco praeſidere, vel Prytaniae munere fungi deberet; adeoque, cum civilis Atticus annus lunaris eſſet, ac 354. dierum numero componeretur, Tribus praeſidentis imperium, aut *Prytania* 36. vel 35. dierum ſpatio definiebatur: Quinquaginta Senatores iſti contribules, qui Prytaniae munus obibant, *Prytanes* appellabantur, ipſiſque victus in Prytaneo quotidie praebebatur (2). Eiuſmodi Prytanum erat Senatores alios, hoc eſt univerſum Senatum quotidie cogere, res in Senatu gerendas curare, Populi conciones indicere, ac moderari: quae quidem munera, cum ab omnibus una coniunctis peragi vix poſſe viderentur, quinquaginta Prytanes ipſis in quinque decurias certo quodam ordine dirimebantur, ut decuria quaelibet decem Prytanes complecteretur, qui *Proëdri* dicebantur. Tum ex qualibet horum Proëdrorum decuria *ſeptem* eligebantur, quorum quilibet Prytanibus aliis, & *ſex* Proëdris etiam contribulibus praeſideret, ideoque *Prytaniae*, ſimulque *Proëdrorum* contribulium *Epiſtata* vocabatur. Itaque ex quinquaginta Prytanibus 35. ſolum hoc Epiſtatae munere perfungi poterant; adeoque unus idemque civis ex Quingentorum numero nonniſi ſemel in integro anni ſpatio Epiſtatae munus obire poterat. Huius Epiſtatae erat Acropolis claves, publicum ſigillum, pecuniaſque ſervare; ſimulque res in Senatu gerendas proponere, Senatores omnes in ſuffragia mittere, ſive Senatus ſententias perrogare, quod ἐπιψηφίζειν dicebatur. Ubi vero vel Senatus, vel ſtata, vel repentina Concio habenda foret, Populuſque vel ſponte, vel invitatus confluxerat, Prytaniae Epiſtata ex ſingulis novem Tribubus aliis, quae tunc temporis Prytaniae munere non fungebantur, Proëdrum unum, atque ex 9. Proëdris iſtis non contribulibus Epiſtatam alium eligere tenebatur, qui res in Eccleſia gerendas ita curare conſueverant, ut res in Senatu, vel in

(1) In Midi. & Theocrin. (2) Pollux Lib. VIII. c. 15. ſect. 155. Harp. & Heſy. in Tholus.

Ecclesiis decernendas proponere ad Proëdros ipsos non contribules, atque ἐπιψηφίζειν *sententias* a Populo *perrogare*, aut Populum ipsum *in suffragia mittere* ad ipsorum Epistatam spectaret. Itaque in hac hypothesi, quae mihi omnium verisimillima videri solet, duplex *Proëdrorum*, ac *Epistatarum* genus admitti debet; ut nimirum 10. Proëdri contribules haberentur, ex quibus Pritaniae Epistata seligeretur; alii vero 9. non contribules esse debuerint, ex quibus alius Epistata eligeretur, Priores illi *Proëdri* diebus continuis 7. hoc munere fungerentur, ipsorumque quilibet unica solum die *Epistata*, vocaretur; posteriores alii *Proëdri*, ipsorumque *Epistata* eo solum temporis spatio id muneris, ac honoris obtinerent, quo Populi concio perageretur.

V. Admirabilis ista Atheniensis Reipublicae forma, Proëdrorum, ac Epistatarum varietas, atque distinctio facile Veterum testimoniis ostendi potest, quorum pleraque Sigonius ipse complectitur. Ac initio quidem occurrit Libanius, aut Scriptor ille, qui Argumentum edidit in Orationem Demosthenis *contra Androtionem*. Siquidem Auctor ille, ubi civilem Atticum annum lunarem fuisse dixisset, seriem exponens, qua varias in partes Quingentorum Senatus dirimebatur, ait Πεντακόσιοι διεῖλον ἑαυτὺς εἰς δέκα μερίδας κατὰ τας φυλὰς ἀνὰ πεντήκοντα. τέτυς γὰρ ἑκάςη φυλὴ προεβάλλετο. ὥςε συνέβαινε τὺς πεντήκοντα ἄρχειν τῶν ἄλλων ἀνὰ τριάκοντα πέντε ἡμέρας.. ἀλλ᾽ ἐπειδὴ οἱ πεντήκοντα πολλοὶ ἦσαν εἰς τὸ ἄρχειν ἅμα, οἱ δέκα κατὰ κλῆρον μιᾶς ἡμέρας τῶν ἑπτὰ. ὁμοίως δέ ἕκαςος τῶν ἄλλων ἀπὸ κλήρυ ἦρχε τὴν ἑαυτῦ ἡμέραν, ἄχρις ὖ πληρωθῶσι αἱ ἑπτὰ ἡμέραι. κ̀ σύμβαινε τοῖς ἄρχυσι τρεῖς μὴ ἄρχειν. Εʹκαςος δέ ἄρχων ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκαλεῖτο Ἐπιςάτης. οἱ μὲν πεντακόσιοι ἐκαλῦντο Πρυτάνεις, οἱ δὲ δέκα Πρόεδροι, ὁ δὲ εἷς Ἐπιςάτης. *Quingenti decem in partes, pro Tribuum numero, se diviserunt, ut decuria quaelibet quinquagenos contineret; hos enim unaquaeque Tribus designabat. Vnde fiebat ut quinquageni illi 35. diebus reliquis imperarent . . . Cum autem ipsi etiam quinquageni plures essent, quam ut commode simul magistratu fungerentur, illi decem sortito unum septidui diem, similiter & reliqui suum quisque diem imperabant: donec septem illi dies complerentur. Ita fiebat, ut tres e numero magistratuum non imperarent. Vnusquisque autem magistratus uno die* imperans *vocabatur Epistata . . . . Quinquageni*

voca-

vocabantur Prytanes; *decem vero* dicebantur *Proëdri*; *unus* ille *Epiſtata* nominabatur. Quod vero praeter hunc Prytaniae Epiſtatam, eiuſque contribules Proëdros alterius etiam generis Proëdri, ipſorumque Epiſtata eligeretur nitide, diſerteque docet Harpocration: Πρόεδροι ἐκληρῦντο τῶν Πρυτανέων καθ' ἑκάςην πρυτανείαν, εἷς ἐξ ἑκάςης Φυλῆς, πλὴν τῆς πρυτανευύσης, οἵτινες τὰ περὶ τὴν ἐκκλησίαν διώκυν. ὅτι δ' ὁ καλύμενος Ἐπιςάτης κληροῖ αὐτὺς εἴρηκεν Ἀριςοτέλης (1) . . . δύο εἰσὶν οἱ καθιςάμενοι Ἐπιςάται. ὁ μεν ἐκ Πρυτανέων κληρύμενος, ὁ δὲ ἐκ τῶν Προέδρων, ὧν ἑκάτερος τίνα διοίκησιν διοικεῖ, δεδήλωκεν ὁ Ἀριςοτέλης (2). *Proëdri ſeligebantur ex Prytanibus prytania qualibet, unus ex Tribuum ſingulis illa excepta, quae tunc praeſidebat; reſque iſti in concione adminiſtrabant. Quod vero vocatus Epiſtata iſtos eligeret ait Ariſtoteles. Duo erant Epiſtatae conſtituti; hic quidem ex Prytanibus ſortito electus, ille vero ex Proëdris, quorum uterque miniſterium quoddam exercebat, ut oſtendit Ariſtoteles.* Haec ipſa Harpocrationis verba de Proëdris 9. non contribulibus, duplicique Epiſtata accurate Suidas exſcripſit (3). Quemadmodum Etymologus (4) ipſe duplex Epiſtatarum genus totidem fere verbis expreſſit. Vnicum tamen Proëdrorum, ac Epiſtatae genus a Polluce deſcribitur ubi de Epiſtata diſſerens, qui ex Prytanibus eligebatur, ait: κ) ὅταν οἱ Πρυτανεις τὸν δῆμον, ἢ τὴν βυλὴν συνάγωσιν, ὗτος ἐξ ἑκάςης Φυλῆς Πρόεδρον ἕνα κληροῖ, μόνην τὴν πρυτανεύυσαν ἀφιείς (5): *& quando Prytanes aut Populum, aut Senatum convocant, Proëdrum unum ex Tribu qualibet hic eligit, ea excepta, quae Prytaniae munere fungitur*. Longe tamen illuſtrius haec Epiſtatarum, Proëdrorumque varietas a Suida exponitur. Ait enim Ἐπιςάτης. Τῶν Πρυτανέων εἷς ὁ λαχὼν Ἐπιςάτης ἐλέγετο. δὶς δὲ τὸν αὐτὸν ἐπιςατῆσαι ὐκ ἐξῆν. φυλάσσει δὲ τῦ ἱερῦ τὰς κλεῖς, ἐν ᾧ τὰ δημόσια χρήματα. ἔτι μὴν κ) τὴν δημοσίαν σΦραγῖδα. Ἐπειδὰν δὲ οἱ Πρυτάνεις συναγάγωσι τὴν βυλὴν, ἢ τὸν δῆμον, ὁ Ἐπιςάτης κληροῖ Προέδρυς ἐννεα ἀπὸ Φυλῆς εκαςης ἕνα, πλὴν τῆς πρυτανευύσης. κ) πάλιν ἐκ τῶν ἐννέα τύτων Ἐπιςάτην ἕνα κληροῖ, κ) τὸ πρᾶγμα παραδίδωσιν. αὐτὸς δὲ εἰσάγει τὴν δικὴν, κ) ἐπιμελεῖται κατὰ νομον πάντα γενέσθαι (6). *Epiſtata. Vnus e Prytanibus ſorte electus Epiſtata dicebatur. Eundem vero bis Epiſtatam eſſe non licebat. Cuſtodiebat autem* cla-

(1) In Proedri. (2) In Epiſtata. (3) In Proedri. (4) In Epiſtata. (5) Lib. VIII. c. 9. ſect. 96. (6) In Epiſtata.

claves Templi, *in quo publicae pecuniae* asservabantur, *praeterea vero & publicum sigillum. Cum vero Prytanes Senatum, aut Populum convocabant, Epistata Proëdros* 9. *e singulis Tribubus singulos sortiebatur, excepta illa, quae Prytaniae munus obibat. Et rursus ex his novem unum Epistatam sortiebatur, & negotia ei tradebat; ipse vero lites* in iudicium *introducebat, & curabat ut ex legibus omnia fierent.*

VI. Haec ipsa tamen Veterum testimonia invicem pugnare dicit Sigonius (1) quod nimirum Libanius (2) Proëdros 10. fuisse dixerit, qui ex Tribu praesidente seligerentur; idque ab Vlpiano (3) quoque confirmetur; at Harpocration (4), & Pollux (5) non alios Proëdros agnoverint quam 9. illos, qui ex ceteris Tribubus electi forent. Itaque se *libentius Harpocrationem sequi* testatur; adeoque duplex Epistatarum genus admittit, sed Proëdros solum illos enumerat, qui ex 9. Tribubus eligerentur. Petavius (6) utrumque Proëdrorum genus agnoscit; veteresque Scriptores illos ita componendos esse arbitratur quod uterque unicum neque idem Proëdrorum genus descripserit, quamvis utrumque Athenis eligi consuevisset. Denique Dodvellus ipse duplex Proëdrorum genus ex Petavii sententia recepit; simulque duplex Epistatarum quoque genus admittit; quamvis in describendis illis non a Sigonii solum, Petaviique sententia, sed a praespicuis etiam Veterum testimoniis aberraverit. Ac mirari certe quis poterit quod Dodvellus ipse, qui *hoc Epistatûm ius parum apud Eruditos exploratum* esse iam dixerat, ac *proinde operae pretium esse putavit si illud explicaret, & paullo etiam diligentius qam qui omnium optime Petavius* (7), ceteris tamen omnibus obscurior, inconstans, sibique subinde repugnans videatur. Etenim duplex Epistatarum genus admittit, quorum alius *Prytanum*, alter *Proëdrorum Epistata* diceretur; sed utrumque tamen ex una, eademque Tribu præsidente electum esse contendit. Asserit enim anni principio ex Tribu qualibet 50. cives, sive *Prytanes*, ipsorumque *Epistatam* electum esse, qui ex quinquagenario Prytanum contribulium numero 10. Proëdros, atque ex 10. Proëdris ipsis septem Epistatas sortiretur, quorum *singuli quinos ad minimum dies praefuerint* (8) *ut cum decem*

(1) Lib. II. c. 3. (2) Argum. in Androt. (3) In Midian. (4) In Proedr. (5) Lib. VIII. c. 9. Segm. 96. (6) Doctr. Temp. Lib. II. c. 1. (7) De Cyclis Differt. III. Sect. 43. (8) Sect. 45.

cem essent e cuiuscumque Tribus pentacontade Proëdri, ex his septeni essent tantummodo, qui quinis diebus Epistatûm munere fungi possent in Prytaniis ordinariis (1) cumque lege cautum esse intelligeret ne quis Epistata bis esse posset, *fieri posse* dicit *ut cautum sit ne quis diversis annis teneret*; atque *ita secundum diem nullus tenere potuerit Epistates dum primum tenuissent sex alii Collegae contribules*, adeoque ἐπιϛασίας *dies semper erant interpolati* (2). Itaque in Dodvelli Sententia *primus ille Epistates praeerat primis Prytanum nondum Proëdrorum Synodis, & quidem anni dumtaxat initio dum constituerentur Proëdri, & ex illis Epistatae: quibus iam constitutis nullus deinde fuerit fortasse horum Prytanum usus*: quemadmodum prorsus *Proëdrorum contribulium usum deinde nullum fuisse* putat *cum ex illis sortito delecti fuissent singularum Prytaniarum pro anno universo Epistatae: nec enim alium in finem designabantur Proëdri hi priores, quam ut ex illis deligerentur secundi generis Epistatae*. Ingenue tamen fatetur quod *huiusmodi Epistatem Prytanum alium ab Epistata Proëdrorum agnoscunt Veteres, quanquam ad Prytanes, & Prytanias is quoque spectarit Proëdrorum Epistates & ad illos saepe referatur*. Utrumque tamen Epistatam ex Prytanibus, sive contribulibus Proëdris electum esse contendit; asseritque quod *invicem sic discrepabant hi duo Epistatae, ut Proëdrorum Epistatas idem fuerit ac Prytanum Epistatas, non autem viceversa*: quod nimirum secundi generis Epistata, qui ex contribulibus Proëdris electus erat, Proëdris ipsis, simulque Prytanibus omnibus praeesset; Epistata vero primi generis solis quidem Prytanibus, non vero Proëdris, qui nondum scilicet electi fuerant, praesideret. Vbi vero Dodvellus hypotesim hanc explicasset, suspicari postremo se dicit quod *non unica fuerit in Tribuum quinquagenis Decas, quae Epistatas suppeditarit*, sed potius 50. Prytanum numerum in quinque decurias diremptum fuisse, & ex qualibet Proëdrorum Decuria septem Epistatas electos esse, ut *sic unico dumtaxat die singuli praefuerint Epistatae: idque sane Veterum testimoniis magis videtur fuisse consentaneum* (3). Denique concludit Dodvellus quod *penes secundos hosce Epistatas erant anni universi Conventus omnes tam Senatus, quam Populi*: quod *solus ille Epistates Tribus praesidentis*,

(1) Sect. 42. (2) Sect. 44. (3) Sect. 45.

tis, *Collegas e reliquis Tribubus singulis singulos adsciscere tenebatur*; quod denique Epistates ipse Decreta, postquam Pritanes, aut Proëdri Populum in suffragia miserant, ἠπιψηφίζειν, hoc est *rata facere*, propriaque auctoritate firmare consueverat; idque ex illustri Iosephi loco demonstrari posse contendit, quem oppurtune mox proferam.

VII. Qui tres eiusmodi doctissimorum hominum sententias inter se comparaverit, facile intelliget a Sigonio contribules, primique generis Proëdros negatos esse; a Dodvello autem secundi generis Epistatam, qualis a Sigonio, Petavioque describitur, improbari, qui nimirum ex Proëdris 9. non contribulibus eligeretur. Itaque, ut perplexitas illa, quae ex obscurioribus Veterum testimoniis profluxerat, dirimatur, clarioribus argumentis aliis contra Sigonium ostendi debet, quod Proëdri 10. contribules admitti debent; simulque contra Dodvellum demonstrari, quod Epistata quidam ex Proëdris 9. non contribulibus eligebatur. Ac eiusmodi quidem Proëdros 10 contribules a Libanio, & Vlpiano nitide memorari Sigonius ipse iam viderat; libentius se tamen Harpocrationem sequi testatur, qui 9. solum Proëdros ex Tribubus aliis electos describit. At fieri profecto potuit ut Harpocration, & Pollux unius solum generis Proëdros memoraverit, quamvis alterius etiam generis, sive contribules eligerentur: quemadmodum prorsus secundi etiam generis Epistatam Sigonius ipse recepit, quamvis ille a Polluce minime memoretur. Itaque ex solo Pollucis, & Harpocrationis silentio inferri certe non poterat quod Proëdri 10. contribules excludi debeant. Quin etiam coniicere, vel suspicari quis poterit quod in Harpocrationis textu verba quaedam exciderint, in quibus contribules etiam Proëdri descripti forent. Certe, si nullus error, aut lacuna in textum illum irrepserit, Auctor ille alioqui diligentissimus obscurius hic loquitur, vel certe fallitur. Asserit enim quod Πρόεδροι ἐκληρῦντο τῶν Πρυτανέων καθ' ἑκάςην πρυτανείαν *Proëdri ex Prytanibus eligebantur Prytania qualibet*: perinde quasi semel tantum in integro 35. dierum spatio quod *Prytaniae* nomine designari Harpocration ipse testatur (1), eligi consueverint. Itaque vel statui debet quod Harpocration hic *Prytanum*, & *Prytaniae* nomine 50. Se-

(1) In Prytanis.

Senatores illos expresserit, qui Prytaniae munere non fungebantur, sed aliquando solum munus illud obituri fuerant, vel priora Harpocrationis verba non ad 9. Proëdros illos, quos deinde memorat, sed ad 10. contribules referri debent; adeoque facile scripserit Harpocration Πρόεδροι ἐκληροῦντο οἱ μὲν τῶν Πρυτανέων καθ' ἑκάστην πρυτανείαν, οἱ δε εἷς ἐξ ἑκάστης φυλῆς *Proëdri eligebantur hi quidem ex Prytanibus Prytania qualibet*, sive potius *Prytaniae cuiuslibet; alii vero unus ex unaquaque Tribu*. Si cui tamen in Harpocrationis textu nihil optari posse putaverit, facile intelliget καθ' ἑκάστην πρυτανείαν non Prytaniae tempus, aut 35. dierum spatium, sed Tribum ipsam; sive Tribulium Senatorum pentacontadem designare, ideoque latine reddendum esse *cuiuslibet Prytaniae*. Etenim Portus, & qui Porti vestigiis hic institit, Kusterus minus accurate reddidit (1). *quoties novi Prytanes prioribus succedebant*: ac si Proêdri illi 9. non contribules, de quibus Suidas, & Harpocration hic loquitur, cuiuslibet Prytaniae initio eligi consueverint, quod certe falsum esse iam diximus.

VIII. At, ne coniecturis hic immorer, Proëdros decem contribules admittendos esse perspicuo Aeschinis testimonio deprehendisse videor, si cum Demosthene conferatur. Asserit Aeschines pacem, ac faedera ab Atheniensibus cum Philippo 19. Elaphebolionis die sancita, tum Legatos ab Atheniensibus electos esse, qui iusiurandum ipsum a Philippo exigerent, subditque: ἤδη δὲ ἡμῶν κεχειροτονημένων ἐπὶ τὸυς ὅρκους, οὔπω δὲ ἀπηρκότων ἐπὶ τὴν ὑστέραν πρεσβείαν, ἐκκλησία γίνεται, ἐν ᾗ Δημοσθένης λαγχάνει προεδρεύειν (2) ... Δημοσθένης ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τούτου τοῦ μηνὸς, εἷς ὢν τῶν πρεσβέων, ἑβδόμῃ φθίνοντος (3) ... ὁ δὲ ἐπιψηφίσας Δημοσθένης ὅτι δὲ ἀληθῆ λέγω, ἀνάγνωθί μοι τίς ἦν ὁ ταῦτα γράψας, καὶ τίς ὁ ταῦτα ἐπιψηφίσας Πρόεδρος. Ψήφισμα. Πρόεδρος (4). *Iam vero nobis ad exigendum iusiurandum delectis, nondum vero ad posteriorem legationem profectis, Concio fit, in qua Demostheni obvenit ut Proëdris esset ... Demosthenes, cum unus ex Legatis esset in Populo Proëdrus fuit 24. eiusdem mensis ... qui suffragia perrogavit, Demosthenes .. quod autem vera dicam, recita mibi quis ista scripserit, & qui Proëdrus suffragia de istis perrogaverit. Psephisma. Proëdrus.* Doctissimus Sigo-

(1) In Suida in Proedrus. (2) Orat. de falsa Leg. pag. 257. (3) Pag. 258. (4) Contra Ctesiph. Pag. 285.

Sigonius (1) hoc ipſum Rhetoris teſtimonium indicayit ut ex Tribuum ſingulis Proëdrum aliquem electum eſſe demonſtraret; adeoque Demoſthenem non ad Prytanes, ſive contribules Proêdros, ſed ad Proëdros alios referendum eſſe putavit. Sed clariſſimo Viro ambiguus ille Aeſchinis locus impoſuit. Siquidem ex perſpicuo Demoſthenis teſtimonio, quod ipſe omnium primus teſtitui (2), manifeſtiſſime demonſtratur Demoſthenem tunc temporis Prytanem fuiſſe, adeoque Concioni cum ceteris ſibi contribulibus Proëdris praefuiſſe. Aſſerit enim Demoſthenes pace iam facta ſe decreviſſe ut Legati V. eligerentur, qui iuſiurandum a Philippo reciperent; idque ſancitum aſſerit *ἐπὶ Ἄρχοντος Μνησιφίλȣ Ἑκατομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, Φυλῆς πρυτανευέσης Πανδιονίδος*, ſive ut legendum eſſe iam demonſtravi (3), *Ἐλαφηβολιῶνος ἐννάτῃ φθίνοντος* (4), cum praeſertim Volſius (5) in veteri Codice non *ἕνῃ καὶ νέᾳ*, ſed *ἕνῃ* ſolum invenerit: *Archonte Mneſiphilo, vigeſima ſecunda Elaphebolionis die, Pandionide Tribu Prytaniae munus obeunte*. Itaque, ſi Pandionis Tribus *vigeſima ſecunda*, Elaphebolionis die Prytaniae munere fungebatur, perſpicuum eſt ſane quod etiam 24. eiusdem menſis die Pritaniae munus obire debebat, cum VIII. Prytaniae tempus a 14. Elaphebolionis ad 19. Munichionis diem extendatur (6). Ergo Demoſthenes, qui *Paeanienſis* erat, adeoque in Tribu *Pandionide* cenſebatur, non ſecundi, ſed primi generis Proëdrus eſſe debuit. Quinetiam ad Pandionidem ipſam ſpectaſſe, ideoque Demoſtheni contribules eſſe putaverim Proëdros illos, quos ibidem Aeſchinas *τȣ̀ς Δημοσθένȣς συμπροέδρȣς* (7) *Demoſtheni ſiynproëdros* appellat: quemadmodum antea dixerat quod in eadem ipſa Concione *Ἀλεξίμαχος ὁ Πήληξ δίδωσιν ἀναγνῶναι ψήφισμα τοῖς προέδροις: ἀναγνωσθέντος δὲ τȣ̃ ψηφίσματος, ἀνάςας ἐκ τῶν Προέδρων Δημοσθένης ȣ̓κ ἔφη τὸ ψήφισμα ἐπιψηφιεῖν* (8) *Aleximachus Pelex decretum Proëdris legendum praebet; quo lecto ſurgens ex Proëdris Demoſthenes negavit ſe decretum illud ſuffragii permiſſurum*. Video quidem *Proëdri* nomine Prytanem illum hic deſignari, qui tunc Epiſtatae munere fungebatur, quod ambiguis exemplis aliis Sigonius coniecerat, quippe quae facile ad ſecundi generis Proëdros referri

(1) Lib. II. c. 4. (2) Diſſert. II. Num. 16. (3) Diſſert. III. Num. 16. 17. (4) De Corona Pag. 316. (5) Pag. 453. (6) Vid. Diſſert. III. Num. 9. (7) Aeſch. de Falſ. Legat. Pag. 258. (8) Ibi 257.

ri possint. At quamvis etiam *Proëdri* nomine aliquando *Epistata* intelligatur, quis aperte non videat id alia de causa fieri, non potuisse, nisi quod ille ex contribulibus Proëdri electus erat; ut proinde merito veluti ipsorum princeps, excellentia quadam, *Proëdrus* vocaretur quemadmodum prorsus Epistatam ipsum aliquando *Prytanem* a Thucydide, ipsoque Demosthene vocatum esse ostendemus, quod ille ex Prytanibus electus esset, caeterisque Prytanibus, aut contribulibus praesideret.

IX. Quandoquidem vero perspicuo Aeschinis testimonio demonstravi quod Proëdrorum contribulium princeps, sive Prytaniae Epistata ἐπιψηφίζειν consueverat, accuratius adhuc ostendisse iuverit id muneris ad Prytaniae Epistatam in Senatu spectasse; simulque exponere quid eiusmodi voce intelligi hic debeat, cum plerique Interpretum, ac Dodvellus ipse vocem hanc minus accurate, ut opinor, reddiderint. Alii nimirum, ut Prideauxius (1) ἐπιψηφίζειν nihil esse putarunt nisi *sententias*, sive *suffragia colligere*; alii, ut Ficinus (2), *computare suffragia*; alii vero ut Lambinus (3), ac Dodvellus ipse *suffragia confirmare*, vel *rata facere*. Etenim, inquit ille *Decem Prytanes, qui Populum in suffragia mittebant, Proëdri appellati; & qui reliquis Proëdris praesidebat, proinde merito Symproedrus, is Epistates eodem Attico more audiebat, recte ipse ἐπιψηφίσας post Populo iam commissa suffragia* (4): quod celebri Iosephi testimonio confirmari posse arbitratur. Quo certe loci Dodvellus, ut id obiter moneam, perspicue sibi repugnat: quippe qui dixerit decem Prytanes, sive contribules Proëdros Populum in suffragia mittere; cum tamen alibi existimaverit *horum Proëdrorum contribulium usum deinde nullum fuisse; cum non alium in finem designarentur Proëdri hi priores, quam ut ex illis seligerentur Epistatae* (5). Immerito quoque Proëdrorum, ac Epistatae munus ex celebri Iosephi loco deduxit; cum exemplum illud ad contribules Proëdros, ipsorumque Epistatam referri certe non possit, ut Num. 12. inferius ostendam denique, quod hujus est loci, minus accurate Dodvellus existimavit Epistatam ἐπιψηφίζειν consuevisse *post commissa iam Populo suffragia*. Etenim ἐπιψηφίζειν ipsum nihil

(1) Marm. Oxon. Append. Num. 3. & 4. (2) In Platon. Gorg. (3) In Orat. Esch. & Demosth. (4) Sect. 40. (5) Sect. 42.

nihil aliud erat quam Populo *ſuffragia committere*, *ſuffragii dicendi ius concedere*, *ſuffragia perrogare*. Perſpicue id primum ex Platone deduci poteſt, qui Polum, & Socratem ita loquentes inducit Πωλ. ἔπει ἐρȣ τινά τȣτωνί. Σωκ. Ω῏ Πῶλε, ȣ̓κ ἐιμι τῶν πολιτικῶν. κ̀ πέρυσι βȣλεύειν λαχὼν ἐπειδὴ ἡ φυλὴ ἐπρυτάνευε, κ̀ ἔδει με ἐπιψηφίζειν, γέλωτα παρεῖχον, κ̀ ȣ̓κ ἠπιςάμην ἐπιψηφίζειν. μὴ ȣ̃ν μὴ δε τῶν κέλευε ἐπιψηφίζειν τȣ̀ς παρόντας (1). Pol. *Quaere ab iſtorum aliquo*. Socr. *O Pole*, *equidem non ſum ex his*, *qui in Republica verſantur*, *& ſuperiori anno*, *cum Tribus mea praerogativam haberet*, hoc eſt Prytaniae munere fungeretur, *ac forte oporteret me computare ſuffragia*, *& ad concilium referre*, *concitavi riſum*, *quia facere id neſcivi*. *Noli ergo iubere*; *ut ad concilium praeſentium referam*. Ita Demoſthenes ait quod Midias impulit Πρυτανεύοντα δȣ̃ναι τὸν ψῆφον (2) *Prytanem ſuffragia perrogare*: alibique de ſecundi generis, ut opinor, Epiſtata loquens ait οἱ προεδρεύοντες τῆς βȣλῆς, κ̀ ὁ ταῦτ' ἐπιψηφίζων Ἐπιςάτης ἠρώτων, κ̀ διαχειροτονίαν ἐδίδωσαν (3) *Proëdri Senatus*, *& qui ſuffragia perrogavit*, *Epiſtata interrogarunt*, *dicendaeque ſententiae ius fecerunt*: quemadmodum Plutarchus rogationem legemque memorans, quae nondum ſuffragiis commiſſa fuerat, ait μέλλοντος τȣ̃ Προέδρȣ τὸν δῆμον ἐπερωτᾶν *cum Proëdrus Populum interrogaturus*, vel *in ſuffragia miſſurus eſſet* (4). Haec ipſa quoque vocis ſignificatio a Thucydide demonſtratur ubi Nicias concionem ad Senatum habitam ita concludit κ̀ σὺ, ὦ Πρύτανι, ταῦτα ἐπιψήφιζε, κ̀ γνώμας προτίθει αὖθις Ἀθηναίοις (5) quae minus accurate latine reddidit Portus. *Tu vero*, *o Prytani*, *haec de conſilii ſententia confirma*, *& Athenienſes de his iterum ſententias roga*: cum potius, Valla ipſo auctore, reddi debuerit *de integro conſulito*; ſiquidem Nicias non priſtinum Decretum confirmari, ſed reſcindi potius optabat. Ceterum quod hic Thucydides *Prytanis* nomine Prytaniae Epiſtatam deſignaverit Hudſonus etiam optime exiſtimavit. At ubi clariſſimus Auctor ille putavit quod hic ipſe Prytaniae, ſive contribulium Prytanum Epiſtata Πρύτανις πρῶτος *Prytanis primus* in Oxonienſi Marmore CXVI. appelletur, profecto fallitur, ſive errorem, in quem Prideauxius impegerat, imprudens ſequitur. Siquidem *Paternianus* ille, qui πρύτα-

(1) In Gorgia. (2) In Midi. (3) In Androtio. (4) In Ariſtide. (5) Lib. VI. cart. 14. vid. Lib. I. cart. 87.

πρύτανις πρῶτος in Marmore dicitur, Smyrnaeus erat, ut alibi Prideauxius ipse fatetur (1); quemadmodum prorsus Smyrnaei erant *C. Claudius Pompeius*, *Smaragdus*, & *Claudianus*, qui in Marmoribus XXVIII & XLVI Πρύτανεις *Prytanes* appellantur. Itaque, licet Smyrnaeorum Respublica ad Atheniensis Reipublicae formam instituta concedatur, nulla tamen ratione *Prytanes* illi ad Atheniensis Vrbis Prytanes, ipsorumque Epistatam referri possunt.

X. Quemadmodum vero perspicuis testimoniis ipsis ostenditur quid ἐπιψεφίσεως nomine intelligi debeat, ita quoque manifestissime testimoniis, & exemplis ipsis demonstratur quod ἐπιψεφίζειν ad Prytanem aliquem spectasse debuit, qui *Prytanis* a Thucydide, ac Demosthene, *Proëdrus* ab Aeschine, & Plutarcho, nominatur; longe tamen illustrius exemplis etiam ostendi potest, quae in Demosthene, ac Plutarcho deprehendi. Demosthenes: ἐπὶ πανδιονίδος πρώτης πρυτανείας, δωδεκάτῃ τῶν προέδρων, ἐπεψήφισε Ἀριςοκλῆς Μυῤῥινούσιος, Τιμοκράτης εἶπε (2), Hic certissime rescribendum existimo ἐπὶ Πανδιονίδος πρώτην πρυτανείας δωδεκάτῃ, τῶν Προέδρων ἐπεψήφισεν Ἀριςοκλῆς . . . non modo quod Vlpianus diserte dixerit post vocem πρώτης interpungendum esse, verum etiam quod δωδεκάτῃ; vel dierum numerus non ad *Proëdros*, insolita quadam phrasi, sed ad *Prytaniam* ipsam solemni, constantique more referri debeat. Itaque Demosthenis locus ita interpunctus latine sic redditur *Pandionide* Tribuum *prima* Prytaniae munus obeunte, *duodecima* Prytaniae *die*, *ex Proëdris suffragia perrogavit Aristocles Myrrhinusius*, *Timocrates dixit*. Arystocles ille, si Myrrhinusius erat, profecto ad Pandionidem Tribum spectasse debuit, quae tunc temporis Prytaniae munus obibat. Plutarchus hoc aliud decretum exhibet. Ἔδοξε τῇ βουλῇ, μιᾷ καὶ εἰκοςῇ πρυτανείας, Δημόνικος Ἀλωπεκῆθεν ἐγραμμάτευε, Φιλόςρατος Πελληνεὺς ἐπεςάτει, Ἄνδρων εἶπε (3). *Placuit Senatui*, *vigesima prima Prytaniae die*, *Demonicus Alopecensis Scriba fuit*, *Philostratus Palleneus erat Epystata*, *Andro dixit*. Si Prytaniae Scriba eligebatur ex Tribu, quae Prytaniae munere fungebatur, ut optime observavit Dodvellus, Antiochis Tribus praesidere tunc debuit; adeoque cum *Pallene* Populus ad Antiochidem Tribum spectaverit, Philostratus ille, qui Epistatae

(1) Pag. 149. (2) Adv. Timocr. Pag. 471. (3) Vita X. Rhet. in Antiphon.

tae munus obibat, ad Tribum ipsam praesidentem referri debet; nec alia certe de causa decreto praescribitur, vel alio sensu *Epistata* nuncupatur, nisi quod Epistata ἐπιψηφίζειν consueverat; siquidem testatur Aeschines quod Athenienses τὲς χρόνες, κ̀ τὰ ψηφίσματα, κ̀ τὲς ἐπιψηφίσαντας ἐν τοῖς δημοσίοις γράμμασι φιλλάττεσι (1) *tempora, & Psephismata, & eos, qui suffragii ius dederint, in publicis monumentis conservant*, idque exemplo quoque confirmat, quod superius exhibui, in quo Demosthenes ἐπιψηφίζας, simulque *Proëdrus*, hoc est *Prytaniae Epistata* nominatur. Illud hic etiam ex testimoniis illis inferri potest quod ἐπιψηφίζειν idem erat ac διαχειροτονίαν διδῶναι, ψῆφον δῦναι, ἐπηρωτᾶν, λόγον προτιθέναι *dicendae sententiae ius concedere; suffragii ferendi potestatem facere, interrogare, dicendi facultatem tribuere;* quamvis aliquando suffragia solum perrogari, non vero dicendi locus ac potestas concedi consueverit. Hinc a Demosthene decretum ait Aeschines τῇ μὲν προτέρα τῶν ἐκκλησίων συμβελεύειν τὸν βελόμενον, τῇ δ' ὑςεραίᾳ τὲς Προέδρες ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας, λόγον δὲ μὲ προτιθέναι (2) *priori quidem Concione consulere volenti licere; sequenti vero Proëdros sententias perrogare, dicendique facultatem non concedere*. Ubi perspicue apparet utrumque munus Proëdrorum fuisse: unde optime adnotavit Ulpianus Πρόεδροι ἐκαλεῦντο οἱ πεμπόμενοι ἐν τῇ βελῇ παρὰ τῆς πρυτανευέσης φυλῆς. ὗτοι δὲ πάλιν ἐπέμποντο παρὰ τῆς βελῆς εἰς τὸν δῆμον προκαθεζόμενοι ἐν τῷ θεάτρῳ, διὸ κ̀ Πρόεδροι ἐκλήθησαν. ἠρώτων τὸν δῆμον εἰ δοκεῖν αὐτοῖς ἐπισκεψασθαι. οἱ δὲ ἦρον τὰς χεῖρας (3) *Proëdri vocabantur ii, qui in Senatum a Tribu praesidente mittebantur. Hi vero rursus a Senatu ad Populum mittebantur primum in theatro locum occupantes, unde & Proëdri dicebantur. Populum interrogabant num placeret illi deliberare.. interrogati vero manus elevabant*. Quo certe loco utrumque Proëdrorum genus temere fortasse confudisse videtur Ulpianus: perinde quasi iidem, eiusdemque generis Proëdri fuerint, qui res in *Senatu*, simulque in *Populo* gerendas proponerent, adeoque Senatum ipsum, simulque Populum in suffragia mitterent; cum suffragia *in Senatu* perrogare ad *Prytaniae Epistatam*, eiusque contribules Proëdros pertineret, ut eximio Plutarchi loco manifestissime demonstravi, suffra-

(1) De Falsa Legat. Pag. 258. (2) De Falsa Legat. Pag. 255. (3) In Midian, vid. Schol. Aeschyl. in supplic.

ſuffragia vero a Populo perrogare, reſque in Concione gerendas curare ad Proëdros potius non contribules fortaſſe ſpectaverint, ut mox oſtendetur.

XI. Ac certe quod poſteriores hi Proëdri ex variis Tribubus aliis electi admitti debeant, perſpicuis adeo Veterum teſtimoniis demonſtratur, ut in deſcribendis illis Sigonius, Petavius, ac Dodvellus mirifice conſpirent. Certius hic tamen argumentum, & exemplum aliud addidiſſe inverit, ut inſignis illa Proëdrorum varietas confirmetur. Demoſthenes hoc Decretum exhibet: Ἐπὶ Νικοκλέυς Ἄρχοντος Βοηδρομιῶνος ἔνῃ κὴ νέᾳ . . . πρυτανείᾳ φυλῆς Ἱπποθοωντίδος, Ἀριςοφῶν Κολυττεὺς Πρόεδρος εἶπεν (1). *Nicocle Archonte trigeſima Broëdomionis die ... in prytania Tribus Hippothoontidis, Ariſtophon Colytteus Proëdrus dixit*. Itaque ſive Colyttus ad Erechtheidem, ſive potius ad Aegeidem Tribum ſpectaverit (2), perſpicuum eſt tamen quod Hippothoontidis eſſe non potuit, adeoque Ariſtophon ille ſecundi generis Proëdrus eſſe debuit. Ita quoque ad Proëdros ipſos non contribules referendum eſſe putaverim quod in alio Pſephiſmate legitur apud Gruterum (3) δεδόχθαι τῇ βȣλῇ τȣ̀ς λαχόντας Προέδρȣς εἰς τὴν ἐπιȣ̃σαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι περὶ τȣ́των, γνώμην δὲ ξυμβαλλέσθαι τῆς βȣλῆς εἰς τὸν δῆμον ὅτι δοκεῖ τῇ βȣλῇ ςεφανῶσαι Εὔβȣλον *Placuit Senatui, ut Proëdri, qui in proxima Concione electi fuerint, de his rebus reſpondeant, Senatuſque ſententiam ad Populum referant, quod placeat Senatui coronari Eubulum*: etenim perſpicua verborum ſeries oſtendit quod Proëdri illi eligendi forent ubi proxima concio perageretur. Quod vero ex Proëdris etiam iſtis non contribulibus Epiſtata quidam eligeretur, facile contra Dodvellum, atque Emmium (4), ex variis Veterum teſtimoniis inferri fortaſſe poterit. Ac initio quidem id innuere videtur Demoſthenes, ubi effraenam Ariſtogitonis audaciam exaggerans ait ȣ̓ Πρύτανις, ȣ̓ κήρυξ, ȣ̓κ Ἐπιςάτες, ȣ̓κ ἡ προεδρεύȣσα φυλὴ τȣτȣ κρατεῖν δύναται (5) *non Prytanis, non praeco, non Epiſtata, non praeſidens* in Tribunali (6) *Tribus eum coercere poteſt*. Certe *Prytanis* nomine non alium quam Prytaniae, vel contribulium Proëdrorum Epiſtatam a Demoſthene, aliiſque pluri-

(1) De Corona Pag. 323. (2) Vid. Differt. V. Artic. 79. (3) Pag. 405. Numer. I. Vide Differt. VIII. Numer. 32. & Montfauc. Diar. Italic. Pag. 43. (4) De Republ. Athen. Pag. 42. (5) Contra Ariſtog. Ar. I. Pag. 502. (6) Vid. Aeſch. in Timarch.

pluribus designari iam vidimus: quemadmodum etiam ubi Demosthenes ipse ait φέρε γὰρ πρὸς Διός ἐςιν ὅςις ἂν ἢ Πρόεδρός ποτ' ἐπεψήφισεν, ἢ Πρύτανις τέτων τί (1); *age vero per Deos, estne vel Proëdrus, vel Prytanis, qui tale quid unquam suffragiis permiserit?* *Prytanis* nomine Prytaniae Epistatam appellavit. Ergo, si Demosthenes hic *Epistatam* a *Prytane* distinguit, non Prytaniae, sed alterius generis Epistatam indigitavit, qui nimirum ex Proëdris non contribulibus eligeretur. Clarius, ut opinor, id etiam ex Aeschine deduci potest. Siquidem ille ut ostenderet solemnem ritum, quo leges Athenis abrogari consueverant, ait νόμος κελεύει τὲς Πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντες Νομοθέτας, τὸν δὲ Ἐπιςάτην τῶν Προέδρων διαφειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ, καὶ τὲς μὲν ἀναρεῖν τῶν νόμων, τὲς δὲ καταλειπεῖν (2). *Lex iubet Prytanes Concionem indicere, inscriptis Legumlatoribus, Epistatam vero Proëdrorum suffragia a Populo perrogare; legumque aliquas* ita *abrogandas, alias* vero *retinendas esse*. Eiusmodi vero *Proëdrorum Epistatam*, qui hic ab Aeschine memoratur, ex Proëdris 9. non contribulibus electum esse ex ipso legis contextu deprehendisse videor. Itaque lex ita conspicitur: Ἐὰν δὲ τινες τῶν νόμων τῶν κειμένων ἀποχειροτονηθῶσι, τὲς Πρυτάνεις, ἐφ' ὧν ἡ ἐπιχειροτονία γένηται, ποιεῖν περὶ τῶν ἀποχειροτονηθέντων τὴν τελευταίαν τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν. Τὲς δὲ Προέδρες, οἳ ἂν τύχωσι προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, χρηματίζειν ἐπαναγκὲς πρῶτον μετὰ τὰ ἱερὰ περὶ τῶν Νομοθετῶν . . . Ἐὰν δ' οἱ Πρυτάνεις μὴ ποιῶσι τὴν ἐκκλησίαν, ἢ οἱ Πρόεδροι μὴ χρηματίσωσι, ὀφείλειν τῶν μὲν Πρυτανέων ἕκαςον χιλίας δραχμὰς, τῶν δὲ Προέδρων ἕκαςον ὀφειλέτω τετταράκοντα δραχμὰς (3). *Si quae receptae leges improbatae fuerint; Prytanes, in quorum Prytania rogatio facta fuerit, de improbatis legibus postremam trium Concionum indicant; Proëdri vero, qui in ea Concione praesederint, necessario respondeant primum post sacra de Legumlatoribus . . Si vero Prytanes Concionem non habuerint, aut Proëdri non responderint, multabitur Prytanum quilibet mille drachmis, & Proëdrorum quilibet quadraginta drachmas debebit*. Si diligenter adeo, nitideque tum in muneribus obeundis, tum in paenis dandis *Proëdri* a *Prytanibus* hic distinguuntur, longe verisimilius est certe quod Proëdri ipsi Prytani-

(1) Contra Timocr. Pag. 428. (2) Contra Ctesiph. Pag. 279. (3) Demosth. Orat. contra Timocr. Pag. 464.

tanibus contribules non fuerint; alioquin *Proëdri*, simulque *Prytanes*, adeoque duplici paenae obnoxii fuissent. Itaque secundi generis esse debent, quibus Prytaniae Epistata res in Ecclesiis gerendas committere cogebatur, ut Numer. 5. iam demonstravimus. Ergo, cum Aeschines Senatorem, aut civem illum, qui in lege *Proëdrus* simpliciter appellatur, *Proëdrorum Epistatam* nominaverit, idemque munus huic *Proëdrorum Epistatae* concesserit, quid in lege *Proëdro* tribuitur, quemadmodum *Proëdrus* ille ad Tribum praesidentem referri non potest, ita quoque nec ille *Proëdrorum Epistata* ad Tribum ipsam spectare poterit. Denique hic ipse Proëdrorum non contribulium Epistata, nisi mea me fallit opinio, ex alio Demosthenis loco satis aperte deduci potest. Etenim Orator ille de Psephismate loquens, quod sine senatus *praeconsulto* Populi suffragiis commissum fuerat, ait ταῦτ' ἐχήρετο ὁ Ἐφιςάτης, διαχειροτόνησεν ὁ δῆμος: ἔδοξε . . . . . οἱ δροεδρεύοντες τῆς βȣλῆς, καὶ ὁ ταῦτ' ετιψηφίζων Ἐπιςάτης ἠρότων, καὶ διαχειροτονίαν ἐδιδοσαν (1) *haec innterrogavit Epistata, Populus suffragia tulit, visum est . . . praesidentes Senatui, & qui suffragia perrogavit Epistata, interrogarunt, dicendaeque sententiae ius fecerunt*. Quod hic non primus ille Prytanum, vel contribulium Proëdrorum Epistata, sed alius ille exprimatur, qui ex Proëdris 9. non contribulibus eligebatur, Harpocration ostendit, dum hunc ipsum Demosthenis locum citavit ut ostenderet Proëdros novem non contribules admittendos esse *qui res in Concione gerendas administrarent*: quod fieri certe vel explicari non poterit si Epistata, qui Populi suffragia in Concione perrogavit non ex 9. Proëdris illis, sed ex Prytanibus electus esset.

XII. Quid vero si hanc ipsam non contribulium Proëdrorum, ipsorumque Epistatae dignitatem, ac munera eodem illo Psephismate, vel exemplo demonstrem, quod Dodvellus arripuit, ut contribulium Proëdrorum, ipsorumque Epistatae munus ostenderet; simulque eximium, ac celebrem Iosephi locum hactenus depravatum emendem? Iosephus *Antiquit. Iudaic.* Lib. XIV. c. 16 sequens Decretum ab Atheniensibus in Iudaeorum gratiam factum exhibet: Ἐπὶ Ἀγαθοκλέȣς Ἄρχοντος, Εὐκλῆς Μενάνδρȣ Ἁλιμȣ́σιος ἐγραμμάτευε, Μȣ-

νι-

(1) In Androtion. Pag. 418. 419.

νιχιῶνος ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεάτρῳ τῶν Προέδρων. Ἐπεψήφισε Δωρόθεος Ἀρχιερεὺς, κ οἱ συμπρόεδροι τῷ δήμῳ, quae Hudronus (1) ita reddidit: *Archonte Agathocle. Eucles Menandri Alimusius Scribam agebat Munichionis mensis undecimo die Prytauiae, habito Praesidum concilio in theatro. Dorotheus Pontifex Populum in suffragia misit, caeterique Praesides eius Collegae*: eademque prorsus interpunctio, & interpretatio in Vsserio conspicitur (2). Perspicuum est tamen quod hoc etiam loci rescribi debet *ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεάτρῳ* Τῶν Προέδρων *ἐπεψήφισεν*. *Concione in Theatro congregata... Ex Proëdris Populum in suffragia misit Dorotheus*... Etenim, ut exempla superius exposita omittam, nulla Proëdrorum concio, sive concilium effingi potest. Doctissimus vero Dodvellus in hoc illustri, celebrique Psephismate, veluti perspicuo, certoque exemplo, non modo Prytaniae Epistatam, eiusque contribules Proëdros, verum etiam ipsorum munera, quin & Pseudeponymos etiam Archontas se deprehendisse gloriatur. Itaque, cum Decretum ipsum exscripsisset, subdit: *Certe qui* Ἀρχιερεὺς Sacerdos maximus *in Psephismate Iosephi, is non alius ab eo fuisse videtur, qui olim Prytanum Epistates appellari solebat... Decem Prytanes, qui Populum in suffragia mittebant, Proëdri appellati, ut docet Prologus in Demosthenem contra Androtionem: & qui reliquis Proëdris praesidebat, proinde merito Symproedrus, is Epistates eodem Attico more audiebat; recte ipse ἐπεψηφίσας* Decreta rata faciens, *post Populi iam commissa suffragia* (3). Haec ipsa quoque Dodvelli verba, & hypothesis ab Havercampio probantur, atque ad laudatum Iosephi locum proferuntur. Petavius verò Dorotheum illum Epistatam esse putavit (4); sed quamvis ille duplex Epistatarum genus agnoverit (5), cuinam ex illis adscribi debeat, ignoravit. Ego vero, Dodvelli, Petavii, aliorumque doctissimorum hominum pace, quolibet pignore contenderim in Iosephi textu non Ἀρχιερεύς, sed Ἐρεχθιεύς, vel Ἐρχιεύς legendum esse: adeoque Dorotheum illum contribulium Proëdrorum Epistatam esse non posse. Suspicionem hanc mihi primum iniecerant exempla plurima, quibus hac in voce saepissime erratum esse iam videram, ut pro Ἐρεχθιεύς,

vel

(1) Loc. citat. Ioseph. (2) De Anno Solar. Maced. pag. 7. (3) Differt. III. sect. 40.
(4) Doctr. Temp. Lib. I. c. 30. (5) Lib. I. c. 1.

vel Ἐρχιεύς alicubi Ἀρχιεύς, alibi Ἀρχιερεύς rescriptum fuerit. Sic apud Aeschinem (1) legebatur Θράσων ὁ Ἀρχιεὺς *Thraso Archiensis* ubi Palmerius optime restituit Ἐρχιεύς *Erchiensis* (2). Ita prorsus in Laertio (3), & Stephano (4) Ἀρχιεὺς *Archiensis* legebatur, ac utrobique Casaubonus rescribendum esse demonstravit Ἐρχιεύς *Erchiensis*. Sic, ut pluribus exemplis aliis abstineam, apud Plutarchum legebatur Ἰσοκράτης Θεοδώρυ μὲν ἦν παῖς τῦ Ἀρχιερέως (5) *Isocrates Theodori quidem Sacerdotis maximi filius erat:* ubi Meursius (6) corrigendum esse putavit Ἐρεχθιέως *Erechtiensis*, vel Ἐρχιέως *Erchiensis*; denique in Epistolis (7), quae sub Themistoclis nomine circumferuntur, legitur Λεώτης ὁ Ἀρχιερεύς, κ Λύσανδρος ὁ Σκαμβωνίδης, κ ὁ Πρινάπης ὁ Πρασιεύς *Leotes Sacrorum Antistes*, & *Lysander Scambonides*, & *Prinapes Prasiensis:* ubi iampridem rescribendum monui Λεωτης ὁ Ἐρχιεὺς *Leotes Erchiensis*. Deinde vero conie&turam hanc meam ex solemni Psephismatum forma confirmari posse conspexi, in quibus Proëdrorum, sive Epistatarum, sive Scribarum nomen, & Populus, aliquando Pater etiam exprimitur; nullibi vero, quod noverim, ipsorum dignitas, nisi ad Concionem illa spectaverit, indicatur. Denique, ne coniecturis aliis hic immorer, sequioribus quidem temporibus, Caesarumque aetate Ἀρχιερέως *Sacerdotis maximi* nomen, ac dignitas in Atticae monumentis (8) occurrit, ut superius Num. 2. observavi; ac Olympiade CLXXXIII. qua Decretum illud a Iosepho memoratum, editum fuit, nullus omnino Ἀρχιερεὺς, nulla *Sacerdotis maximi* dignitas Athenis conspicitur; & quamvis ἀρχιερῦντος nomen, in corruptis quibusdam codicibus pro ἀρχιθεωρῦντος apud Demosthenem (9) offendatur, Ἀρχιερέως tamen vox a nullo prorsus Attico Scriptore usurpatur. Quod si eximium hunc Iosephi locum iam inde a Rufini quoque temporibus depravatum probe sic emendaverim, ut in illo non Ἀρχιερεὺς *Sacerdos maximus*, vel ut Rufinus ipse latine reddidit, *Princeps Sacerdotum*, sed Ἐρεχθιεὺς *Erechtiensis*, sive Ἐρχιεὺς *Erchiensis* in posterum rescribatur, Dorotheus ille ad Aegeidem

(1) De Falsa Leg. (2) Exercit. Pag. 655. (3) Lib. II. seg. 48. (4) In Azenia. (5) In Isocrat. (6) Pop. Attic. in Erchia. (7) Epist. 14. (8) Vid. Spon. Itiner. Tom. II. Pag. 215. (9) Advers. Midi Pag. 401.

Tribum, cuius Populus erat *Erechtheia*, *&* *Eſchia*, ſpectaſſe debuit; cumque Prytaniae Scriba ſit *Halimuſius*, adeoque ad Leontidem Tribum referri debeat, Leontis ipſa, Prytaniae munere tunc fungi debuit. Ergo Dorotheus ille ad Tribum praeſidentem referri certe non poterit, ſed ad Proëdros alios non contribules, veluti ipſorum princeps, ac Epiſtata referendus erit, qui proinde non in *Senatu*, ſed in *Populo* ſolum ſuffragia perrogaverit. Illud etiam hic obiter in Petavio (1), & qui Petavii veſtigiis inſtiterat, Havercampio (2), corrigi debet, quod illi prorſus immerito in ſuperiori Ioſephi loco fortaſſe reſcribendum eſſe putarunt Μȣνιχιῶνος ἕνῃ κ̀ νέᾳ, *δεκάτῃ τῆς πρυτανειας Munichionis trigeſima, ac decima Prytaniae die*. Etenim civilis menſis, ſimulque Prytaniae dies tunc exprimi plerumque conſueverant cum menſes quidem 12. Prytaniae vero, ſeu Tribus 10. ſolum fuerant; adeoque civilis menſis dies cum Prytaniae diebus minime coniungebantur: at ubi poſt Olymp. CXVIII. aucto Tribuum numero, Tribuum quaelibet unico menſis ſpatio Prytaniae munere fungebatur, adeoque menſis, ſimulque Prytaniae dies eodem ordine, vel ſerie progrediebantur, alteruter ſolum vel *Prytaniae*, vel *menſis* dies exprimebatur; niſi fortaſſe annus ille embolimaeus eſſet, aut una eademque phraſi civilis menſis, ſimulque Prytaniae dies exprimi non poſſet, ut mox oſtendetur. Ceterum, quamvis annus ille, quo ſuperius Decretum editum fuit, embolimaeus exiſtimetur, *decima* tamen Prytaniae dies cum Munichionis menſis *trigeſima* coniungi non poterit.

XIII. Illuſtrius hic etiam exemplum, & Decretum aliud addidiſſe iuverit, quod a Laërtio in *Zenonis Vita* profertur, non modo ut Proëdrorum eiuſmodi non contribulium, ipſorumque Epiſtatae munus accuratius oſtendatur; verum etiam ut inſignis ille, ſimulque mirifice perturbatus Laërtii locus a variis mendis, quae irrepſerant, ſi fieri id quidem poterit, emaculetur; Ἐπὶ Ἀῤῥενίδȣ Ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Ἀκαμαντίδος πέμπτης πρυτανείας, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ὑϛέρᾳ, τρίτῃ κ̀ εἰκοϛῇ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησία κυρία τῶν προέδρων ἐπεψήφιζεν, Ἵππων, Κρα-

(1) Lib. I. c. 30. (2) In notis ad Ioſeph.

Κρατιςοτέλης, Ξυμπετέων, κ͵ οἱ συμπρόεδροι, Θράσων Ἀνακαιεὺς εἶπεν (1). *Sub Arrhenide Archonte, Acamantide Tribu Prytaniae munus quinto loco obeunte, Maemacterionis mensis decima extrema die, vigesima tertia Prytaniae die, Concio legitima Proëdrorum decrevit. Hippo, Cratistoteles, Xympeteon, & Collegae Proëdri, Thraso Anacaeus dixit*. Errores hic aliquos optime Casaubonus (2), laudatoque Casaubono Meursius (3) sustulit, ubi legendum monuit Ἵππων Κρατιςοτέλες Ξυμπετέων *Hippo, Cratistotelis* filius *Xympeteon*: idque in Basileensi editione, regioque Codice *recte legi* notat Menagius (4). Ego vero locum hunc, adhuc inquinatum esse putaverim; primumque legendum esse existimo ἐκκλησίᾳ κυρίᾳ, τῶν Προέδρων ἐπεψήφιζεν Ἵππων... *in concione stata, ex Proëdris suffragia perrogavit Hippo*... ut nimirum τῶν προέδρων *Proëdrorum*, atque ἐπεψήφιζεν *suffragia perrogavit* non ad Ecclesiam ipsam, sive Concionem, ut Meursius, Casaubonus, Menagius, aliique omnes putarunt, sed ad Hipponem referatur. Certe, si verbum illud ad Ecclesiam referri debeat, sensus omnino mutilus, ac hiulcus erit; nec Hipponis nomen aut cum superioribus, aut cum sequentibus etiam verbis haerere, apteque coniungi poterit. Itaque ἐκκλησίᾳ κυρίᾳ, *Concione stata*, rescribi debet: quod ipsa verborum textura, sensus perspicuitas, & solemnis etiam aliorum Psephismatum formula omnino postulat, quorum exempla plurima iam opportunius exposui. Sic ut exemplum aliud hic proferam in veteri Marmore legitur Ἐπὶ Ἀριςαίχμȣ Ἄρχοντος, Γαμηλιῶνος δεκάτῃ ἱςαμένȣ, ἐκκλησίᾳ κυρίᾳ ἐν τῷ ἐκκλησιαςηρίῳ, Μένανδρος Μενάνδρȣ Μελιτεύς εἶπεν (5) *Aristaechmo Archonte, Gamelionis decima* die, *Ecclesia stata in legitimo Concionum loco* convocata, *Menander Menandri* filius *Meliteus dixit*. Quod si ἐπεψήφιζεν *suffragia perrogavit* non ad Ecclesiam, sed ad Hipponem potius, eiusque Collegas Proëdros manifestissime referri debet, quis aperte non videat, quod Hippo ille, cum *Xympeteus* esset, adeoque in *Cecropide* Tribu contineretur, ad *Acamantidem* Tribum, quae tunc temporis Prytaniae munere fungebatur, spe-

(1) Lib. VII. seg. 10. (2) Ad Laert. loc. cit. (3) Popul. Attic. in Xypete. (4) Ad Laert. loc. cit. (5) Grut. Pag. 405. num. 1. & Montfauc. Diar. Italic. Pag. 43.

ſpectare certe non poterat; ideoque ἐπιψηφίζειν in Concione, hoc eſt *ſuffragii ius in Concione concedere*, ſive Populum *in ſuffragia mittere* non ad Prytaniae Epiſtatam, eiuſque contribules Proëdros, ſed ad novem Proëdros alios ipſorumque Epiſtatam ſpectaſſe debuit? Video quidem ſuperiorem Laërtii locum adeo depravatum, & perplexum eſſe, ut non immerito ſuſpicari quis poſſit vel in menſis, vel in Tribus nomine, & numero peccatum eſſe: quemadmodum certe error aliquis in menſis, vel Prytaniae dies irrepſit, ut doctiſſimi proinde Viri in illo corrigendo ſedulam, ſed inutilem tamen, ut opinor, operam collocaverint. Etenim Scaliger (1) δεκάτην ὑςέραν latine *vigeſimam* reddidit; neque tamen eſt aſſequutus qui *vigeſima* menſis dies cum *vigeſima tertia* Prytaniae die coniungi potuerit; cum praeſertim ipſe Prytanias omnes unico menſis ſpatio circumſcribi putaverit. Petitus (2) δευτέρᾳ καὶ τριακοςῇ *trigeſima ſecunda* reſcribi voluit: quod Prytanias adhuc 35. dierum ſpatio conſtare crediderit, ſimulque δεκάτην ὑςέραν una cum Scaligero *vigeſimam* interpretatur. Petavius cum Maemacterionem menſium *quartum* eſſe intelligeret, *quintam* Prytaniam cum illo cohaerere non poſſe viderat, adeoque concludit Prytanias tunc aliunde, quam a civilis anni, vel Hecatombaeonis menſis initio, proceſſiſſe (3). Dodvellus hinc veterem Tribuum, vel Prytaniarum ſeriem perturbatam eſſe deducit quod Acamantis ex *ſeptimo* in *quintum* locum migraverit, ceteraſque tamen ambages, quae dirimendae ſupererant, intactas reliquit (4). Brukerus denique *Valde timere* ſe dicit *ut non Rhetoris potius alicuius, quam Athenienſium, illud Decretum opus ſit* (5). Si quid ego tamen coniecturis hic aſſequor, in eximio Laërtii loco non Tribus non menſis nomen, non Prytaniae numerus, non menſis dies eſt depravatus; ſed in Prytaniae diebus ita numerus corrigi, mutarique debet, ut μιᾷ καὶ εἰκοςῇ, *vigeſima prima*, ſive ὀγδόῃ *octava* reſcribatur. Etenim, ut hinc exordiar, δεκάτη ὑςέρα non *vigeſimam*, ut falſo putavit Scaliger, & Petitus, ſed *vigeſimam primam* menſis diem ſignificat, quae δεκάτη φθίνοντος

(1) De Emend. Temp. Lib. IV. Pag. 263. (2) Eclog. Chron c. 5 (3) Doctr. Temp. Lib. II. c. 1. in Notis. (4) Differt. III. Sect. 39. (5) Hiſtor. Philoſ. tom. 1. Pag. 901.

τος *decima desinentis* mensis dicebatur : idque obscurius quidem Hesychius (1), sed perspicue tamen Vlpianus, & Aristophanis Scholiastes docent, quos opportune Dissert. II. Num. 15 iam protuli. Quod vero Prytania *quinta* cum Maemacterione mense coniungatur, id, ut opinor, argumento esse poterit quod Zenonis aetate Maemacterion ex *quarto* iam in *quintum* locum migraverat. Quamvis enim obscurum sit qua id aetate inceperit, compertum est tamen id aliquando demum obtinuisse (2); nec a vero plurimum diffidet id Olymp. CXVIII. contigisse, qua plurimas mutationes alias in mensium nominibus invectas esse Plutarchus (3) testatur. Quinetiam, ne hic quidpiam dissimulem, vehemens mihi suspicio iampridem insedit quod Maemacterion ipse *quintum* semper in mensium ordine locum occupaverit, atque Aristotelis testimonia, quibus Atticorum mensium series a Petavio contexta, Dodvello, ceterisque Scriptoribus omnibus probata innititur, tanti fortasse non sint, ut ipsorum praesidio celeberrima haec quaestio perspicue dirimatur. Sed accuratius, & opportunius haec exponentur in Differt. XII. ubi de Atheniensium, aliorum Populorum mensibus, ipsorumque ordine differetur. Interim vero, supponi facile poterit Maemacterionem tunc saltem temporis *quintum* iam locum obtinuisse; ut facile proinde cum *quinta* Prytania coniungi potuerit. Quod autem ad mensis, ac Prytaniae dies in Psephismate memoratos attinet, si annus ille, quo Decretum illud editum fuit, communis erat, *vigesima prima* civilis mensis dies cum *vigesima prima* Prytaniae die accuratissime coniungi debuit. Sed quia mensis dies peculiari quadam phrasi δεκάτη ὑςέρα *decima posterior*, sive δεκάτη φθίνοντος *decima desinentis* dicebatur, eademque phrasis *vigesimam primam* Prytaniae diem exprimere non poterat, Prytaniae dies μιᾷ κ̀ εἰκοςῇ *vigesima prima* dici debuit, ut in Plutarchi quoque Decreto factum conspicitur (4. Sin vero annus ille embolimaeus erat, adeoque sex primis Prytaniis, quae mensium instar, alterne 30. & 29. dierum erant futurae, *tres* dies adiuncti fue-

(1) In Decate. (2) Vid. Differt. II. Num. 8. (3) In Demetr. (4) Supra Num. 10.

fuerint, tunc *quintae* Prytaniae initium in 13. Maemacterionis diem incidisset; ideoque 21. mensis dies cum 9. Prytaniae die coniungeretur; ac in Laërtii textu ἐννάτῃ *nona* rescribendum esset. Nihil hic tamen in tanta rerum obscuritate, temere definire nunc velim; sed utramque solum ex coniecturis istis proponere libuit; cum praesertim coniecturas alias a Doctissimis Viris propositas longe liberiores, aut manifeste falsas esse deprehenderim.

XIV. Sed, ut ad Epistatas iterum, ipsorumque munera tandem revertar, si duo Iosephi, Laërtiique Psephismata cum Plutarchi Psephismate, atque Aeschinis testimonio conferantur, iam nullus dubitandi locus supererit quin ἐπιστατεῖν *Epistatae munere fungi*, ἐπιψηφίζειν ἐν τῇ βουλῇ *suffragia in Senatu perrogare* ad Prytanum, sive contribulium Proëdrorum Principem, hoc est ad Prytaniae Epistatam spectaverit; sed ἐπιψηφίζειν ἐν τῷ δήμῳ *Populum in suffragia mittere* ad solum Epistatam illum referri debeat, qui ex Proëdris aliis non contribulibus eligebatur. Quo plane fieri potuisse, riteque exinde inferri posse videtur ut res in Senatu quidem gerendas proponere, Senatores ipsos in suffragia mittere, ad contribules Proëdros spectasse debuerit; res vero in Populo, sive Concione gerendas curare, Senatus Decretum, seu praeconsultum ad Populum referre, Populum ipsum interrogare, suffragii ius ipsi concedere, suffragia recensere posteriores alii Proëdri non contribules consueverint. Ingenue tamen fatendum est aliqua Veterum testimonia, & exempla quoque subinde occurrere, quae discrimen illud facile perturbent; ut in Vlpiani, aliorumque testimoniis apparet, quae superius exhibui. Hinc optime, modesteque Sigonius ubi dixisset quod *Epistata totius Collegii nomine, quae essent in Senatu discutienda, proponebat*: quod *Prytanum aliquis de Decreto suffragium Senatoribus permittebat*, caute adiecit fortasse *singulos Prytanes separatim de singulis rebus vel volentibus, vel invitis Collegis retulisse* (1): ambiguum nempe, obscurumque esse num semper Epistata suffragia perrogavit, vel solius Epistatae nomine suffragii ferendi, dicendaeque Sententiae ius con-

(1) Lib. II. c. 3.

concederetur. Certe, ut insigne exemplum unum hic proferam, Socrates asserit se contribulium Prytanum Decreto palam aliquando obstitisse, dum Senatoris, ac Prytanis munere fungeretur; ait enim: Ἐγὼ γὰρ ἄλλην μὲν ἀρχὴν ὐδεμίαν πώποτε ἦρξα ἐν τῇ πόλει. ἐβύλευσα δὲ, καὶ ἔτυχεν ημῶν ἡ φυλὴ Ἀντιοχὶς πρυτανευύσα ὅτε ὑμεῖς τὺς δέκα Στρατηγὺς ἐβυλεύσασθε ἀθρόυς κρίνειν.... τότ' εγὼ μόνος τῶν πρυτανέων ἠναντιώμην ὑμῖν..... καὶ ἐναντία ἐψηφισάμην (1): *Ego enim nullo unquam magistratu in civitate functus sum; nisi quod Senatoris munus obivi. Contigit autem Tribum meam Antiochidem eo tempore Prytaniae munere fungi, quo vos decem Strategos omnes simul damnare decrevistis...... tunc ego solus ex Prytanibus omnibus vobis obstiti, & contraria vobis decrevi* (2). Quin etiam Xenophon, qui gravissimas turbas illas accurate describit, suffragia a Populo, aliter quam Senatui videretur, tunc perrogata, seu lata fuisse testatur. Quandoquidem ergo perplexitas aliqua in veteribus hac in parte reperitur, illud in primis huic dirimendae observandum esse putaverim quod in Atheniensis Senatus, sive Reipublicae forma definienda veterum Scriptorum testimonia Lexicographis, ac Scholiastis praeferri merito debent; adeoque, si recentiores illi a Veteribus fortasse diffideant, facile negligi vel emendari etiam debent. Illud hic etiam observasse iuverit quod varietas aliqua in Proëdrorum, ac Epistatarum muneribus variis subinde temporibus irrepsisse potuit: quemadmodum certe in Concionum numero, aliisque id genus contigisse iam diximus. Observari denique poterit quod Decreta plurima tum in Senatu, tum in Ecclesiis contra leges, veteremque morem interdum edita memorantur: ut Demosthenes a Timocrate, Androtione, aliisque pluribus legitimum morem in ferendis legibus, cogendisque Ecclesiis mirifice perturbatum esse conqueritur; quod in superiori quoque Socratis, vel Xenophontis exemplo factum manifeste conspicimus. Itaque mirari plane non possumus si munus aliquod, quod ex legum praescripto ad civem aliquem spectasse debuerat, ab alio cive temere aliquando usurpatum videatur. Si tamen varie-

(1) In Apolog. (2) Rer. Graec. Lib. I. in fin.

rietates , ac perturbationes illae , quae temere ſolum , ac aliquando irrepſere , ſeponantur , atque legitima , ſimulque conſtans Proëdrorum , ac Epiſtatarum diſtinctio , ipſorumque munera ex antiquioribus Scriptoribus inquirantur , non alia certe accuratior Athenienſis Senatus , Eccleſiaeque forma deſcribi fortaſſe poterit quam quae Petavio , Sigonioque ducibus a me ſuperius expoſita longeque , ut opinor , melioribus argumentis confirmata , ac illuſtrata quoque conſpicitur .



DIS-

DISSERTATIO VII.

S Y N O P S I S.

I. *DUplex Archontum Athenienſium genus admitti debet, quorum nomina Faſtis, atque Decretis inſcripta fuerint; adeoque Eponymi cenſeri ſolent.* II. *Haec Eponymorum Archontum varietas, atque diſtinctio Meurſio, aliiſque pluribus incomperta fuit. Hinc maxima in Meurſii Faſtis ambages, atque perplexitas indicatur.* III. *Palmerius hanc omnium primus, deinde Dodvellus etiam obſervavit. Duplex Palmerii hypotheſis; ſimulque univerſa Dodvelli ſententia declaratur.* IV. *Singula Dodvelli argumenta proferuntur, quibus Pſeudeponymos Archontes illos Prytaniarum Epiſtatas fuiſſe contendit; atque diſcrimen exponitur, quo Archontes Eponymos a Pſeudeponymis ille diſtinguendos eſſe opinatur.* V. *Argumentis illis occurritur, & contra Dodvellum oſtenditur Prytaniarum Epiſtatas Archontis nomine decorari non potuiſſe.* VI *Eponymorum, ac Pſeudeponymorum Archontum diſcrimen a Dodvello excogitatum exemplis impugnatur. Plutarchi autoritas contra Dodvellum aſſeritur.* VII. *Exemplis etiam oſtenditur Archontes illos, qui variis Decretis inſcribuntur, Epiſtatas, in ea Prytaniarum ſerie, quam Dodvellus admiſerat, haberi non poſſe.* VIII *Argumentis aliis demonſtratur Epiſtatarum nomina Decretis illis inſcribi non potuiſſe.* IX *Dodvelli ſententia de Servatorum Sacerdotibus in Antigoni, Demetriique honorem inſtitutis impugnatur.* X. *Alia Dodvelli hypotheſis, & coniectura tum rationibus, tum exemplis etiam, ac Veterum teſtimoniis refellitur.* XI. *Pſeudeponymos Archontes illos, qui Decretis apud Demoſthenem inſcribuntur, annuos fuiſſe coniecturis oſtenditur.* XII. *Veros inſuper Archontes habendos eſſe va-*

riis indiciis & argumentis asseritur. Prytaniarum Epistatae nunquam Archontis nomine insigniti fuere. Dodvelli, Meursiique error hic indicatur. XIII. *Pseudeponymos Archontes istos veris Eponymis suffectos esse Harpocrationis, Demosthenis, aliorumque testimonio suadetur. Atheniensium ritus in confirmandis, abrogandisque magistratibus exponitur.* XIV. *Pseudeponymi tamen Archontes omnes a Demosthene memorati veris Eponymis suffecti censeri non possunt. Archontes omnes exponuntur, qui uno, eodemque anno 2. Olymp. CX. imperarunt.* XV. *Pseudeponymos Archontes illos ex veris Archontibus, sive Novemviris fuisse coniecturis ostenditur.* XVI. *In hac hypothesi clarius omnia, ac felicius explicari posse demonstratur.* XVII. *Palmerii sententia de Pseudeponymis Archontibus istis iterum argumentis aliis confutatur.* XVIII. *Discrimina, vel characteres alii proferuntur, quibus Archontes vere Eponymi, Fastisque inscribendi a Pseudeponymis Archontibus aliis distingui possint.*



DIS-

DISSERTATIO VII.

De Pseudeponymis Atheniensium Archontibus.

I. SI veteres Scriptores illi, qui Atheniensis Reipublicae formam, eiusque regimen prodidere, clarius alicubi, atque uberius omnia Magistratuum discrimina, illorumque munera descripsissent, plurimae ambages illae, quae in Atticis, aliisque Graecis Auctoribus explicandis occurrere subinde solent, perspicuis eiusmodi Veterum testimoniis facile dirimerentur. Cum vero praecipua quoque Atheniensis Politiae capita pressius aliquando, vel obscurius expresserint, atque Scriptores illi, qui de rebus huiusmodi fusius, atque accuratius disseruerant, maximo Historiae detrimento temporis iniuria interciderint, plurima Scriptorum loca gravibus plerumque tenebris circumfusa esse solent, ut illa vix apte intelligi, vel explicari posse videantur. Ita ambiguum plane, doctissimisque Viris disputatum esse iam diximus, an duplex Athenis *Epistatarum*, ac *Proedrorum* genus olim fuerit; quamvis eiusmodi Proedrorum, vel Epistatarum discrimen non ambiguis fortasse Veterum testimoniis ostendi posse videatur, ut superiori Dissertatione iam demonstravi. Sed longe tamen hic gravior difficultas alia, vel controversia suboritur, an duplex etiam *Archontum Eponymorum* genus admitti debeat. Cum enim Eponymi Archontis nomen publicis Decretis inscribi, simulque Fastis adiungi soleret, ut Dissertatione I. iam diximus, suspicari certe quis poterit Archontes omnes, qui Decretis illis adscripti conspiciuntur, ita Eponymos esse oportere ut ipsorum nomina ad Eponymorum Archontum Fastos referri debeant. Sed altera tamen ex parte

plurimos Archontes esse conspicimus, qui quamvis publicis Decretis adscripti fuerint, ideoque *Eponymi* videantur, Fastis tamen inscribi non possunt, sed ex eiusmodi Eponymorum serie prorsus expungi debent; neque tamen ullus omnino Veterum perspicue nobis ostendit quo discrimine Eponymi Archontes isti distingui debeant, ut mox opportunius ostendam.

II. Itaque mirari certe non possumus si in tanta rerum obscuritate, veterumque Scriptorum silentio Meursius in contexendis Archontum Fastis discrimen illud omnium minime deprehenderit; ideoque Eponymos Archontes omnes Fastis adscripserit. Hinc ille, si Archontis alicuius nomen in aliquo Scriptore reperit, nomenque ipsum in Diodori, vel Dionysii Fastis occurreret, unum eundemque Archontem esse putavit; ideoque ad annum illum olympicum retulit, cui in Diodori Fastis adscribitur: sin vero varietas aliqua nominibus inesse videretur, tunc ad Archontem alium a Diodoro similiter memoratum, inflexo tamen, correctoque nomine, referendum existimavit: cumque nulla prorsus affinitas, atque similitudo nominibus inesse videretur, Meursius Archontes illos Eponymos quidem, sed incertae tamen aetatis, fuisse dicit; ideoque ipsorum singulos Cap. 20. Libri IV. postremo nimirum loco, Fastis inseruit. Ita *Mnesithidem* a Demosthene memoratum unum, eundemque fuisse dicit cum *Mnesithide*, qui ad annum 4. Olymp. LXXX. in Fastis occurrit; cum tamen Mnesithides ille a Demosthene nominatus Eponymus certe non fuerit, atque Olympiade CX. imperaverit. Cum a Demosthene *Archon Polycles* memoretur, atque in Archontum Fastis anno 2. Olymp. CXVIII. *Diocles* habeatur, *Polyclem* illum unum eundemque cum *Diocle* fuisse existimat; cum tamen Polycles ille circa Olymp. CIX. Archontis munus obierit. Denique cum *Mnesiphilus Archon* apud Demosthenem ipsum occurrat, hunc Eponymum, sed ignotae aetatis, fuisse dicit Meursius; cum tamen ille nec Eponymus fuerit, nec ignotae aetatis haberi debeat, quippequi anno 2. Olymp. CVIII. imperaverit, quo *Themistocles* Eponymus Archon in Fastis reperitur, ut in Dissertatione VIII. demonstrabo.

III. Eiusmodi vero Meursii errorem, sive Eponymorum Archontum discrimen omnium primus observavit Palmerius. Cum enim illa, quae *Mnesiphilo* Archonte contigisse narrat Demo-

mosthenes, in annum 1. inciderint Olympiadis CVIII., quo Eponymus Archon erat *Theophilus*; sive potius, ut ostendi [1], in annum 2. quo Eponymus in Fastis reperitur *Themistocles*; omnesque fere Archontes illi, qui a Demosthene in Oratione *de Corona*, & *de Falsa Legatione* memorantur, iis temporibus fuisse debeant, quibus Eponymorum Archontum Fasti pleni sunt, Archontes illos a Demosthene nominatos non Eponymos esse putavit Palmerius; simulque *suspicatus est in Decretis, quae citantur a Demosthene, non notari Archontem Eponymum, sed alium ex Thesmothetis* [2]. Alibi vero Palmerius ipse, cum observasset a Laertio [3], Plutarcho [4], & Arundelliano Marmore [5] *Apsephionem* veluti Eponymum Archontem anni 4. Olymp. LXXVII. designari, simulque tamen in Diodori Fastis, & a Dionysio eiusdem anni Eponymum *Phaedonem* vocari, *utrumque verum esse credidit, & eodem illo anno Apsephionem, & Phaedonem Archontes fuisse Eponymos* existimavit; *scilicet*, inquit ille, *uno in magistratu mortuo suffectus fuit alter: & forte non me fallit coniectura* [6]. Itaque in Palmerii hypothesi duplex *Pseudeponymorum* Archontum genus admitti debet; ut alii quidem veris Eponymis morte sublatis suffecti fuerint; ideoque & ipsi Fastis inscribi possint; alii vero, quamvis Decretis inscripti sint, non vere tamen Eponymi, aut veris Eponymis suffecti vocari possint, sed Thesmothetae potius censeri debeant. Dodvellus vero [7], qui in eruditas illas Palmerii *Exercitationes*, ut videtur, minime inciderat, perspicuum illud Pseudeponymorum, Eponymorumque Archontum discrimen *nondum eruditis Viris observatum* putavit; ac Pseudeponymos Archontes illos, qui Psephismatibus inscribuntur, non veros Archontas, verisque Eponymis suffectos, aut Thesmothetas existimavit; sed solum Prytaniarum Epistatas esse contendit; variosque characteres etiam, & argumenta proposuit, quibus Archontes Eponymi a Pseudeponymis, sive, ut ait ille, ab Epistatis accuratissime distingui possint. Quamvis autem Palmerio, simulque Dodvello facile assentiar ut Archontum plurimos, qui tum a Demosthene, tum a variis etiam Scriptoribus aliis memorantur, non Eponymos esse concedam, ideoque illos *Pseudeponymos* appellaverim;

(1) Differt. III. num. 18. (2) Exercit. pag. 135. (3) Lib. II. seg. 44. (4) In Cimone. (5) Epoch. 57. (6) Exercit. Pag. 452. (7) Differt. III. sect. 40. 41.

rim; utramque tamen, Palmerii scilicet, ac Dodvelli opinionem falsam existimo; & Pseudeponymos Archontes illos neque *Thesmothetas*, neque Prytaniarum *Epistatas* esse contendo; denique characteres illos, qui a Dodvello exponuntur, falsos, ac incertos esse demonstro. Ut autem id accuratius, ac meliori quo poterit ordine ostendatur, singula Dodvelli ipsius argumenta prius exponam; deinde vero nitide ostendam quae vis, aut veri similitudo in iis reperiatur; denique confutata Dodvelli hypothesi, rationes illas, & argumenta complectar, quibus opinio mea non infeliciter, ut ego quidem existimo, defendatur.

IV. Atque, ut a primo exordiar, primum ac praecipuum fere Dodvelli argumentum (1) ex Decretis illis eruitur, quae non Eponymi Archontis, sed alterius potius nomen praeseferunt: qui certe non alius, ut Dodvellus quidem existimat, esse potuit quam Prytaniae *Epistata*; ille nimirum, qui eo die Concioni praefuit, quo Decretum ipsum editum fuerit. *Certe*, inquit ille, *Psephismatum, quae non aliis quam his Archontibus designari solebant, passim habemus exempla in Demosthene, quibus ipso Archontum titulo hi insigniuntur Epistatae: quod tamen nondum observarunt Viri eruditi. Sic in Oratione de Corona* Α῎ρχων Δημόνικος. Ε᾽πὶ Α᾽ρχοντος Ε᾽υθυκλέους. Ε᾽πὶ ἄρχοντος Μνεσιφίλου. Ε᾽πὶ Μνεσιφίλου Α῎ρχοντος. Ε᾽πὶ Α῎ρχοντος Η῾ροπίθου. Ε᾽πὶ Α῎ρχοντος Μνεσιθείδου. Ε᾽πὶ Α῎ρχοντος Ναυσικλέους. Ε᾽πὶ Α῎ρχοντος Νεοκλέους. Archon Demonicus. Archonte Euthycle. Archonte Mnesiphilo. Mnesiphilo Archonte. Archonte Heropithe. Archonte Mnesithide. Archonte Nausicle. Archonte Neocle. *Inter alias certe* Πρυτάνεως Prytanis *significationes hanc etiam recenset Suidas, qua tantumdem valet quam Archon. Sic Hesychius ait* Πρύτανις. ἐπιστάτης, βασιλεὺς, ἄρχων. Prytanis, epistata, rex, archon; atque in Επιστάτης vocis huius significationem exprimens ait ἄρχων Α᾽θήνησι, καὶ ὁ ἐφεστηκὼς *Archon Athenis, & Praesidens. Erat ergo Archon, & quidem Eponymus*, quod ille nimirum non anno, ut veri Archontes Eponymi, sed solum Decretis nomen, temporisque notam tribueret. *Itaque cavendum ne duo hi Archontes deinceps iterum confundantur: eaque erit in posterum distinctionis nota ut quicumque in Psephismatibus memorantur, Archontes illos meminerimus nibil commune habe-*

(1) Differt. III. sect. 40.

habere cum Fastis Archontum annuorum, & frustra ibi esse quaerendos .... Itaque in rebus Senatus Archon anni intelligendus, in rebus vero Populi Archon alius, non anni, sed Prytaniae Eponymus, neutiquam ad Fastos referendus .... si tamen illis Prytaniarum Archontibus tandem concessum non sit ut qui initio anni Prytaniae praefuerit, ille anni fuerit Eponymus. Ac Eponymi quidem Archontis nomen Decretis inscribi consuevisse, dicit Plutarchus (1). Ubi nimirum varios honores, quibus Antigonus, atque Demetrius ab Atheniensibus veluti Servatores excepti fuerant, commemorasset, ait quod Athenienses ipsi μόνοι Σωτῆρας ἀνέγραψαν θεοὺς, καὶ τὸν ἐπώνυμον, καὶ πάτριον Ἄρχοντα καταπαύσαντες Ἱερέα Σωτήρων ἐχειρότονουν κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον. Καὶ τοῦτον ἐπὶ τῶν ψηφισμάτων καὶ τῶν συμβολαίων προέγραφον. *Soli servatores Deos inscripserunt, abrogatoque patrio, Eponymoque Archonte Servatorum Sacerdotem quotannis creaverunt, quem Decretis, contractibusque praescripserunt*. Sed Plutarchum ipsum hac in parte mirifice deceptum esse putat Dodvellus; & *Sacerdotes* illos *Servatorum* in Antigoni, Demetriique honorem anno 3. Olympiadis CXVIII. institutos, atque Eponymis Atheniensium Archontibus suffectos non alios fuisse dicit (2), quam Prytaniarum Epistatas, quorum nominibus Psephismata semper insigniri consueverant; quamvis id Eponymis anni Archontibus concessum esse scribat Plutarchus. *Ac non alii sane*, inquit Dodvellus, *quam Prytaniarum Epistatae esse potuerunt, quorum mentio in Prytaniis, & in Populi Psephismatibus. Siquidem penes hos Epistatas erant anni universi conventus omnes tam Senatus, quam Populi, resque adeo utrobique gerendae .... Itaque, si Archon anni Eponymus in Senatu praesederit, ita fieri non potuit ut perpetuo praesiderent Epistatae. Potuit tamen, ut raro; cum scilicet mortuus esset, aut alia aliqua necessaria caussa fieret ne ipse adesse posset Archon ... Id tamen ut verum fuerit, non sui nihilominus magistratus tempore res in Ecclesiis gestas designabat Epistates, qui res in Ecclesiis gestas suo, ut vidimus, magistratu designavit*.

V. Qui rationes omnes, & argumenta singula accuratius inspexerit, quibus Dodvellus opinionem hanc suam illustrandam, simulque confirmandam susceperat, facile, ut opinor, intelliget illam maximam quidem veri speciem praeseferre, ut faci-

(1) In Demetr. (2) Dissert. III. Sect. 41.

facile proinde fraudi esse possint, nisi subtiliter illa, atque ad vivum resecentur, praesertim vero cum iis conferantur, quae de Prytaniarum Epistatis in superiori Dissertatione paullo susius, & oportunius ostendi. Mihi vero diligentius illa retexenti, atque Atheniensis Reipublicae formam, simulque plurima Veterum Scriptorum loca accuratius consideranti, subtilior illa, ac ingeniosa certe Dodvelli hypothesis omnino falsa, paulloque liberius efficta videri solet quippequae temere inconsulto Pseudeponymos Archontes illos cum Prytaniarum Epistatis confundat. Atque, ut ab ipso quoque Archontis nomine exordiar, quis suspicari unquam possit illa dignitatum, officiorumque nomina promiscue adeo Athenis olim usurpari potuisse ut in publicis etiam monimentis, ac Psephismatibus unus idemque civis modo *Epistata*, modo *Archon* diceretur; Archontis nomen modo supremum illum Atheniensium magistratum, modo Pritaniarum Epistatam designaret; cumque in decretis ipsis, aut Psephismatibus Prytaniae Epistata concioni *praeesse*, vel ἐπιστατεῖν diceretur, in iisdem decretis illis Archontis etiam nomen assumpserit, ac illa nomen suo, veluti perspicua temporis nota insigniverit? Certe, si Psepismatibus Epistatae nomen inscribi debuisset, ut opinatur Dodvellus, non video cur *Archon* ibi potius quam *Epistata* appellari debuerit; cum praesertim in decretis aliis nitide, distincteque *Epistata* diceretur. At, inquit Dodvellus, Epistata quoque *Archontis* nomine vocabatur, ut perspicue Suidas, Hesychius, aliique testantur, ut ille proinde interdum Epistata, interdum etiam Archon appellari potuerit. Sed quis aperte non videat argumentum illud ex Lexicographis desumptum prorsus inutile, ac infirmum esse? Certe, si verbis illis aut ulla vis, aut robur aliquod inesse posset, Epistata ipse non Archon modo, sed etiam ἡγεμων, προστάτης, βασιλεὺς, δεσπότης, δυνάστης, μονάρχης, *dux*, *praeses*, *rex*, *dominus*, *monarcha* vocari posset; quandoquidem Pollux (1) varias sensus exponens, quibus ἄρχοντος *Archontis* nomen adhiberi subinde potest, haec omnia nomina fuse, ac promiscue cum aliis pluribus commemorat. Itaque, ne in re perspectissima diutius immorer, in locis illis vox Ἀρχὴ, vel Ἄρχων *magistratus* in tota sua amplitudine, vel extensione ita sumitur ut *magistratus* aliquis, *imperium*; *praefectura*, quae-

(1) Lib. VIII. c. 8. seg. 84.

quaecumque illa fuerit, exprimatur: quo certe ſenſu etiam *Epiſtata* eodem *Archontis* nomine vocandus erit. At ubi communis, indifferens, & ambigua vox illa ad Novemviros ſolum, & arctius adhuc κατ' ἐξοχὴν illorum primum, ſive Archontem Eponymum deſignandum Athenis uſurpata iam fuit, illa magiſtratibus aliis exprimendis in Pſephiſmatibus adhiberi non poterat, qui proprio, diſtinctoque nomine deſignari conſueverant; alioquin maxima exinde rerum, hiſtoriarumque obſcuritas, atque perplexitas oriretur.

VI. Id optime profecto noverat Dodvellus ipſe, qui cum unum idemque *Archontis* nomen tum Eponymo, ſive Novemvirorum primo, tum Prytaniarum Epiſtatae conceſſum eſſe contenderet, haec duo tamen *Archontum* genera aliquo diſcrimine, vel charactere diſtinguenda fore putavit; quod nimirum *in rebus Senatus Archon anni intelligendus ſit; in rebus vero Populi Archon alius non anni, ſed Prytaniae Eponymus neutiquam ad Faſtos referendus*. Sed haec ipſa tamen *Archontum* diſcrimina clarioribus argumentis aliis, neque levi ſolum coniectura, oſtendere debebat Dodvellus; & quemadmodum res in Senatu geſtas Archontis annui nomine inſigniri conſueviſſe concedit; ita quoque perſpicuis rationibus, & exemplis etiam oſtendere debuiſſet, quod *Epiſtates* ipſe *res in Eccleſiis geſtas ſuo magiſtratu*, vel nomine *deſignarit*. Mihi certe vetera Senatus, Populique decreta diligentius excutienti nullum diſcrimen eiuſmodi reperire licuit, quod a Dodvello nobis proponitur; quin potius eadem illa Decreta, quae a Dodvello proferuntur, perinde quaſi Epiſtatae nomen praefixum gererent, non *Eccleſiae*, Populique ſolum, ſed *Senatus* etiam Pſephiſmata fuiſſe video; ſicuti viciſſim plurima quae annui Archontis nomen praeſeferunt, non ad *Senatum* ſolum, ſed ad *Eccleſiam* quoque, ſeu Populum referri debent. Sic, ut a primis exordiar, in Demoſthene legitur [1] Ἄρχων Δημόνικος Φλυεὺς, γνώμη βȣλῆς, κ̀ δήμȣ.. δοκεῖ τῇ βȣλῇ, κ̀ τῷ δήμῳ ϛεφανῶσαι Ναυσικλέα ec. Ἐπι Ἄρχοντος Εὐθυκλέȣς.. δεδόχθαι τῇ βȣλῇ κ̀ τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ec. Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἡροπίθȣ.. βȣλῆς, κ̀ Στρατηγῶν γνώμη ec. Ἐπὶ Ἄρχοντος Ηροπιθȣ, Πολεμάρχȣ γνώμη δεδόχθαι τῇ βȣλῇ, κ̀ τῷ δήμῳ ec. Ἐπὶ Νικοκλεȣς Ἄρχοντος βȣλῆς γνώμη Πρυτάνεις, κ̀ Στρατηγοὶ ἐχρημάτισαν ec. Ἐπὶ Μνησιφίλȣ Ἄρχοντος συγκλήτȣ

(1) Vid. Diſſert. VIII.

ἐκκλησίας ὑπὸ Στρατηγῶν γενομένης, κ̀ Πρυτάνεων, κ̀ βȣλῆς γνώμῃ. *Archon Demonicus Phlyeus, ex Senatus, Populique ſententia ... placuit Senatui, Populoque coronari Nauſiclem ... Archonte Euthycle .. viſum eſt Senatui, Populoque Athenienſium ... Archonte Heropithe, de Senatus, Bellique Praefectorum ſententia ... Archonte Heropithe, de Polemarchi ſententia, placuit Senatui, Populoque ... Nicocle Archonte, de Senatus ſententia, Phytanes, & Strategi retulerunt ... Mneſiphilo Archonte, Concione a Strategis extra ordinem convocata, & de Prytanum, ac Senatus ſententia*. Denique, ut exemplis aliis abſtineam, Ἐπὶ Ἄρχοντος Μνησιφίλȣ .. δεδόχθαι τῇ βȣλῇ, κ̀ τῷ δήμῳ πρεσβεῖς ἑλέσθαι *Archonte Mneſiphilo .. placuit Senatui, Populoque legatos eligi*. Quo certe loco obſervari velim quod quamvis hic Senatus, ſimulque Populus exprimatur, Aeſchines tamen Decretum illud a *Senatu* factum eſſe teſtatur cum ait κ̀ τȣ́τȣ τὴν βȣλὴν μάρτυρα ὑμῖν παρέξομαι. ἔςι γὰρ αὐτῆς ψήφισμα, ὃ κελεύει ἀπιέναι τȣ̀ς πρεσβεῖς [1]: *atque huius rei vobis teſtem Senatum proferam; eſt enim* Senatus *ipſius Decretum, quod iubet abire Legatos*. Quemadmodum etiam Decreta ſingula, in quibus de ineunda pace, inſtituendo bello, Legatis eligendis, aliiſve gravioribus rebus decernebatur, non ad Populum ſolum, eiuſque Eccleſias, ſed ad Senatum potius ſpectare debebant; ideoque Archontes illi, quorum nomen Decretis ipſis praefigitur, non Prytaniarum Epiſtatae; ſed Eponymi, annuique Archontes ex Dodvelli hypotheſi cenſendi forent. Contra vero in Decretis illis, quae Archonte *Agathocle*, & *Arrhenide* facta ſunt, quaeque ſuperiori Diſſertatione iam protuli, non Senatus, ſed Eccleſia ſolum, ac Prytaniarum Proedri nominantur; ideoque ex Dodvelli hypotheſi *Agathocles* ille non anni Eponymus, ſed Prytaniae ſolum Epiſtata cenſendus eſſet: cum tamen Dodvellus Agatoclem anno 2. Olympiadis CLXXXIII. Archontem anni Eponymum fuiſſe dicat; additoque Agathoclis huius nomine ſe annuorum Archontum Faſtos ſuppleviſſe glorietur: quamvis ante Dodvellum ipſum Meurſius quoque Agathoclem iſtum inter Archontes Eponymos, non explorata tamen ipſius aetate, recenſuiſſet. Itaque diſcrimen illud, quod a Dodvello hic aſſeritur, ex iisdem Decretis, quibus Dodvellus innititur, ſatis aperte refelli poteſt. Illuſtrius tamen Dodvelli ſen-

(1) De Falſa Leg. Pag. 259.

ſententia revinci poterit, ſi conſtans illa Athenienſis Reipublicae, forique forma conſulatur, quam ſuperiori Diſſertatione fuſius expoſui; ſimulque obſervetur Pſephiſmata non a Senatu ſolo, ſed ex Senatus, unaque Populi ſententia fieri conſueviſſe; ut immerito proinde Dodvellus Pſephiſmata quaedam fuiſſe dixerit, quae ab Eccleſia, Populoque fierent, atque iis non Archontis, Eponymi, ſed Epiſtatae nomen inſcriberetur: perinde quaſi Eponymus etiam Archon Eccleſiis adeſſe, ipſiſque praeſidere non ſoleret.

VII. At Eponymi, inquit Dodvellus, annuique Archontes eſſe non poterunt Archontes illi, qui in Decretis a Demoſthene nominantur, cum annis illis Archontum Faſti pleni ſint, ergo non alii quam Prytaniarum Epiſtatae eſſe potuerunt. An Archontes Eponymi ſint habendi, mox opportunius inquiram. Quicumque tamen illi fuerint, immerito prorſus, atque inconſulto, ut opinor, hic a Dodvello concluditur illos Prytaniarum Epiſtatas eſſe oportere, cum perſpicuis argumentis aliis facile oſtendi poſſit Pſeudeponymos Archontes illos Prytaniarum Epiſtatas eſſe non poſſe. Certe Prytaniarum Epiſtata, ut ſuperiori Diſſertatione demonſtravi, ac Dodvellus ipſe fatetur, unico ſolum die imperabat; cautumque legibus fuerat, ne idem bis Epiſtata eligeretur. At in Decretis illis, quae ſuperius attulimus, *Heropithes* die 25. Elaphebolionis, iterumque die 30. Munichionis *Archon*, vel ex Dodvelli hypotheſi *Epiſtata* fuiſſe dicitur; ideoque non modo bis in eodem anno; ſed, quod longe abſurdius eſt, in variis omnino menſibus, ac Prytaniis imperaſſet. Ita *Mneſiphilus* Hecatombaeonis 30. & Memactaerionis 21. ſive potius, ut reſcribendum eſſe iam monui (1), Elaphebolionis 22. & Scirrophorionis 27. memoratur: ſiquidem proclivem, longeque veriſimillimum cenſeri debet unum eundemque fore *Heropithem*, vel *Mneſiphilum*, qui in Decretis illis nominatur. Quid vero quod *Mneſithides* ille, qui in alio Decreto *Archon* fuiſſe dicitur, non alius profecto fuiſſe videtur a *Mneſithide Phreario*, qui ibidem a Demoſthene (2) memoratur? Si unus autem, idemque fuerit Mneſithides, ille Leontidis Tribus eſſe debuit, ideoque Prytaniae Epiſtata eſſe non poterat 16. Antheſterionis die, quo iuxta Dodvelli hypotheſim non Leontis ipſa, ſed

 Aca-

(1) Diſſert. III. Num. . . (2) De Corona Pag. 340.

Acamantis Tribus Prytaniae munere fungebatur. Verum, ne dubiis solum, obscurisque locis hic uti videar, certius adhuc, atque illustrius argumentum aliud ex ipso Demosthene attulisse iuverit, quod certe miror hic a Dodvello minime observatum esse, dum Oratoris eiusdem verba diligenter, accurateque nobis exponeret. Demosthenes ergo inter alia Decreta hoc etiam exhibet: Ἄρχων Δημόνικος Φλιεὺς Βοηδρομιῶνος ἕκτη μετ' εἰκάδα *Archon Demonicus Phlyeus*, *sextadecima Boedromionis* die; Demonicus autem iste, si Phlyeus erat, ad Cecropidem Tribum spectare debuit; sin vero Phylarius, ad Oeneidem; ideoque 16. Boedromionis die Prytaniae Epistata esse non poterat, cum a 13. Boedromionis ad 19. Maemactaerionis diem non Oeneis, aut Cecropis, sed Hippothoontis Tribus Prytaniae munere fungeretur. Itaque secum ipse Dodvellus mirifice pugnare debet; cumque Prytaniarum seriem omnino fixam, constantem, atque invariabilem esse opinetur; & Pseudeponymos tamen Archontes illos non aliud esse arbitretur, quam Prytaniarum Epistatas, denique unum solum *Epistatum* genus agnoscat, qui ex Tribu πρυτανευούσῃ vel *praesidente* eligeretur, aliquando tamen Archontem illum, seu Prytaniae Epistatam admittere cogatur, qui ad Tribum ipsam πρυτανεύουσαν *Prytaniae munere fungentem* referri minime possit.

VIII. Sed quamvis etiam Prytaniarum series omnino fortuita, ac incerta supponatur, ut perspicuis alibi, certisque argumentis contra Dodvellum ostendi [1], absurdum tamen, atque incredibile censeri debet, quod Prytaniarum Epistata *Archontis* aliquando nomen obtinuerit, suoque nomine aut Populi, aut Senatus Decreta insigniverit. Ut enim superiora argumenta praeteream, *Archontis* nomen non alia certe de causa Decretis ipsis inscribi consueverat, quam ut perspicuum foret, certumque tempus, quo Psephismata prodierant; id quod omnium maxime observare poterat Dodvellus ipse, qui Prytaniarum seriem ideo constantem, ac invariabilem esse oportere putavit, ut expresso Prytaniae numero, aut Tribus nomine, mensis etiam constaret, quo Decreta sancita fuerant. Verum, si *Archontis* nomine Prytaniae Epistata intelligi debeat, quaenam perspicua temporis nota, certusque vel anni, vel mensis character haberi inde poterit? Certe quolibet anno

(1) Differt. IV. Num. 16. 17.

no saltem 354. Prytaniarum Epistatae eligebantur, neque Epistatae ipsi pauciores in anno esse poterant, quam 354. cum illorum quilibet unico solum die praeesse posset. Itaque, si ex apposito Epistatae nomine Decreti tempus explorandum, definiendumque sit, singulis annis 354. Epistatarum ratio habenda erit, simulque inquirendum quonam die illorum quilibet sortis arbitrio electus imperaverit, ut certo constitui, cognoscique possit, quo die lex aliqua lata fuerit; cumque Prytaniarum series, aut ordo, quo Tribus ipsae imperabant, incertus omnino fuerit, ut variis annis vario loco imperaverint; atque Epistata ille, qui hoc anno certa quadam die suo munere perfunctus fuerat, sequentibus etiam annis eodem Epistatae munere, sed alia prorsus die, perfungi potuerit, quis aperte non videat, quod ex eiusmodi Epistatae nomine verum Decreti tempus aliter exsculpi non poterat, quam si Epistatarum omnium, qui singulis annorum omnium diebus imperaverint, accurata series inspiciatur: quod ab accuratioribus etiam Athenarum civibus vix fieri potuisse Dodvellus ipse concedat. Sic, ut exemplis etiam id clarius fiat, *Mnesithides* Archon fuisse dicitur 16. Anthesterionis die; *Demonicus* 16. Boedromionis; *Euthycles* 22. Pyanepsionis cum Oeneis etiam Tribus Prytaniae munere fungeretur; atque sub Archontibus illis leges quaedam editae memorantur. Ergo, si Archontes illi non alii fuerint, quam Epistatae, qui diebus illis praefuerint, quis divinare unquam possit, quo saltem anno Archontes illi imperaverint, aut lex illa edita fuerit, nisi fortasse prolixam tot millium Epistatarum seriem inspexerit? Ita Decretum quoddam sub *Chaeronida* factum citat Aeschines [1]; Aeschinem sub *Nicia* accuratum scribit Demosthenes [2], Hyperidem Archonte *Xenia* damnatum dicit Plutarchus [3], ut Archontum illorum nominibus veluti perspicua, facilique temporis nota rerum gestarum seriem, ac tempora designent: quis vero mihi non mensem dixerim, aut diem (quod scire minime intererat, ideoque facile a Scriptoribus illis omitti poterat) sed annum ipsum definiat, si Archontes illi, quos Pseudeponymos esse conspicimus, Prytaniarum Epistatae haberi debeant? Ergo praecipua temporis nota, & character ille, qui facilius ab omnibus cognosci poterat, ex publicis monimen-

(1) Contra Ctesiph. (2) De Corona Pag. 332. (3) X. Rhet. in Hyper.

nimentis illis excideret, si *Archontis* nomen Decretis ipsis inscriptum solos Prytaniarum Epistatas designaret. Quod si Psephismata Eponymorum, annuorumque Archontum nominibus insigniri consueverant, ut diserte scribit Plutarchus [1], tunc ex nominibus ipsis legum, rerumque gestarum tempora cognosci, vel definiri facile poterunt; cum Archontes illi pauciores numero forent, unico solum anno imperarent, illorumque series, aut Fasti civium omnium oculis observarentur. Ac Dodvellus quidem Plutarchum hac in parte deceptum esse putavit quod Eponymorum Archontum nominibus Populi, vel Ecclesiarum Decreta insigniri consuevisse dixerit; sed facile tamen Dodvellus ipse reprehendi poterit: quippe qui doctissimum virum, Graecarumque rerum cognitione maxime illustrem non perspicuis certe, gravioribusque argumentis ullis innixus, sed levissima solum coniectura abreptus corrigendum putaverit. Ut enim argumenta cetera omittam, quae variis in locis attuli, eadem illa Decreta, quae a Plutarcho, & a Dodvello quoque proferuntur, perspicue ostendunt Epistatae nomen Decretis ipsis praescribi non consuevisse, adeoque *Archontis* nomine, quod in Decretis aliis praescribitur, Prytaniae Epistatam designari non posse. Ita Plutarchus Decretum exhibet, quo Antiphon Rhamnusius proditionis reus damnatus fuit: Ἔδοξε τῇ βȣλῇ, μιᾷ ϗ εἰκοςῇ Πρυτανείας. Δημόνικος Ἀλωπεκῆθεν ἐγραμμάτευε, Φιλόςρατος Παλληνεὺς ἐπιςάτει. *Visum est Senatui, vigesima prima Prytaniae* die. *Demonicus Alopecensis scriba fuit, Philostratus Palleneus Epistatae munere fungebatur*. Ita quoque in Decretis aliis, quae ex Thucydide, atque Andocide in Dissertatione VI. iam protuli, Tribus praesidentis, mox eiusdem scribae, tandemque Epistatae nomen adscribitur: quod argumento certe esse poterit Epistatae nomen Decretis ipsis praescribi non consuevisse; ipsumque non *Archontis*, sed proprio solum *Epistatae* nomine insigniri. Denique illustre Decretum aliud, quod ex Iosepho Dodvellus attulit, atque in superiori Dissertatione conspicitur, diserte dicitur Ἐπὶ Ἀγαθοκλέȣς Ἄρχοντος. Εὐκλῆς Μενάνδρȣ Ἁλιμȣ́σιος ἐγραμμάτευε.., ἐπεψήφισεν Δωρόθεος Ἀρχιερεὺς, sive ut legendum monui Ἐρχιεὺς, ϗ οἱ συμπροέδροι τῷ δήμῳ. *Agathocle Archonte. Eucles Menandri Halimusius scriba fuit... Dorotheus Erchiensis, Collegaeque Proedri*

(1) In Demetr.

dri Populo retulerunt. Dodvellus hic asserit Dorotheum illum Prytaniae Epistatam fuisse, ideoque merito dici quod ipse ἐπεψήφισε, sive *post Populi iam commissa suffragia* Decretum ratum fecit; siquidem Decretum illud ad Ecclesiam, aut Populum, non ad Senatum unum referri debet; sed altera tamen ex parte contendit Agothoclem Archontem anni, rerumque Eponymum esse oportere. Ergo Dodvellus ipse sibi non constat; tantumque abest ut exemplis, quae protulit, Plutarchi sententia refelli possit, ut ipsis potius mirifice confirmetur, nitideque ostendatur etiam Populi Decretis non Epistatae, sed Eponymi solum Archontis nomen praescribi consuevisse.

IX. Nec multo sane felicior, & accuratior Dodvellus ipse videri poterit ubi Diphilum, aliosque *Servatorum Sacerdotes* in Antigoni, Demetriique honorem Athenis institutos non alios fuisse putat, quam Prytaniarum Epistatas, quos ille *Archontis* etiam nomine decoratos esse iam dixerat. Certe, si haec Dodvelli sententia aliquam veri speciem praeseferret, singulis annis 354. *Servatorum Sacerdotes* Athenis eligi debuissent; ideoque Athenienses ipsi desultorium, ut ita dixerim, Sacerdotii genus in Deorum illorum honorem instituissent, quod ab infimae quoque conditionis hominibus obtineri potuisset; cum Cives omnes, quicumque illi fuerant, *Prytanes*, *Proedri*, ideoque *Epistatae* esse potuerint. At id Regum dignitas, & ipsa quoque Atheniensium assentatio ferre non poterat, qui Reges illos & *Servatores*, & *Deos* vocarunt; publicaque lege sanxerunt, ut quidquid illis placeret id apud homines ius, & apud Deos fas esse deberet [1]. Itaque potius nova illa Sacerdotum dignitas Athenis omnium suprema esse debuit; cum praesertim in dignitatis illius, vel magistratus locum succederet, qui ceteros omnes imperio, & honore superavit; nec alia certe de caussa veteres Archontes Eponymi tunc abrogati videntur esse, nisi quod Sacerdotes ipsi Servatorum tunc instituti eadem prorsus munera obire, eundemque locum occupare consueverint, qui ab Eponymis olim Archontibus obtinebatur. Atque hinc ego factum putaverim, ut Sacerdotes illi a Diodoro, Dionysio, aliisque pluribus *Archontis* nomine sint appellati, illorumque nomina in annuorum, simul-

(1) Plut. in Demetr.

mulque Eponymorum Archontum Fastos relata fuerint: quod fieri certe non poterat si solum Prytaniarum Epistatae, ideoque non anni, sed unius solum diei Archontes haberi debeant; cum Dodvellus ipse iam dixerit Archontes istos, vel Prytaniarum Epistatas frustra in Archontum Eponymorum Fastis inquiri; quippequi non integro anni spatio, sed unica solum die imperaverint.

X. Ubi vero Dodvellus ipse opinatur Prytaniarum Epistatis fortasse concessum esse, ut qui primo anni die praesederit, is Eponymus etiam totius anni Archon fuerit, doctissimi Viri pace ego dixerim, universam ille Reipublicae Atheniensis formam, civium ordines, Archontum munera hic ignorasse, vel perturbasse videtur. Siquidem Archontis munera non Prytanis, aut civium quilibet obire poterat, sed ut Archon aliquis eligeretur, & amplior census, & alia plurima requirebantur, quae Meursius, aliique commemorant; cum tamen Prytanis, Proedri, ac Epistatae munere civium quilibet perfungi posset. Deinde vero, si Dodvelli hypothesis admitteretur, aequabilis illa, planeque libera Reipublicae forma funditus everteretur, quam semper olim Athenis floruisse didicimus, ut Tribus omnes aequali prorsus iure, & honore fruerentur, atque Archontes omnes Eponymi semper ex una eademque Tribu, quae nimirum in Prytaniarum serie, quam semper ille fixam, constantem, atque invariabilem esse putavit, primum locum occupasset. Itaque Eponymi Archontes omnes ex *Pandionide* Tribu fuissent; quandoquidem illa, in Dodvelli hypothesi, primo semper loco imperabat, vel omnium prima civilis anni principio, vel Hecatombaeone mense Prytaniae munere fungebatur; quod tamen ab ipsa veri specie, atque innumeris veterum testimoniis mirifice abhorret, in quibus Archontum plurimi memorantur, qui non ad Pandionidem ipsam, sed ad alias omnino Tribus spectaverint. Denique Archontes ipsi, si Prytaniarum Epistatae esse possent, & Epistata ille, qui primo anni die imperaverat, anni totius Eponymus haberi posset, non ab universo Populo, atque solemnibus Comitiis electi illi forent; sed, Proedrorum, ac Epistatarum instar, a contribulibus solum eligi debuissent: quod perspicuis tamen Pollucis, Plutarchi, aliorum testimoniis repugnat.

XI.

XI. Quemadmodum vero mihi ex perspicuis illis Veterum testimoniis proclive fuerat universam hanc Dodvelli hypothesim refellere, ita proclive nunc foret veram aliquam, certamque sententiam de Pseudeponymis Archontibus constituere; & sicuti variis rationibus, & exemplis etiam ostendi quod Prytaniarum Epistatae *Archontes* esse, vel appellari non poterant, ita quoque perspicue demonstrare nunc possem quid in variis Decretis illis *Archontum* nomine intelligatur! Ingenue tamen profiteor nihil hac in parte mihi Veteres Scriptores omnes excutienti occurrisse, quod in hac controversia dirimenda aut facem praeferre, aut aliquo praesidio esse posset; ut coniecturis proinde solum indulgere debuerim; ac coniecturae loco haberi nunc velim quae de Pseudeponymis eiusmodi Archontibus excogitavi. Itaque primum existimo Pseudeponymos Archontes istos & *annuos* fuisse, atque ex *Novemviris* illis, sive 9. Archontibus habendos esse, qui quotannis Athenis eligi consueverant. Ac primo quidem quod *annui* illi fuerint, unico nimirum, integroque anni spatio imperaverint, satis, ut opinor, ostendit, quod illorum nomina Decretis adscripta fuerint. Siquidem Archontis nomen Decretis, publicisque monimentis praefixum certa quaedam temporis nota, sive character haberi debet; ut nitide ab omnibus agnosci posset quo tempore lex edita, sive Decretum factum fuerit. Quemadmodum ergo mensis dies, vel mensis ipse perspicue exprimebatur, atque interdum etiam Prytaniae Scriba, Prytaniae numerus, Tribus πρυτανεύουσα *Prytaniae munere fungens*, ac Prytaniae dies enunciabatur, ita quoque character alius, & quidem omnium maxime necessarius, memoratuque facilior requirebatur, quo annus etiam intelligi, vel designari posset. Eiusmodi vero character, aut anni nota alius esse non poterat, quam *Archontis* nomen Decretis ipsis adscriptum; ideoque Archon ille, qui Decretis inscribebatur, *annuus* esse debebat. Id mirifice sane confirmat constans illa consuetudo, qua in Historia, Decretis aliis, aut legum latarum temporibus designandis annui, simulque Eponymi Archontis nomine, veluti perspicuo, certoque charactere, annus ille designabatur, quo res contigisset, cum annus quilibet sui Archontis nomine distingui, vel designari soleret: ἐστὶν ὢν ὁ τὴν ἐπώνυμον ἄρχων ἀρ-

χὴν, ἀφ' ὗ καὶ ἐνιαυτὸς ἐμετρεῖτο (1) *est igitur Eponymus Archon, a quo annus numeratur*. Itaque Archon ille, quicumque demum is fuerit, cuius nomen Decretis praefixum conspicitur, annuus censendus erit: ne immane discrimen illud a Dodvello propositum admitti debeat, ut nimirum res quidem in *Senatu* gestas annui Archontis nomine, veluti perspicua temporis nota ad amoliendas fraudes excogitata, signatas putemus; res vero in *Ecclesiis*, Populique conventibus, quae longe plures, graviores, pluribusque fraudibus obnoxiae esse poterant, non annui, non menstrui, sed diurni solum Archontis nomine designatas existimemus.

XII. Quod vero Archontes illi ex *Novemviris* fuerint, hoc est ex 9. illorum numero, qui singulis annis Athenis eligebantur, ac proprie, rigoroseque *Archontum* nomine designari consueverant, perspicue, nisi fallor, ex ipso quoque *Archontis* nomine inferri poterit; quod quamvis indifferens, vagum, commune foret, ac magistratibus omnibus exprimendis adhiberetur, sive singula magistratuum, vel praefectorum genera complecti posset, solis tamen Novemviris, qui supremo Athenis imperio, vel munere fungebantur, concedi consueverat; cum *Prytanes*, *Proedri*, *Epistatae*, *Strategi*, & aliorum Magistratuum quilibet proprio, distinctoque nomine appellaretur: ut ex Polluce, Suida, aliisque plurimis erudimur. Certe Dodvellus, qui ipsos etiam Prytaniarum Epistatas *Archontis* aliquando nomine decoratos esse putavit, id aliquo Veterum testimonio probasse debuerat, ne Atheniensium Magistratuum discrimina mirifice perturbaret, plurimamque Historiae Graecae caliginem affundere videretur: cum tamen Hesychii, aliorumque Scriptorum verba, quae Dodvellus ipse commemorat, aut nihil probent, aut appositum potius ostendere videantur: quemadmodum fere Scriptor ille, qui Argumentum in Orationem *contra Androtionem* conscripsit, ubi de Epistata loquens ait ἕκαστος δὲ ἄρχων ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκαλεῖτο Ἐπιστάτης *quilibet autem unius diei imperium obtinens vocabatur Epistata*, tantum abest ut *Archontis* nomine Epistatam appellatum esse putaverit, ut proprium potius, ac peculiare nomen expresserit, quo Proedrus ille designari consueverat, qui unica solum die Proedris aliis contribulibus, vel universae Prytaniae praesidebat: quod aequa-

(1) Etymol. Mag. in Ἄρχων.

aequali profecto iure de Hesychii quoque, aliorumque testimonio intelligitur, quos a Dodvello citatos esse conspicimus. Ac mirari certe quis poterit cur doctissimus Meursius superiora Scholiastae verba de veris Archontibus, sive Novemviris intelligenda fore crediderit, cum *in Cecropia* c. 6. sic ait: *Portarum ipsarum claves Archontes singuli singulis diebus tantum, ne tyrannidem affectare unquam possent, asservabant; quoque eas die habebant*, Ἐπιστάται *Epistatae dicebantur. Scholiastes Demosthenis in Argum. Orat. in Androt.* ἕκαστος δὲ ἄρχων ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκαλεῖτο Ἐπιστάτης. *Unusquisque Archon uno die Epistates dicebatur*. Perspicua siquidem Pollucis, Scholiastae ipsius, aliorumque Scriptorum omnium verba nitide nobis ostendunt, quod Epistates ille, qui Arcis, sive Cecropiae claves conservabat, non ex Novemviris, sed ex Prytanibus, sive ex X. Prytaniae Proedris eligebatur; ut proinde ἄρχοντος *Archontis* voce non ex Novemviris unus, sed Proedrus hic solum intelligatur. Haec, aliaque id genus plurima, satis, ut arbitror, argumento esse poterunt, quod Pseudeponymi Archontes illi, qui Psephismatis inscribuntur, vere & *Archontes*, & *annui* solum, & ex Novemviris esse debent: ut proinde illud unum hic inquirendum supersit an Archon ille Decretis inscriptus non inter Novemviros solum enumerandus; sed etiam inter illos aliquando Eponymus esse potuerit, an vero potius solum ex Novemviris unus ab Eponymo tamen distinctus haberi debeat.

XIII. Atque initio quidem controversiae eiusmodi dirimendae, solvendoque nodo plurimus mihi splendor affulsisse videbatur ex pulcherrimo Harpocrationis loco, quem totidem fere verbis ab Etymologo quoque, & Suida expressum conspexeram. Siquidem Harpocration in voce Ἐπιλαχὼν cum Aeschines testimonium protulisset, quo is Demostheni obiecerat ipsum temere, doloque malo *Senatoris* aliquando munere perfunctum esse, cum neque λαχὼν, neque ἐπιλαχὼν fuisset, hoc est *neque prima, neque secunda sortitione* Senator *electus esset*, posterioris vocis huius significationem exponens ait. Ἐπιλαχων. Αἰσχίνης κατα Κτησιφῶντος: οὔτε λαχὼν, οὔτε επιλαχὼν, ἀλλ' ἐκ παρασκευῆς πριάμενος. Ἔοικε τὸ γιγνόμενον τοιοῦτον εἶναι. ἐκληροῦντο οἱ βουλεύειν, ἢ ἄρχειν ἐφιέμενοι. ἔπειτα ἑκάστῳ τῶν λαχοντων ἕτερος ἐπελάγχανεν, ἵν' ἐὰν ὁ πρῶτος λαχων ἀποδοκιμασθῇ, ἢ τελευτήσῃ, ἀντ' ἐκείνου γενηται βουλευτης, ἢ ἄρχων ὁ ἐπιλαχὼν αὐτῷ. ὑποφαίνεται δὲ τοῦ-

ταῦτα ἐν τῷ Πλάτωνος Ὑπερβόλῳ. *Aeschines adversus Ctesiphontem: neque sortitione, neque subsortitione electus* Senator, *sed ex condicto, pretioque factus. Id vero hac ratione factum videtur. Sortito eligebantur illi, qui Senatores, vel Magistratus erant futuri: deinde cuilibet ex istis, qui sortito electi iam fuerant, alius secunda sortitione sufficiebatur; ut si prima sortitione electus repulsam ferret, aut moreretur, in ipsius locum Senator, vel Magistratus is fieret, qui in subsortitione ipsi suffectus fuerat. Haec in Platonis Hyperbolo subindicantur.* Longe tamen illustrius hunc ipsum *sortitionis*, ac *subsortitionis* usum, simulque exemplum, quo veteres Magistratus in ordinem redigi consueverant, ex Demosthene deprehendi; cuius testimonium ex Oratione *adversus Theocrinem* attulisse iuverit. Ἀδελφὸς αὐτῦ Θεοκρίνυ Θεσμοθετῶν, καὶ τύτῳ χρώμενος συμβύλῳ, τοιῦτος ἔδοξε παρ' ὑμῖν ἄνθρωπος εἶναι, ὥστε ὐ μόνον αὐτὸς ἀπεχειροτονήθη τῶν ἐπιχειροτονιῶν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀρχὴν ἅπασαν ἐποίησε. καὶ εἰ μὴ δεομένον αὐτῶν ἱκετευόντων ἐπείσθηθ' ὑμεῖς καὶ πάλιν ἀπέδοτε τὺς στεφάνυς αὐτοῖς, πάντων ἂν αἴσχιστα οἱ συνάρχοντες ἐπεπόνθεισαν . . . πάντες γὰρ ἴστε τὺς ἐπὶ Λυκίσκυ Ἄρχοντος Θεσμοθέτας ἀποχειροτονηθ'ντας ἐν τῷ δήμῳ διὰ τῦτον. *Frater eius Theocrinis, cum esset Thesmotheta, cumque istius consilio uteretur, talis apud vos homo visus est, ut non ipse solum repulsam tulerit, sed & universum Collegium in eandem calamitatem coniecerit. Qui nisi orassent, & supplicassent, vosque coronas eis restituissetis, Collegae eius summa ignominia essent affecti . . . scitis enim omnes Thesmothetas, qui Lycisco Archonte fuerunt, propter istum fuisse reprobatos.* Denique Orator ipse de Theocrine, qui in defuncti fratris locum irrepserat, ait: καὶ τὴν ἀρχὴν ἣν ἐκεῖνος ἄρχων ἐτελεύτησεν ἱεροποιὸς ὢν παρὰ τὺς νόμυς ἦρχεν ὗτος ὔτε λαχὼν, ὔτε ἐπιλαχὼν: *ac magistratum, quo ille fungens, sacrificus autem fuerat, occubuit, contra leges iste gessit, neque sortitione facta, neque subsortitione.* Itaque ex perspicuis testimoniis, & exemplis istis controversiam omnem de Pseudeponymis Archontibus feliciter, atque accurate dirimi iam posse gratulabar; & Pseudeponymos Archontes illos, qui variis in locis a Demosthene memorantur, neque tamen in Fastis occurrunt, non alios esse opinabar, quam Eponymos Archontes illos, qui ἐπιλαχόντες, sive *secunda sortitione electi*, Archonti Eponymo vel defuncto, vel abrogato *suffecti* forent.

At-

Atque ex Polluce [1], aliisque etiam pluribus perspicue iam noveram, quod Athenis in κυρίᾳ, sive *legitima* stataque Concione, quae singulis mensibus haberi consueverat, ita Archontum *probatio*, sive δοκιμασία instituebatur, ut Populus ab Archontibus interrogaretur εἰ δοκεῖ καλῶς ἄρχειν ἕκαστος; *num videretur quilibet recte Magistratum gerere?* ideoque nihil facilius, depravatis praesertim Atheniensium moribus, fuisse videbatur quam ut Archontum aliquis veluti muneris inique gesti reus ab aliquo vel sycophanta, vel honesto etiam Cive, publicique boni studioso delatus, ideoque in ordinem redactus esset; ut illi proinde Archon alius iam ἐπιλαχὼν tanquam novus Eponymus tunc sufficeretur: ut ex altero Pollucis testimonio colligi posse videtur, qui diserte testatur quod Prytanes in Ecclesia κυρίᾳ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονοῦσι, εἴπερ καλῶς ἄρχουσιν, ἢ ἀποχειροτονοῦσιν [2]; *Magistratus confirmant, si recte se gerant*; sin vero, *deponunt* simulque, ut opinor, innuere videtur Archonte quodam sublato, Archontem alium suffectum esse, ne constans ille Archontum numerus, officiorumque varietas imminuto ipsorum numero mirifice perturbaretur. Plurima quoque exempla oculis obversabantur, in quibus apud Romanos non *ordinarii* solum, sed *suffecti* etiam Consules subinde occurrunt; idemque facilius in Atheniensi quoque Republica contigisse videbatur ubi Archontum omnium electio non civium suffragio, sed uni solum sortis arbitrio committebatur. Illud denique mirum maxime, atque incredibile videbatur, quod Archontes omnes Eponymi sui magistratus annum semper impleverint; nullusque omnino ex Eponymis sui magistratus tempore in ordinem redactus, aut defunctus etiam fuerit. Haec, aliaque id genus argumenta plurima me tunc impulerunt, ut Archontes illos, qui in variis quidem Scriptoribus *Archontis* nomine decorantur, neque tamen in Fastis occurrunt, ἐπιλαχόντας, Eponymis nimirum *suffectos* esse censerem.

XIV. At ubi Pseudeponymorum Archontum seriem mox contexendam suscepi, illorumque omnium aetatem accuratius exploravi, superior illa opinio, quae tantopere mihi arriserat, omnino falsa videri deinde caepit, atque Archontes illos, qui praesertim a Demosthene memorantur, Eponymis suffectos esse non potuisse nitide deprehendi. Siquidem ab illo non

(1) Lib. VIII. c. 9. sect. 87. (2) Lib. VIII. c. 9. s. 95. vid. Harp. in κυρία ἐκκλησία.

non duo ſolum, ſed quatuor etiam Archontes memorantur, qui uno prorſus, eodemque anno imperaverint; ut cum ex. gr. Lyſimachides anno 2. Oly. CX. in Faſtis Eponymus habeatur, eodem tamen anno *Euthycles* etiam, *Chaerondas*, & *Heropythes*, & *Nauſicles* tanquam Archontes Pſephiſmatis adſcribantur. Quis autem exiſtimet ex quatuor Archontibus illis unum alteri certo quodam ordine ſuffectum eſſe, ut Lyſimachide ſublato ſucceſſerit Euthycles, huic Heropythes, Heropythi denique Nauſicles? Quid vero quod Lyſimachides ille, qui anni principio imperaſſe debuit, atque in Eponymorum Faſtis occurrit, circa anni finem, poſt Euthyclem, iterum Decretis adſcribitur, atque poſt Heropythem etiam, & Nauſiclem ultimo anni menſe tanquam Eponymus in Faſtis occurrit? Ergo Lyſimachides Archon ille neque defunctus, neque reprobatus haberi poterit, ideoque nec etiam Euthycles, Chaerondas, Heropythus, & Nauſicles ipſi *ſuffecti* eſſe poterunt. Accuratior illa Archontum series ſequenti Diſſertatione oſtendetur, atque ex perſpicua temporum, rerumque geſtarum ſerie confirmabitur, ut dubitari certe non poſſit quin ſequentes Archontes omnes uno eodemque anno 2. Olymp. CX. imperaverint.

Lyſimachides in Faſtis.		
Euthycles	22.	Pyanepſ. Demoſth. a Cteſiphonte coronatur.
Chaerondas	6.	Elaph. Cteſiphon ab Aeſchine accuſatur.
Heropythes	25.	Elaph. de eligendis legatis decernitur.
	30.	Munich. Elatea capta legati eliguntur.
Nauſicles	16.	Scirroph. Demoſthenes Thebas mittitur.
Lyſimachides apud Dionyſ. Halicar. Epiſt. ad Amm.		

Quae cum ita ſint elegans illa, ac plane veriſimillima Eponymorum *ſuffectorum* hypotheſis, quae non perſpicuo ſolum Harpocrationis teſtimonio, ſed pluribus etiam coniecturis aliis confirmari poſſe videbatur, omnino incerta eſſe debet, vel Pſeudeponymis Archontibus omnibus explicandis par eſſe non poterit. Quamvis enim Archonti Eponymo ſublato vel defuncto ἐπιλαχὼν Archon alius *ſuffectus* eſſe potuerit, ut Harpocration quidem innuere videtur, ſed nitide tamen aut ex eius verbis inferri, aut ullo exemplo probari poſſe non dixerim, perſpicuum tamen exemplum illud ex Demoſthene ſuperius

perius expositum, aliaque id genus plura, quae apud Demosthenem ipsum occurrunt, manifeste nobis ostendunt quod Eponymo Archonte adhuc vivente, susceptoque iam munere Athenis adhuc fungente, Archon alius, quicumque demum is fuerit, habebatur, qui proprio nomine Decreta insigniret; ut alia proinde Pseudeponymorum eiusmodi Archontum caussa, & origo inquiri debeat.

XV. Haec ipsa vero non alia fortasse esse poterit, quam si Pseudeponymus Archon ille, qui Decretis inscribitur, unus ex Novemviris esse dicatur, *Rex* nimirum, aut *Polemarchus*, aut aliquis ex *Thesmothetis*. Suspicor enim, ac longe quoque verisimillimum existimo quod in Decretis ipsis Archontis illius, sive Novemviri nomen adscriberetur, qui tunc Ecclesiae, sive Senatui praeesset; ut si proinde Eponymus ipse tunc adesse, simulque Concioni praesidere potuerit, ipsius nomen Psephismati praefigeretur; sin vero Eponymo sive is λαχων, sive ἐπιλαχὼν *prima* nimirum, sive *secunda sortitione electus* fortasse fuerit, iam defuncto, vel abrogato, vel absente octo sequentium Archontum alius Concioni praefuerit, tunc non Eponymi, sed illius potius Archontis nomen, qui forte tunc praeerat, adscriberetur. Atque innuere id videntur in primis exempla plurima, sive Psephismata, quibus Epistatae nomen, ut superiori Dissertatione iam diximus, inscriptum conspicitur; cum tamen Epistata unico solum die non universae quidem Concioni, sed Prytaniae solum praeesse potuerit. Itaque, sicut Epistatae illius nomen adscribebatur, qui fortuito Concionis die praeerat, quamvis integro anni spatio 354. saltem Epistatae eligerentur, ita quoque longe facilius Archontis illius, sive Novemviri adscribi potuit, qui fortuito Concioni tunc praeerat, atque integro quoque anni spatio Archontis munere fungebatur. Ita quoque aliquando Scribae, aliquando Tribus πρυτανευέσης sive *Prytaniae munera obeuntis* nomen in Decretis ipsis exprimitur; quamvis unaquaeque Tribus, eiusque Scriba nonnisi 35 dierum spatio Prytaniae munere fungeretur: ergo longe facilius Novemviri, sive Archontis illius nomen Decretis adscribi potuit, qui quamvis Eponymus anni non foret, singulisque omnino Concionibus praeesse, Fastis denique scribi non posset; illi tamen Concioni praefuerat, simulque caeteris etiam omnibus adesse, integro demum anni spatio Ar-

chon-

chontis munere fungi debebat. Nec alio profecto sensu Decretum aliquod ἐπὶ Ἄρχοντος τοῦ δεῖνα, sive *sub Archonte quodam* factum dicetur, nisi quod illo praesidente, primumque locum occupante Concio habita, res Populo proposita, suffragiis commissa, probata, atque postremo decreta fuerit; quamvis ille nec Eponymus foret, nec in Eponymorum Archontum Fastis adscribi posset.

XVI. In tanta certe rerum obscuritate, veterumque Scriptorum silentio quid verisimilius a nobis coniici, vel afferri possit non video; cum praesertim & hypothesis illa, quae a Dodvello excogitata iam fuerat, & hypothesis etiam alia, quae mihi iampridem affulserat, incerta, vel falsa sit, aut Pseudeponymis certe singulis rite explicandis par esse nequeat. In hac vero hypothesi omnia perspicua sunt, sibique mirifice consentiunt. Siquidem Archon ille vere *Archon* fuerit, ideoque proprio, distincto, constantique magistratus sui nomine in Decretis illis appellari potuit. Annuus deinde esse debuit, hoc est integro anni spatio imperavit; ideoque cum 9. Archontum illorum nomina, qui certe quodam anno imperaverint, Atheniensium singulis facile perspecta forent, annus etiam ille, qui Archontis alicuius nomine designabatur, cum alio confundi non poterat: praesertim si Archontes omnes, antiquioribus saltem temporibus, peracto iam annuo magistratu in Areopagum cooptari solerent, ideoque iterum eodem Archontis munere perfungi non posse viderentur ut Dissertatione I. Num. 30. observavi. Intelligitur etiam cur Archontes illi a Demosthene memorati ad Tribum illam minime spectaverint, quae tunc temporis Prytaniae munere fungebatur, ut de Demonico Phlyasio, sive Phlyensi demonstravi: cur Heropythes, atque Mnesiphilus eodem anno variis Decretis, quae variis etiam diebus, aut mensibus edita memorantur, inscribi potuerint: cur uno eodemque anno non unus solum Eponymus ille, qui Fastis adscriptus conspicitur, sed alii plures *Archontis* nomine decorentur: quae certe singula in qualibet alia hypothesi, praesertim vero in Dodvelli sententia intelligi, vel explicari non possunt.

XVII. Ac nullus certe dubito quin Palmerius ipse, qui de Pseudeponymis Archontibus istis suspicionem omnium primus iniecit, opinionem hanc, quae mihi demum verisimilior,

at-

atque accuratior videtur, eligere, atque illustrare potuisset, & diligenter omnia conferre, atque explorare voluisset. Sed cum doctissimus Auctor illa haec obiter solum attigerit, mirari certe non possumus si non haerere modo, ac in re dubia versari, sed inconstans etiam esse videatur. Sic alicubi *suspicatur* Palmerius *in Decretis, quae citantur a Demosthene, non notari Archontem Eponymum, sed alium ex Thesmothetis* (1); alicubi vero dubitare se dicit *an nomina Eponymorum praefigi solerent Decretis eiusdem anni; an vero alterius Archontis nomen, qui praesidebat Ecclesiae, & suffragiis: erant enim Archontes novem numero: ideo ἐπέχω* (2): Siquidem, ut paullo superius exposui, ac Plutarchus ipse conceptis, disertisque verbis ostenderat, Eponymi Archontis nomen Decretis inscribi consueverat, non Thesmothetae, vel alterius etiam ex Novemviris: ut plurimum proinde fallantur ii, qui iuxta rerum varietatem, de quibus Decreta fieri contingeret, modo unius, modo alterius Archontis nomen Decretis ipsis adscribi putarunt, ut in bellicis nimirum *Polemarchi*, in sacris *Regis*, in legibus *Thesmothetae* nomen appingeretur (3). Certe in exemplis illis, quae sequenti Dissertatione proferentur, perspicue apparet de rebus omnino diversis eodem prorsus Archontis nomine Decreta insigniri, variisque Archontum nominibus Decreta omnino similia decorari. Itaque universe loquendo Eponymi Archontis nomen Decretis omnibus adiungebatur; alterius vero Archontis nomen fortuito solum, ac aliquando apponebatur, ubi nimirum Eponymus Archon ipse Ecclesiae praeesse, suoque nomine Decreta insignire non poterat.

XVIII. Quandoquidem vero publicis tum Populi, tum Senatus etiam Decretis aliquando Eponymi, aliquando vero Pseudeponymi Archontis nomen inscribi consuevisse iam diximus, id unum postremo tandem loco inquirendum superest quo charactere, sive discrimine distingui possit an Archon ille, qui in Decreti alicuius fronte conspicitur, *Eponymus*, ideoque ad Fastos referendus; an vero potius *Pseudeponymus* Archon haberi debeat. Quo certe loco ingenue fateor nullum omnino discrimen eiusmodi afferri posse nisi ex Scriptoribus

(1) Exerc. Pag. 135. ad Diodor. Sicul. (2) Pag. 625. ad Demosth. (3) Potter. Arch. Graeca Lib. I. c. 26.

aliis, praesertim vero ex Eponymorum Archontum Fastis splendor aliquis oriatur. Sic facile cognosci, vel definiri posse putaverim Archontem aliquem *Pseudeponymum* esse oportere si ex ipsa Decreti serie, temporisque nota perspicuum fiat, quod Archon ille imperavit, vel Decretum illud editum fuit eodem anno, quo Archon alius, veluti *Eponymus*, in Fastis occurrat: qua certe lege, vel charactere facile Palmerius agnoverat Archontes illos, qui a Demosthene memorantur, *Pseudeponymos* esse oportere. Eiusdem quoque principii lumine Archontes alios, qui a Meursio, Lydiatto, aliisque pluribus inter Eponymos memorantur, sequenti Dissertatione Pseudeponymos esse demonstrabo; simulque variis exemplis ostendam quod quamvis Pseudeponymi Archontes illi supplendis, augendisque Archontum Fastis conferre nequeant, maximo tamen praesidio esse poterunt ut Archontum Fasti vel corrigi, vel illustrari subinde possint. Id unum modo, veluti perspicuum, & constans Eponymi Archontis indicium addidisse iuverit, quod si Archontis alicuius nomen ab aliquo Scriptore exprimatur ut annus ipse designetur, quo res aliqua a Scriptore narrata contigerit, tunc Eponymi anni Archon habendus erit. Ubi nimirum Concio quaedam Populique conventus exprimitur, atque lex aliqua Populi suffragiis constituta describitur, fortasse Archon ille memoratur, qui fortuito, absente Eponymo, Concioni praefuerit: at ubi simpliciter Archontis solum nomen, veluti perspicua temporis, annique nota, memoratur, tunc Eponymus ille censeri debet; ut facile exemplis innumeris ostendi posset. Quod si fortasse variis in locis character etiam ille vel fallere, vel incertus esse videatur, tunc coniecturis solum agendum erit, & Archon ille, de quo dubitamus an inter Eponymos haberi debeat, recenseri ita poterit, ut nihil tamen temere definiatur, ut sequenti Dissertatione variis exemplis ostendam. Certe si Crateri liber, quo singula Atheniensium Psephismata accurate collegerat (1), adhuc extaret, certius & illustrius aliquid de *Eponymis*, ac *Pseudeponymis* etiam Archontibus, illorumque discrimine definiri a nobis posset; & Eponymorum Fasti longe uberiores, accuratioresque contexi. Sed liber ille prorsus interiit, eiusque so-

(1) Pollux Lib. VIII. c. 10. & Plutar. in Cimone.

ſolum mentio ab Harpocratione conſervata fuit, qui Craterum hunc in τετάρτῃ ac ἐννάτῃ ψηφισμάτων *quarto*, *ac nono Pſephiſmatum* libro laudavit; Hinc facile intelligi deprehendique poterit in tanta rerum obſcuritate, veterumque Scriptorum ſilentio, aut iactura nonniſi coniecturis agendum eſſe; nobiſque merito gratulandum ſi coniecturas & hypotheſes illas afferamus, quae niſi maximam veri ſpeciem praeſeferant, a perſpicuis tamen veterum teſtimoniis minime abhorreant.



DISSERTATIO VIII.

SYNOPSIS.

I. P*Seudeponymorum Archontum ſeries hactenus a nemine contexta fuit; quamvis Archontes aliquos non Eponymos eſſe Palmerius, ac Dodvellus optime exiſtimaverint.* II. *Haec Pſeudeponymorum Archontum ſeries, illorumque aetas rite conſtituita corrigendis Eponymorum Faſtis, Atticaeque Hiſtoriae illuſtrandae maxime neceſſaria.* III. *Id argumentis, & exemplis etiam oſtenditur.* IV. *Quo ſenſu Archontes illi vel non Eponymi, Pſeudeponymi cenſeri debent. Ipſorum ſeries, ac numerus una proponitur, ſimulque tempus indicatur, quo ipſorum quilibet imperaverit.* V. Procles *omnium primus ex Eponymorum ſimulque Athenienſium Archontem Faſtis expungitur. Ipſius imperium, atque aetas ex Pauſania demonſtratur. Inſignis Clementis Alexandrini locus contra Meurſium, alioſque Scriptores exponitur, ac illuſtratur.* VI. Epaenetus *etiam ex Archontum Athenienſium numero coniectura eximitur. Antigoni Caryſtii locus tentatur.* VII. Piſiſtratus *quoque ex Eponymorum Faſtis excluditur; ac Thucydidis locus contra Meurſium, ac Dodvellum explicatur.* VIII. Cebris. *Eius aetas hactenus incomperta demonſtratur; Lucianique locus exponitur.* IX. Themiſtocles. *Oſtenditur annus, quo non Eponymus Archon hic eſſe debuit. Dodvelli inconſtantia notatur; ac Diodorus a Meurſii emendatione vindicatur.* X. Ariſtides. *Annus ipſe, quo imperaverit, demonſtratur. Plutarchi cum Demetrio Phalereo diſſidium componitur.* XI. Myronides. *Hunc non Eponymis, ſed Strategis accenſendum eſſe oſtenditur, ipſiuſque aetas ex Ariſtophane, aliiſque Scriptoribus definitur.* XII. Agyrrhius. *Plures Agyrrhii fortaſſe diſtingui debent. Agyrrhius ab Andocide memo-*

memoratus, *Meursiique Fastis inscriptus Eponymus esse non potuit. Ipsius Populus, atque aetas indicatur. Scholiastis Aristophanici textus tentatur, & coniectura restituitur.* XIII. Ctesicles. *Strategum hunc potius quam ex Novemviris unum fuisse coniicitur; certe non Eponymum fuisse demonstratur.* XIV. Nicias. *Hic etiam Strategis potius, quam Novemviris, accensendus ostenditur; atque ex Eponymorum Fastis expungitur.* XV. Calamio. *Archontis huius aetas definitur; eiusque nomen apud Aeschinis Scholiastem coniectura restituitur.* XVI. Demonicus. *Pseudeponymum hunc esse oportere contra Meursium ostenditur; ac ipsius aetas ex Demosthene demonstratur.* XVII. Mnesiphilus. *Pseudeponymi Archontis huius aetas accurate, restituto Demosthenis loco, definitur.* XVIII Polycles. *Meursii, ac Dodvelli error ostenditur; simulque Polyclem Pseudeponymum esse demonstratur; atque ipsius aetas exploratur.* XIX. & XX. Neocles, & Nicocles. *Utrumque Pseudeponymum fuisse probatur; ac utriusque aetas exponitur. Unum tamen ab altero minime distinguendum esse coniicitur.* XXI. Nicias. *Pseudeponymum hunc esse, minimeque cum Elpinice Eponymo confundi posse contra Meursium, ac Dodvellum ostenditur. Eius annus inquiritur.* XXII. Mnesithides. *Insignis Meursii error indicatur. Mnesithidis huius annus ex Aeschine contra Demosthenem demonstratur.* XXIII. Chaerondas. *Maxima in Archontis Chaerondae nomine, atque anno perplexitas ostenditur, atque dirimitur. Chaerondam semel, iterumque duobus annis Pseudeponymum fuisse probatur antequam Fastis velut Eponymus inscriberetur. Plutarchi locus contra Meursium defenditur, ac illustratur. Dionysii locus accuratius exponitur, ac emendatur. Alter Plutarchi locus restituitur.* XXIV. Eutycles. *Hunc etiam Pseudeponymum fuisse ostenditur, eiusque annus definitur.* XXV. & XXVI. Heropythes, & Nausicles. *Utrumque ex Eponymis eximendum esse probatur, atque annus, quo uterque imperavit, ex Demosthene indicatur.* XXVII. Xenias. *Scaligeri, Meursii, ac Dodvelli error notatur. Xeniam Pseudeponymum fuisse ostenditur, eiusque aetas exploratur.* XXVIII. Phocion. *Strategis hic potius, non Novemviris accensendus demonstratur. Plutarchi locus exponitur, ac illustratur; simulque Phocion ex Fastis eximitur.* XXIX. Epicrates. *Hic neque Eponymis, neque Novemviris, neque Archontibus aliis inserendus ostenditur; ac Ciceronis locus contra Meursium explicatur.*

XXX.

XXX & XXXI. Aurelius Ancharenus, & Bentidius Sota: *Utrumque ex Eponymorum Fastis expungendum esse probatur, ac ipsorum aetas definitur.* XXXII. Phaedrias. *Hunc etiam in Eponymorum Fastis immerito recenseri innuitur; ipsiusque aetas inquiritur.* XXXIII. Prulades. *Eponymum hunc esse non potuisse demonstratur. Ipsius aetas exponitur, ac vetus Inscriptio illustratur.* XXXIV. Theagenes. *Ipsius aetate Novemviros Athenis sublatos esse probatur. Meursii error, aut inconstantia notatur. Suidae locus exponitur. Etymologi error ex Cragio demonstratur; verumque Etymologi ipsius nomen hactenus ignoratum coniectura definitur.*



DIS-

DISSERTATIO VIII.

IN QUA
PSEUDEPONYMORUM ARCHONTUM OMNIUM
SERIES, ATQUE AETAS DEMONSTRATUR.

I. ARchontum illorum plurimos, qui tum a Demosthene, tum a variis etiam Scriptoribus aliis memorantur, *Pseudeponymos* esse oportere, ideoque ex Eponymorum Archontum Fastis expungendos esse superiori Dissertatione iam diximus; quamvis Meursius Archontes illos Eponymos fuisse putaverit, ipsorumque singulos Archontum Fastis inscripserit. Optandum vero maxime fuerat ut Palmerius ipse, qui hunc Meursii errorem omnium primus ostendit; & Archontes aliquot a Demosthene memoratos *non Eponymos* esse coniecit; simulque Dodvellus, qui nitidam, atque accuratam illam Archontum seriem post Lydiattum contexuit, quae ceteris omnibus longe clarior, ac uberior haberi merito poterit, Pseudeponymos Archontes omnes ab Eponymis ita seiunxisset, ut cum iis temere confundi non possent; cum praesertim Dodvellus ipse discrimen illud se deprehendisse glorietur, quo Pseudeponymi facile ab Eponymis distinguerentur. Tantum tamen abest ut eximius Auctor ille Pseudeponymorum Archontum seriem contexendam susceperit, ut paucos solum ex ipsis memoraverit; aliosque plures velut Eponymos in Fastis reliquerit, quos tamen vere Pseudeponymos habendos esse inferius ostendetur. Discrimen etiam illud inter Eponymos, ac Pseudeponymos Dodvellus ipse constituit, quod ambiguum certe, vel potius manifeste falsum haberi facile debeat; nullus denique ex Pseudeponymis Archontibus illis aetatem demonstravit; ideoque plurima hac in parte Dodvellus omisit, ex quibus maxima tum illustrandae, tum corrigendae quoque Eponymorum historiae praesidia deduci possent. Itaque e re futurum putaverim si Pseudeponymos Archontes omnes non a Demosthene solum, sed a ceteris etiam Scriptoribus omnibus memo-

memoratos recenseam: ut quemadmodum doctissimi Viri Scaliger, Sigonius, Meursius, Lydiattus, Dodvellus Eponymorum Archontum Fastos adornarunt, sic ipse quoque Pseudeponymorum seriem ita contexam, ut ipsorum nomina, quae temere plerumque Fastis adscripta fuerant, simulque tempus ostendam, quo illorum quilibet dignitatem illam Athenis obtinuit.

II. Atque eiusmodi quidem Pseudeponymorum Archontum series a me disposita plurimam certe lucem, nisi mea me fallit opinio, non illustrandis solum, sed corrigendis etiam Eponymorum Fastis conferre poterit. Etenim ubi Pseudeponymi Archontes omnes, qui vel ob nominis affinitatem, vel Scriptorum incuriam in Eponymorum Fastos irrepserant, ex Fastis ipsis expuncti fuerint, accuratior certe, longeque purior Eponymorum series supererit: atque historia quoque, sive res gesta, quae Pseudeponymi Archontis nomine consignata fuerit, ad annum alium, aut tempora mirifice plerumque dissita transferri non poterit: quod a Meursio tamen subinde factum conspicimus. Sic, ut exemplo res clarior fiat, cum a Demosthene memoratur *Mnesithide Archonte* Conventum illum ab Amphictyonibus celebratum esse, quo Philippus Macedonum rex Amphictyonum Imperator est electus, si *Mnesithides* iste cum altero cognomine confundatur, qui Olympiade LXXX. in Fastis occurrit, ut a Meursio factum videmus, Conventus ille, ac Philippi regnum ad Olympiadem LXXX. transferetur; cum tamen ad Olympiadem CX. Conventus ille, ac Philippi regnum spectare debeat. Ita, si *Polycles* Archon ille, qui in Oratione *De Corona* a Demosthene nominatur, unus idemque dicatur esse cum illo qui Olympiade CXVIII. in Fastis conspicitur, ut Meursius existimavit, necessarium plane foret, ut celebris illa Oratio post Olympiadem CXIV. adeoque post Demosthenis mortem habita diceretur. Denique, ne exemplis aliis hic immorer, historiae singulae, quae Archontum illorum nominibus insignitae fuerint, quos & Eponymos, & incertae aetatis esse putavit Meursius incertae quoque, obscuraeque aetatis esse deberent: unde mira sane perplexitas, temporumque perturbatio in Attica historia oriretur. Haec, aliaque id genus plurima, quae possent afferri, suisque opportunius in locis mox subiicientur, per-

perſpicue ſatis oſtendunt quantum ſplendoris, atque praeſidii tum corrigendis, tum illuſtrandis etiam Eponymorum Faſtis ex nitida, & accurata Pſeudeponymorum ſerie manare poſſit.

III. Quantum vero ſplendoris, atque praeſidii ex hac ipſa Pſeudeponymorum ſerie tum corrigendae tum illuſtrandae Graecarum Urbium hiſtoriae haberi ſubinde poſſit, ubi illorum omnium aetas, aut annus, quo Archontis munere perfuncti illi fuerint, rite conſtitutus iam fuerit, ex variis exemplis illis apparet in quibus rerum aliquot geſtarum annus, menſis etiam, ac dies a me nitide, certoque definitus eſſe conſpicitur; cum tamen illa in Scriptoribus aliis obſcura, vel maximo opinionum diſſidio mirifice perturbata videantur. Quis enim aut ex veteribus, aut ex recentioribus etiam Hiſtoricis aperte noverat quo menſe, vel menſis etiam die Phocenſi, vel *Sacro* Bello Phocenſium clade finis impoſitus fuerit, cum veteres, ac recentiores etiam Hiſtorici in definiendo quoque Phocenſis excidii anno diſſideant? Hanc tamen ego omnium primus ex decretis illis oſtendi [1], quae *Mneſiphilo Archonte* facta fuiſſe coaevus, & accuratus Auctor Demoſthenes memoravit. Quis definire unquam poterat quo anni tempore Elatea capta, Chaeronaea expugnata fuerit, atque Iſocrates orator e vivis exceſſerit? quae tamen omnia nitide ex Decretis aliis oſtendi [2], quae *Nauſicle*, & *Heropithe* Archonte, utroque Pſeudeponymo, facta Demoſthenes ipſe nobis exhibuit. Mitto quod Amphictyonici Concilii tempus, Aſclepiorum, atque Heracliorum Feſtorum dies, aliaque id genus plura ex Decretis aliis accuratius exploratis, atque invicem collatis eruuntur, obiterque plura Scriptorum loca aut emendata, aut illuſtrata conſpiciuntur. Itaque, licet ex eiuſmodi Pſeudeponymorum Archontum ſerie Attici Faſti ſuppleri, uberioreſque fieri non poſſint, ſed rariores potius, minuſque pleni ſint futuri; plurimum tamen ſubinde corrigi, vel illuſtrari poterunt, atque in reliquis Atticae Hiſtoriae partibus plurimum ſplendoris accedet, ſi ſeries illa accurate contexta fuerit, atque Archontum illorum quilibet ad propria tempora referatur, ut hic a me factum putaverim. Quandoquidem ergo Archontum omnium aetas, ſi paucos ſolum exceperis, mihi perſpicue deprehenſa fuit, in digerenda illorum ſerie ſolum rationem haben-

(1) Diſſert. III. Num. 17. (2) Ibi Num. 20. 24.

dam esse putavi; ut illo nimirum hic ordine recenserentur, quo illorum quilibet imperavit.

IV. Id unum hic obiter, supremoque loco monendum duxerim quod ubi Archontum aliquem a me memoratum *Pseudeponymum* fuisse dixerim, non alio plerumque sensu intelligi id velim quam qui superiori Dissertatione fusius expositus fuit; ut ille nimirum aut ex Novemviris unus, aut Eponymo suffectus videatur; aut si fortasse etiam libeat, Prytaniae Epistata cum Dodvello censeatur; dummodo tamen ad Archontes Eponymos, illorumque Fastos minime referatur. Aliquando tamen Archontes aliqui in hac Pseudeponymorum serie subinde occurrent, qui neque Prytaniarum Epistatae, neque Eponymis suffecti, neque Novemviri, neque Athenienses censeri possint, ut de *Procle*, *Epaeneto* aliisque pluribus ostendetur. Itaque hoc uno sensu Archontes istos *Pseudeponymos* appellari, quod temere prorsus in Eponymorum seriem irrepserint, adeoque ex Meursii, Lydiatti, Dodvellique Fastis expungi debeant. Quod si fortasse Archon aliquis hic inter Pseudeponymos a me recensitus ad Eponymos ipsos aliqua ratione referri posse videatur, ut de *Cebride* suspicari quis poterit, id nihil moror: satius tamen duxi illum quoque Pseudeponymis accensere, ut accuratius deinde ab aliis inquiri, ac definiri fortasse possit an Archon ille inter Eponymos, aut Pseudeponymos potius haberi debeat. Itaque Archontum illorum singulos, quos *non Eponymos*, sive, ut appello, *Pseudeponymos* esse putavi, ipsorumque nomina modo subiiciam; simulque tempus, aut olympicum annum exponam, quo Archon ille imperavit. Deinde vero servato temporum ordine de ipsorum singulis ita differam ut initio quidem argumenta proferam, quibus ille ex Eponymorum serie expungendus videatur; mox argumenta cetera, vel indicia complectar, quibus ipsius aetas aut coniici, aut definiri fortasse possit: ac varia subinde Scriptorum loca, Atticaeque Historiae capita accuratius exponam. Archontes autem illos, quos Dodvellus ipse *non Eponymos* esse putavit, asterisco notavi; cum ceteros ille Eponymos quidem, sed *incertae* ignotaeque aetatis esse crediderit.

Ante

Ante init. Olymp.		Procles.	
Olymp. 36. vel.	46.	Epaenetus.	
ante Olymp.	67.	Pisistratus.	
anno 3. Ol.	75.	Cebris.	
4. Ol.	75.	Themistocles.	
2. Ol.	78.	Aristides.	
circa Ol.	80.	Myronides.	
circa Ol.	90.	Agyrrhius.	
circa Ol.	90.	Ctesicles.	
circa Ol.	90.	Nicias.	
Ol.	105.	Calamio.	
3. Ol.	105.	Demonicus.	* forte
2. Ol.	180.	Mnesiphilus.	*
3. Ol.	109.	Polycles.	* forte
4. Ol.	109.	Neocles.	*
4. Ol.	109.	Nicocles.	
circa Ol.	109.	Nicias.	
1. Ol.	110.	Mnesithides.	*
1. & 2. Ol.	110.	Chaerondas.	
2. Ol.	110.	Euthycles.	*
2. Ol.	110.	Heropythes.	*
2. Ol.	110.	Nausicles.	*
circa Ol.	114.	Xenias.	
3. Ol.	115.	Phocion.	
3. Ol.	183.	Epicrates.	
circa an Ch.	200.	Aurelius Ancharenus.	
eodem anno		Bentidius Sota.	
		Phaedrias.	
post an. Ch.	320.	Prulades.	* forte
circa an. Ch.	500.	Theagenes.	

V.

Procles

Clemens Alexandrinus in *Protreptico* de veteri Iunonis Samiae simulacro differens ait : κ̓ τὸ ἄγαλμα τῆς Σαμίας Ἥρας, ὡς φησὶν Ἀέθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανίς. ὕστερον δὲ, ἐπὶ Προκλέους Ἄρχοντος, ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο *etiam Samiae Iunonis* simulacrum, *ut ait Aëthlius, prius quidem erat asser; postea autem, cum esset*

Archon Procles, effiċta eſt in formam ſtatuae. Itaque Proclem, laudato Clementis teſtimonio, doċtiſſimus Meurſius Eponymorum Faſtis inſeruit Libro IV. c. 20. Meurſiique veſtigiis inſiſtens Dodvellus inter Eponymos Proclem enumeravit: quemadmodum Gentianus Herretus Clementis interpres hunc Eponymum, atque Athenienſem Archontem eſſe putaverat. Sed obſcurior ille, ac ambiguus Clementis locus doċtiſſimis certe Viris impoſuit; cum Procles iſte neque Eponymorum Faſtis inſcribi, neque ceteris Athenienſium Archontibus accenſeri poſſit; quippe qui non Athenis ipſis, ſed in Samo imperaverit; iiſque temporibus floruerit, quibus vel perpetuorum Archontum dignitas nuper Athenis inſtituta fuerat; vel Atticae regionis incolae Regibus adhuc utebantur; ut perſpicuis ſane, certiſque charaċteribus mox oſtendetur.

Ac mirari certe quis poterit cur in ſuperiori Clementis loco Meurſius non de Samio, ſed de Athenienſi potius Archonte repente cogitaverit; cum tamen ibi de Samiae Iunonis ſimulacro diſſeratur; ac Aëthlius ille, qui Proclis Archontis nomen, veluti certam temporis notam expreſſit, non Athenienſis, ſed Samius Scriptor fuerit, pluribuſque Libris Samiorum fines, vel ornamenta deſcripſerit, ut ex Voſſio (1), Fabricioque (2) erudimur. Optime quidem novi, ingenueque fateor Samiorum Inſulam aliquando Athenienſium imperio paruiſſe, eoque coloniam ab Athenienſibus deduċtam eſſe (3); ut Samius proinde Scriptor temporum charaċteres Athenienſis etiam Archontis nomine deſignare potuerit. At nitide prius oſtendendum fuerat, Samiae Iunonis ſtatuam iis temporibus effiċtam eſſe, quibus Athenienſium imperio Samus obnoxia fuerat: cum praeſertim Polycrates, aliique tyranni in Samo imperaverint, ut in Hiſtoria conſpicitur (4); adeoque ſemper ambiguum, incertumque eſſe debeat, an Procles ille Athenienſibus, vel Samiis ſolum Principibus ſit accenſendus.

Sed quid conieċturis iſtis hic immoror cum verum Proclis huius imperium, ſimulque aetatem ex Pauſania, & Callimacho perſpicuis, ut opinor, indiciis deprehenderim? Accuratiſſimus Auċtor ille ubi Samum a Ionibus, qui illuc habitatum conceſſerant, occupatam dixiſſet ait: ἡγεμὼν δὲ ἦν τοῖς

Ἴωσι

(1) De Hiſt. Graec. Lib. III. init. pag. 239. (2) Biblioth Graec. Lib. IV. c. 20 nu. 9. (3) Pauſan. Achaic. c. 3. 4. Strabo Lib. XIV. (4) Herod. Lib. III, c. 44. Laert. VIII. ſeg. 3.

Ἴωσι Προκλῆς ὁ Πιτυρέως Ἐπιδαύριος . . . τούτῳ τῷ Προκλεῖ γένος ἦν ἀπὸ Ἴωνος τοῦ Ξούθου [1]. *Erat Ionum Dux Procles Pityrei filius Epidaurius . . . genus hic Procles ducebat ab Ione Xuthi filio*. Tum repente ſubdit Pauſanias Leogorum Proclis filium βασιλεύοντα μετὰ τὸν πατέρα *patris in regno ſucceſſorem* ab Epheſiis expulſum eſſe, Samioque regno ſpoliatum Duce Androclo, quem Codri Athenienſium Regis filium fuiſſe, ſimulque cum Athenienſibus Epheſum migraſſe iam dixerat [2]. Itaque iam vehemens, nec iniqua fortaſſe ſuſpicio mihi ſuboritur, quod Procles ille a Clemente, ſive ab Aëthlio memoratus ab illo minime diſtingui debeat, quem Ionum Ducem, Samiorumque regem, aut principem appellat Pauſanias: quo plane fieret Proclis aetatem ad Codri tempora referendam eſſe, qui iuxta Petavii calculum anno ante Chriſtum 1091. Athenienſium Regum poſtremus imperium obtinuit; adeoque Proclem neque Eponymorum, qui tum nulli fuerant, neque Athenienſium Principum Faſtis inſcribi poſſe.

Si Pauſaniae tamen, ſimulque Callimacho fides habenda ſit, Samiae Iunonis ſtatua longe antiquior cenſeri debet, quam ut ad Codri, vel Proclis huius aetatem referri illa poſſit; adeoque, ſi Proclis aetate formata illa fuit, ut teſtatur Aëthlius, Procles alius antiquior admittendus erit, qui Theſei temporibus imperaverit. Certe Pauſanias aſſerit [3] Iunonis ἄγαλμα *ſimulacrum*, quod in Samo viſebatur a Smilide formatum eſſe, ſmilidemque iſtum Daedali aetate floruiſſe: quem Theſeo Athenis regnante hoc eſt 1230. annis ante Chriſtum vixiſſe Diodorus [4], aliiqui plurimi [5] prodidere; ergo tunc Procles etiam ille imperaverit, quo Archonte ſimulacrum effictum eſſe teſtatur Aëthlius. Callimachus vero apud Euſebium [6] de veteri, rudiorique Samiae Iunonis ſimulacro diſſerens, ac Iunonem ipſam alloquens ait:

Οὔπω Σκέλμιον ἔργον ἐΰξοον, ἀλλ' ἐπὶ τεθμὸν
 Δὴ νεογλύφων ὦναξ θεὰ ἦσθα σανίς.
Ὧδε γὰρ καθιδρύοντο θεοὺς τότε. καὶ γὰρ Ἀθηνᾶς
 Ἐν Λίνδῳ Δαναὸς λεῖον ἔθηκεν ἕδος.

Inſignis autem iſte Callimachi locus, quem certe miror doctiſſimae Daceriae diligentiam effugiſſe, adeoque in nitidiſſima Calli-

(1) In Achaic. c. 4. (2) Ibi c. 2. (3) Ibi c. 4. (4) Lib. IV. c. 61. (5) Vid. Meurſ. in Theſeo. (6) Praep. Evang. Lib. III. c. 8.

Callimachi editione, quam illa adornaverat, ceteris Poetae Fragmentis minime adiectum esse, ita a Khunio latine redditur [1]

Nondum eras Celmium opus, nempe simulacrum ex ligno politum, sed ad legem
Recens politorum asserum, o regina Dea, asser eras.
Ita enim tum temporis Deos dedicabant: nam etiam Minervae
In Lindo Danaus levigatum posuit simulacrum.

Ibique feliciter, accurateque Khunius observat *Schelmium*, vel *Celmium opus* vocari, quod arte, ferroque elaboratum sit, postquam Celmis ex Idaeis Dactylis unus ferrum invenerat [2]; simulque subindicat Σμίλιον ἔργον *Smilium opus* hic legi posse, ut Callimachus ipse cum Pausania conspiret, qui Samiae Iunonis simulacrum *Smilium*, vel *Smilidis opus* fuisse dicit. Denique Khunius ipse adnotavit Samiae Iunonis imaginem, quae prius asser erat, in statuae formam, *sub Praetore Procleo*, Clemente teste, effictam esse: nihilque tamen de Proclis huius imperio, aut aetate commemorat.

At, si diffidentes illae Callimachi, Aëthlii, Pausaniaeque sententiae rite componi, simulque coniungi possint; sive, quod verisimilius existimo, Pausaniae autoritas ceteris omnibus sit anteferenda, dubitari certe non poterit quin Samiae Iunonis statua Thesei temporibus effícta fuerit; adeoque Procles ille, quo Archonte id contigisse scribit Aëthlius, ad illa tempora spectasse debeat, quibus Athenis Eponymi instituti certe non fuerant; ut proinde Procles ex Eponymorum, vel Atheniensium Archontum Fastis expungi debeat.

VI.

Epaenetus.

Antigonus Carystius in Libro *de Mirabilibus Narrationibus* c. 133. ait Ἵππων ὁ Ῥηγῖνος Περὶ τῶν λεγομένων τόπων φθείρειν τὰ ἐμπίπτοντα τοιοῦτόν τι γράφει. Φησὶν ἐν Ἀθήναις, ἐπὶ βασιλέως Ἐπαινέτου, ὀλυμπιάδος ἕκτης καὶ τριακοστῆς, ἐν ᾗ Ἀρυτάμας Λάκων νικᾷ στάδιον, τῆς Σικελίας ἐν Παλικίοις οἰκοδομηθῆναι τόπον, εἰς ὃν ὅστις ἂν εἰσέλθῃ, εἰ μέν κατακλιθείη, ἀποθνήσκει. εἰ δε περιπατοίη, οὐδεν πάσχειν . . . *Hippo Rheginus de locis, quae res incidentes perdunt, sic scribit: Athenis regnante Epaeneto, Olympiade XXXVI. qua Ary-*

(1) In Notis ad Pausan. loco cit. (2) Vid. Hesych. in Calmis.

Arytamas Laco stadium vicit, in Sicilia apud Palicios locum exaedificatum fuisse, in quem si quis ingressus se reclinasset, mortuus fuerit; sin obambulasset, nihil mali passum esse.

Meursius, qui elegantem hunc Antigoni Libellum perpetuis observationibus illustravit, admonet Olympiade XXXVI. non *Arytamantem Lacedaemonium*, sed *Phrynonem Atheniensem* veluti stadio victorem in Eusebii Chronico memorari, atque Epaenetum hunc *improprie βασιλέα regem* ab Antigono vocari, cum Archon ab illo appellandus esset. Itaque Epaenetum istum Eponymorum Archontum Fastis inseruit [1], quamvis in Scaligeri, vel ut Meursius appellat, Anonymi serie desideretur. Petavius etiam, Lydiattus, ae Dodvellus Epaenetum ipsum, laudato Antigoni testimonio, ceteris Eponymis adiunxere, incertumque fore putarunt an Olympiade XXXVI. *Arytamas*, aut potius *Phryno* stadio victor haberi debeat.

At, nisi plurimum hic ego fallor, ambiguus ille Antigoni locus obscurior est certe, quam ut ipsius praesidio Epaenetus iste veris Atheniensium Archontibus adiungi possit. Quis enim nitide, certoque dixerit Epaenetum illum Athenarum potius, quam Siciliae, vel alterius regionis, Principem, vel Regem fuisse, cum Hippo, vel ut doctissimi viri Vossius [2], ac Fabricius [3] opinantur, Hypis ille hic ab Antigono quidem, aliisque Scriptoribus *Rheginus*; sed ab aliis tamen [4] *Metapontinus*, atque ab aliis etiam *Samius* appellatur? Itaque cur Siculus, aut Italus, aut Samius Scriptor Athenarum potius, quam propriae regionis Principem, veluti perspicuam temporis notam, expresserit? Cumque praesertim rem in Sicilia gestam commemoraret, illam Atheniensis potius, quam Civium suorum Regis nomine consignaverit? Quod si Samius etiam, vel Siculus Scriptor ille, Atheniensis anni characterem, Diodori, aliorumque instar, adhibuisse dicatur, adeoque Atheniensium Fastos prae oculis habuisse, divinari certe vix poterit cur Epaenetum non *Archontis*, sed *Regis* nomine decoraverit, quamvis Hippo, vel Hypis ille circa Olympiad. LXXV., adeoque ipsa fere Epaeneti aetate floruerit. Video quidem levioribus coniecturis istis facile reponi posse Epaenetum *improprie Regem* appellari; sed perspicuum tamen certumque

(1) De Arch. Ath Lib. I. c. 11. (2) De Hist. Graec. Lib. III. c. 1. & IV. car. 3. (3) Bibl. Graec. Lib. II. c. 23. num. 20. (4) Censorin. de die Nat. c. 3.

que fore quod Athenis ille imperavit, cum Antigonus, aut Hippo diserte dixerit φησὶν ἐν Ἀθήναις ἐπὶ βασιλέως Ἐπαινέτου, quod Volfius, Meursiusque reddidere *Athenis Epaeneto regnante*. Sed haec ipsa verborum series, dicendique formula indicio esse poterit Antigoni textum fortasse vitiatum esse; atque insolens illa verborum textura vix patitur ut Antigoni locus latine reddi possit *regnante Athenis Epaeneto*. Certe, si Scriptor ille innuere voluisset Epaenetum hunc Atheniensium regem fuisse, nativa, solemnique formula dixisset ἐπὶ βασιλέως Ἀθήνησιν, vel ἐν Ἀθήναις, Ἐπαινέτου *regnante Athenis Epaeneto*; adeoque voces illae ἐν Ἀθήναις *Athenis* hic temere in alienum locum irrepsere, vel certe mendum praeseferunt. Itaque primum suspicor in Antigoni verbis post φησὶν lacunam irrepsisse, in qua Scriptoris illius nomen exciderit, ex quo historiolam hanc Hypis exscripserat. Deinde vero non ἐν Ἀθήναις *Athenis*, sed ἐν Αἰτναίοις *in Aetnaeis*, vel quidpiam simile rescribendum esse coniicio; ut Operis nempe titulus, vel argumentum exprimatur, in quo Scriptor ille historiam hanc exposuerat. Suspicionem hanc mihi iampridem iniecerat Stephanus, qui de Palice urbe differens, ac de Palicis, unde civitas illa nomen obtinuit, citat Silenum in II. Αἴτνης *Aetnae*; atque Aeschylum ἐν Αἰτναίοις *in Aetnaeis*: quemadmodum etiam Macrobius (1), qui accuratissime, uberrimeque de Palicis agit, Aeschylum ἐν Αἴτνᾳ & ipse veluti auctorem inducit; asseritque quod Deos Palicos *primus omnium Aeschylus tragicus, vir utique Siculus, in literas dedit*; ut ipsum proinde Cicero (2) non modo veluti Poetam, sed etiam ut Pythagoraeum quoque Philosophum laudaverit. Quemadmodum ergo Silenus, atque Aeschylus, qui anno 4 Olympiad. LXXVII. Athenis digressus in Siciliam concessit, Palicos Deos ἐν Αἰτναίοις carminibus celebravit, ita quoque facile vel coaevus; vel antiquior Scriptor alius eodem prorsus operis argumento, tituloque de Palicis differuerat, ut ex illo proinde Hippon exscribere potuerit, quae de Palicorum Fano, ac graveolentibus, noxiisque in illo crateribus memoravit: quo plane fieret in Antigoni textu pro ἐν Ἀθήναις *Athenis* longe commodiori, clarioríque sensu rescribi posse ἐν Αἰτναίοις *in Aetnaeis*. Nihil hic tamen levioribus coniecturis istis innixus temere

(1) Saturn. Lib. V. c. 19. (2) Tusc. Lib. II. c. 10.

mere definire nunc velim; atque illa ſolum complecti libuit, quae indicio fortaſſe eſſe poſſint ambiguum plane, obſcurumque fore an Epaenetus ille Athenis imperaverit, atque Eponymorum Archontum Faſtis ſolo Antigoni teſtimonio repente, certoque inſcribi debeat.

Quid vero ſi & errorem alium, qui in Antigoni textum irrepſerat, eodem ipſo coniecturae genere oſtendam, ſimulque rationem exponam, qua leviter ille corrigi, ſanarique poſſit? Olympiadis XXXVI. victor ab Antigono *Arytamas Lacon* fuiſſe dicitur; cum tamen Meurſio ipſo teſte, Olympiadis eiuſdem victor ab Euſebio nominetur Φρύνων Ἀθηναῖος, ὃς Πιττακῷ μονομαχῶν ἀνῃρέθη *Phryno Athenienſis, qui ſingulari certamine cum Pittaco congreſſus interemptus eſt*. Itaque dubitari non poterit quin alteruter ex Scriptoribus illis in exprimendo victoris nomine erraverit. At error iſte longe facilius in Antigoni, quam in Euſebii, textum admitti poterit. Siquidem Phrynonem Athenienſem ante Olymp. XLIII. ex Olympicis ludis palmam retuliſſe, moxque cum Pittaco ſingulari certamine congreſſum interiiſſe nitide, diſerteque Laërtius etiam teſtatur; adeoque *Phrynonis* nomen in Olympionicarum Faſtis iis temporibus admitti debet; cumque aliarum Olympiadum victores ab Euſebio, aliiſve Scriptoribus memorentur, nullus omnino locus extra Olympiadem XXXVI. Phrynoni eſſe poterit. Itaque nullus error in Phrynonis nomine apud Euſebium facile effingi poteſt; longeque veriſimilius in Antigoni textu ſupponi ille poterit; neque tamen accurate, certoque corrigi niſi aliunde ſplendor accedat. Si quis tamen in tanta rerum obſcuritate coniecturae locus hic eſſe poteſt, ſuſpicor quod *Arytamas* ille facile cum *Chryſamaxo* confundi poſſit, qui Olymp. XLVI. ſtadio viciſſe dicitur; cum uterque Lacon fuerit, ſimulque maxima in nominibus affinitas, adeoque erroris occaſio videatur. Ergo in Antigoni textu fortaſſe reſcribi poterit ὀλυμπιάδος ἕκτης καὶ τεσσαρακοστῆς, ἐν ᾗ Χρυσάμαξος Λάκων νικᾷ στάδιον *Olympiade* XLVI., *qua Chryſamaxus Lacon ſtadium vicit*; niſi fortaſſe viciſſim verum Olympionicae nomen fuerit *Arytamas*, ut ab Antigono nominatur, adeoque in Euſebii textu pro Χρυσάμαξος Λάκων *Chryamaxus Lacon* reſcribendum ſit Ἀρυτάμας ὁ Λάκων *Arytamas Lacon*. Quod ſi vel in Antigoni, vel in Euſebii textum error irrepſit, atque alteruter ex illis ex al-

 tero

tero est corrigendus, perspicuum exinde fiet quod Epaenetus ille, quicumque demum is fuerit, non ad XXXVI., sed ad XLVI. Olympiadem referri debet, atque in illa anno 1., si fortasse ita libeat, Atheniensium Fastis inscribi.

VII.

Pisistratus.

Thucydides Libro VI. c. 54. de Pisistrati Tyranni posteris loquens ait: ϗ ἄλλοι τε αὐτῶν ἦρξαν τὴν ἐνιαύσιον Ἀθηναίοις ἀρχὴν, ϗ Πεισίςρατος ὁ Ἱππίȣ τȣ͂ τυραννεύσαντος ὑὸς τȣ͂ πάππȣ ἔχων τȣ͂νομα: *& cum alii ex ipsis annuum imperium apud Athenienses obtinuerunt, tum Pisistratus Hippiae eius, qui Tyrannus fuerat, filius, avi nomen ferens.*

Ex eiusmodi Thucydidis testimonio deduxit Meursius Lib. IV. c. 20. quod Pisistratus ille Hippiae filius, tyrannique Pisistrati nepos, Eponymus Athenis Archon fuit; adeoque Pisistratum ipsum Fastis adscribendum esse putavit. Haec ipsa quoque Meursii opinio non Dodvello solum, sed etiam Lydiatto (1) probata fuit; cumque ille arbitretur Pisistratum hunc Archontis munere perfunctum esse dum Hippias ipsius pater Athenis tyrannidem exercuit, Pisistrati Archontis annus inter Olympiadem LXVI. & LXVII. incideret, cum Hippias Hipparcho fratre e vivis sublato anno 3. Olymp. LXVI. tyrannidem occupaverit, atque anno 3. Olymp. LXVII. Athenis a Clisthene eiectus fuerit.

Ego vero Pisistratum hunc inter Eponymos habendum esse non dixerim, neque ex superiori Thucydidis testimonio id satis feliciter, & accurate deduci posse putaverim. Siquidem accuratissimus Auctor ille de Pisistratidarum tyrannide loquens, quae 35. annorum spatio viguit (2), haec habet τὰ δὲ ἄλλα αὐτὴ ἡ πολις τοῖς πρὶν κειμένοις νόμοις ἐχρῆτο, πλὴν καθόσον ἀεὶ τινὰ ἐπεμέλοντο σφῶν αὐτῶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς εἶναι. ϗ ἄλλοι τε αὐτῶν ἦρξαν τὴν ἐνιαύσιον Ἀθηναίοις ἀρχὴν, ϗ Πεισίστρατος ὁ Ἱππίȣ τȣ͂ τυραννεύσαντος ὑὸς τȣ͂ πάππȣ ἔχων τȣ͂νομα. ὃς τῶν δώδεκα θεῶν βωμὸν ȣ͂τος ἐν τῇ ἀγορᾷ ἄρχων ἀνέθηκε, ϗ τὸν τȣ͂ Ἀπόλλωνος Πυθίȣ . . . . τȣ͂ δ᾽ ἐν Πυθίȣ ἔτι ϗ νῦν δῆλόν ἐςιν ἀμυδροῖς γράμμασι, λέγον τάδε

Μνῆμα

(1) Ad Marm. Oxon. pag. 77. (2) Arist. Polit. Herod. V. & Iustin. II.

Μνῆμα τόδε ἧς ἀρχῆς Πεισίστρατος Ἱππίου υἱὸς
Θῆκεν Ἀπόλλωνος Πυθίου ἐν τεμένει.

In ceteris vero Civitas legibus antea latis utebatur, praeterquam quod operam provide dabant, ut semper aliquis de suo ipsorum numero Magistratum gereret: & cum alii ex ipsis annuum imperium apud Athenienses obtinuerunt, tum Pisistratus Hippiae eius, qui Tyrannus fuerat, filius, avi nomen ferens; qui cum esset Archon aram duodecim Deorum in Foro dedicavit, & illam, quae est Apollinis in Pythii templo .... *& illius, quae in* Apollinis *Pythii templo erat, etiam num tota extat inscriptio literis evanidis pene in haec verba*

In Pythii Phaebi Pisistratus aede locavit
Imperii Hippiades haec monumenta sui.

Itaque, si integer ille Thucydidis contextus observetur, id unum inferri fortasse poterit quod inter Archontes, sive Novemviros, aut Magistratus alios semper Pisistratidarum aliquis cooptari consueverat; non vero quod Archontis Eponymi dignitatem singulis annis illis Pisistratidarum aliquis occupaverit. Ac certe, si principatus ille, vel ἀρχὴ de suprema solum dignitate, atque Eponymo Archonte intelligenda foret, Archontes omnes, qui Pisistratidarum temporibus in Fastis occurrunt, ad Pisistratidarum genus referri deberent; cum tamen *Hegesistratus*, qui inchoata iam Pisistrati tyrannide, anno scilicet 1. Olympiade LV. Archon fuit ad Pisistrati genus minime spectaverit; neque *Euthydemus* ille, qui anno 1. Olym. LVI. aut *Heraclides*, qui anno 4. Olym. LXI. aut denique *Miltiades*, qui anno 1. Olymp. LXIV. Archon fuit; ut ex ipso Pisistratidarum stemmate facile cognosci potest. Ergo Pisistratus ille inter Novemviros quidem, sive Archontes, aliorum instar, haberi fortasse poterit; sed Pseudeponymus tamen censendus erit, adeoque in Eponymorum Fastos minime referendus; alioquin, si Pisistratus ille Hippiae filius tanquam Eponymus habendus esset, definiri certe vix poterit cur Hipparchus etiam, Thessalus, atque Hippias Pisistrati maioris filii veris Eponymis accensendi non fuerint, cum certe ipsorum quilibet ex Thucydidis testimonio annuum Athenis imperium obtinuerit.

VIII.

Cebris

Cebridem iſtum inter Eponymos Athenienſium Archontes enumerat, incertaeque ſimul aetatis fuiſſe dicit Meurſius Lib. IV. c. 20., Meurſiique veſtigiis inſiſtens Dodvellus. Uterque vero Cebridis nomen, ac principatum ex Heſychii teſtimonio collegit, qui in Ἀγοραῖος haec habet: Ἑρμῆς οὕτως ἐλέγετο ὄντως, κ̀ ἀφίδρυτο Κεβρίδος ἄρξαντος, ὡς μαρτυρεῖ Φιλόχορος ἐν τρίτῳ. *Forenſis. Mercurius ita vocabatur; erectuſque fuit Cebride Archonte, ut teſtatur Philochorus in tertio.*

Ac Cebridis quidem Archontis huius mentio nuſpiam alibi, quod certe ego noverim, nobis occurrit; ſed Mercurius tamen ille Ἀγοραῖος, ſive *Forenſis*, a variis Scriptoribus memoratur, ut exinde facile Archontis ipſius aetas fortaſſe coniici poſſit, ſimulque definiri an inter Eponymos haberi ille debeat. Ita Pauſanias in Atticis: Ἰοῦσι δέ πρὸς τὴν Στωάν, ἣν ποικίλην ὀνομάζουσιν ἀπὸ τῶν γραφῶν, ἔστιν Ἑρμῆς χαλκοῦς καλούμενος Ἀγοραῖος, κ̀ πύλη πλησίον (1). *Pergentibus vero ad Porticum, quae a picturae varietate Poecile*, ſeu varia, *dicitur, Mercurius aeneus in conſpectu eſt, quem Forenſem vocant; & prope eſt Porta*. Demoſthenes etiam in Oratione *adverſus Evergum* Mercurii *prope Portulam* meminit: περὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν πρὸς τῇ πυλίδι *ad Mercurium, qui eſt prope Portulam:* quem Demoſthenis locum ita Harpocration exponit: Ἑρμῆ: ὁ πρὸς τῇ πυλίδι. Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Εὐέργου, κ̀ Μνησιβούλου. Φιλόχορος ἐν πέμπτῳ Ατθίδος φησὶν ὡς οἱ ἐννέα Ἄρχοντες ταῖς φυλαῖς ἀνέθηκαν Ἑρμῆν παρὰ τὸν πυλῶνα τὸν Ἀττικόν. *Mercurius prope Portulam. Demoſthenes in Oratione adverſus Evergum, & Mneſibulum. Philochorus in quinto Atthidis* Libro *dicit quod novem Archontes Mercurium prope Portam Atticam tribubus erexerunt*. Eiuſmodi vero Harpocrationis teſtimonium totidem plane verbis Suidas exſcripſit; niſi quod ultimae voces illae τὸν Ἀττικόν *Atticam* in Suida deſiderantur: quemadmodum fere Meurſius ipſe Harpocrationis locum hic proferens illas omiſit, ſive quod temere, alienaque manu inſertae viderentur; ſive quod in ipſis vitium aliquod irrepſiſſe ſuſpicaretur. Ac certe, ſi voces illae ad

(1) Attic. c. 11.

ad τὸν πυλῶνα *Portam* referantur, immerito prorſus, temereque adiectae cenſeri illae poterunt, cum nulla Athenis Porta fuerit, quae peculiari quadam ratione *Attica* diceretur, ut ex illarum numero, ac ſerie deprehendi poteſt, quam Meurſius in *Athenis Atticis* Lib. III. c. 12. accurate contexuit. Sin vero ad Mercurium ipſum referri illae debeant, quid Mercurius illa prope Athenienſem Portam erectus hic *Atticus* nominatur: perinde quaſi vel Boeotii, vel Corinthii quoque Mercurii ſtatua Athenis extiterit? Itaque mendum in vocibus illis agnoſci debet. Ac initio quidem conieceram reſcribendum eſſe τὸν Ἀγοραῖον *Forenſem*, ut nimirum exprimeretur Mercurium illum, qui prope Portam erectus fuerat, unum eundemque fore, qui *Forenſis* etiam appellabatur: quo plane fieret ut Harpocration cum Pauſania mirifice conſpiraret. Suſpicor tamen etiam τὸν Ἄκτιον, ſive τὸν Ἀκταῖον *Litoralem* legi poſſe; ut nempe exprimatur Portam illam, cui proxima Mercurii ſtatua viſebatur, eam fuiſſe, quae litori finitima foret, atque ex Urbe in litus deduceret. Certe Lycurgus in Oratione *adverſus Leocratem* Portulae cuiusdam meminit, quae litus reſpiceret: ὐκ ἐκ τῆς ἀκτῆς κατὰ τὴν πυλίδα ἐμβαίνυσιν οἱ κατ' ἐμπορίαν πλέοντες, ἀλλ' ἐκ τῦ λιμένος *non e litore iuxta Portulam ingrediuntur qui mercaturae exercendae gratia adnavigant, ſed e portu*. Sed accuratius hic tamen inquirendum foret an Pauſaniae, aliorumque teſtimonia de Portula eiuſmodi intelligi poſſint: quod eo fortaſſe loci diligentius exſequar ubi de Atticae Populis, ipſorumque ritu ſubtilius diſſeram. Interim vero mihi de Cebridis Archontis aetate agendum intelligo. Meurſius in *Athenis Atticis* Lib. I. c. 5. ſuperiora veterum teſtimonia commemorat, atque unum proinde eundemque fore arbitratur Mercurium, qui & Ἀγοραῖος *Forenſis*, & πρὸς τῇ πυλίδι *prope portulam*, & παρὰ τὸν πυλῶνα *prope portam* dicatur; cumque ignoraverit aetatem, qua Mercurius ille Forenſis dicatus Athenis fuerit, Cebridis quoque Archontis aetatem incertam reliquit, plurimamque nobis ſuſpicandi occaſionem exhibuit, an Cebris ille iis temporibus imperaverit, quibus Archontum Faſti pleni ſunt, ideoque Pſeudeponymus ſolum haberi debeat. Illuſtria tamen hic duo Scriptorum teſtimonia ego proferam, ex quibus plurima certe lux affulgere videtur, ut ſtatuae illius antiquitas, ſimul-

que

que Cebridis Archontis aetas deprehendi possit: cum praesertim utrumque ex testimoniis illis doctissimi Meursii, qui cetera laudato loco diligenter exscripserat, industriam effugerint. Itaque Pollux Lib. VII. c. 2. sect. 15. De mercatoribus agens ait: τούτων δὲ καὶ θεοὶ ἴδιοι, ὁ Ἐμπολαῖος Ἑρμῆς, καὶ ὁ Ἀγοραῖος *horum vero peculiares Dii fuere Mercurius Mercatorius, & Forensis*: atque Aristophanes ipse in Acharn. Act. III. Scen. 3 Megarensem quendam mercatorem inducit, qui Mercurium ἐμπόλαιον *Mercatorium* invocat; quemadmodum in Equit. Act. I. Scen. 3. Cleonem, atque Agoracritum ita colloquentes inducit

Κλε. = Ὁμολογῶ κλέπτειν. σὺ δ' οὐχί;
Αγο. = Νὴ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀγοραῖον
= Κἀπιορκῶ γε βλεπόντων
Cle. *Fateor esse furem: an & tu?*
Ag. *Nae per Mercurium Forensem.*
Peiero, visus licet sim.

Quo certe loco nullus hic dubito quin Aristophanes Mercurium illum Forensem respexerit, cuius statua Cebride Archonte, ut testatur Hesychius, erecta fuerat: cum praesertim vetus Comici Scholiastes ad illa verba notaverit: ἐν μέσῃ τῇ ἀγορᾷ ἵδρυται Ἑρμοῦ ἀγοραίου ἄγαλμα *in medio Fori Mercurii Forensis statua erecta est*. Itaque, si Aristophanis aetate Mercurii Forensis statua erecta iam fuerat, Cebris ille ante Olymp. LXXXVIII. annum 4., quo *Equites* in Scenam prodiere, imperasse debuit; non tamen Eponymus esse ille potuit, nisi ipsius principatus ante Olympiadem LXXI. transferatur: cum ab eiusmodi LXXI. Olympiade Archontum Fasti pleni sint. At, si Mercurius ille Ἀγοραῖος *Forensis* unus, idemque fuerit cum Mercurio qui πρὸς τῇ πυλίδι *prope portam* vocatur, ut Meursius olim existimavit, tunc Cebris ille, quo Archonte erectus fuisse dicitur, Pseudeponymus certe existimari, adeoque ex Fastis expungi debet. Id perspicue nobis ostendit eximius alter Harpocrationis locus, quem a Meursio vel ignoratum, vel dissimulatum esse conspicio; cum tamen superiori, quem Meursius exscripsit, longe hic clarior, & accuratior videatur. Siquidem Harpocration in Πρὸς τῇ πυλίδι Ἑρμῆς haec ait: Δημοσθένης ἐν τῷ κατ'. Εὐέργου. Φιλόχορος ἐν τῇ πέμπτῃ Ἀθηναίων

φησί

φησὶ περὶ τȣ̃ πρὸς τῇ πυλίδι Ἑρμȣ̃ ὡς ἀρξάμεναι τειχίζειν τὸν Πειρε̃α οἱ ἐννέα Ἄρχοντες τȣ̃τον ἀνεθέντες ἐπέγραψαν

Ἀρξάμενοι πρω̃τοι τειχίζειν οἵδ᾽ ἀνέθηκαν
Βȣλη̃ς, κ̀ δήμȣ δόγματι πειθόμενοι.

Demosthenes in Oratione adversus Evergum. Philochorus in quinto Libro *Atheniensium de Mercurio prope Portam ait quod novem Archontes Piraeeum aedificare incipientes* Mercurium *istum dedicantes inscripserunt*

Incipientes primi aedificare hi dedicarunt
Senatus, ac Populi Decreto obtemperantes.

Quo certe loco facile rescribendum putaverim ἐν τῇ πέμπτῃ Ἀτθίδος *in quinto Atthidis* libro, ut in superiori Harpocrationis ipsius testimonio, aliisque Scriptoribus aperte conspicitur, qui Philochori Libros τη̃ς Ἀτθίδος *Atthidis* citare solent: quemadmodum in Hesychii textu pro τρίτῳ *tertio* facile rescribi debet πέμπτῳ *quinto*, ut Hesychius ipse cum duplici Harpocrationis textu conspiret. Itaque, si Mercurius ille πρὸς τῇ Πυλίδι *prope Portam* a Novemviris erectus, dicatusque fuit dum Piraeei constructio primum suscepta fuit, idque anno 3. Olympiade LXXV., quo Eponymus in Fastis Archon *Adimantus* reperitur, contigisse debuit, ut sequenti numero demonstrabitur, Mercurii ipsius dedicatio ad Olympiadem LXXV. referri debet; ideoque, si Mercurius ἀγοραι̃ος *Forensis* Archonte Cebride dedicatus unus idemque dicatur esse cum Mercurio τῷ πρὸς τῇ πυλίδι *qui erat prope Portam* Cebris ille eadem Olympiade imperasse debuit, adeoque cum Fasti pleni sint, Eponymus esse non potuit; sed ad Pseudeponymos omnino referri ille debet. Video quidem Forensis, aereique Mercurii dedicationem ita a Luciano (1) describi perinde quasi post Epicuri, Stoicorumque tempora contigerit. At festivus ille Deorum irrisor facile tempora susdeque invertit, ac plurima locis, temporibusque mire diffidentia confundit: adeoque cum perspicuis Scriptorum aliorum testimoniis Luciani autoritas, quaecumque illa fuerit, conferri certe non potest.

IX.

(1) In Iove Trag.

IX.

Themiſtocles.

Themiſtoclem Neoclis filium bellica virtute, ac Marathonia, ſimulque Salaminia victoria illuſtrem Archontis aliquando munere perfunctum eſſe ſcribit Thucydides Lib. I. c. 93. Ε῎πεισε δὲ ϗ τοῦ Πειραιῶς τὰ λοιπὰ ὁ Θεμιςοκλῆς οἰκοδομεῖν. ὑπῆρκτο δ᾽ αὐτοῦ πρότερον ἐπὶ τῆς ἐκείνου ἀρχῆς, ἧς κατ᾽ ενιαυτὸν Ἀθηναίοις ἦρξε, *perſuaſit ut reliquas Piraeei* partes *aedificarent: eius enim pars aedificari prius eſt coepta quo tempore ipſe annuum Magiſtratum gerens, Athenis praefuit*, ubi a vetere Thucydidis Scholiaſte notatum conſpicimus κατά τινα ἐνιαυτον ἡγεμὼν ἐγένετο, πρὸ δὲ τῶν Μηδικῶν ἦρξε Θεμιςοκλῆς ἐνιαυτον ἕνα. Themiſtocles *anno quodam dux fuit*; *atque ante Medica annum unum imperavit*, vel *Archon fuit*. Meurſius Lib. II. c. 3. de Archontibus Athenienſium cum *Themiſtoclis* nomen in Archontum Faſtis a Sigonio concinnatis ad annum 4. Olymp. LXXI. offendiſſet; idemque *Themiſtoclis* nomen ab Anonymo memorari vidiſſet anno 3. eiuſdem Olympiadis, ſuperiora Thucydidis verba ad annum 4. Olymp. LXXI. exſcripſit, ac ſi Themiſtocles ille, qui tum ab Anonymo, tum a Sigonio ad Olympiadem illam referatur, fuerit illuſtris ille Athenienſium Imperator, de quo Thucydides loquebatur; ideoque Piraeei conſtructio anno 3. vel 4. Olympiadis LXXI. inceperit.

Sed doctiſſimus Auctor ille non modo fallitur, ſed inconſtans etiam, ſibique repugnans eſſe conſpicitur. Siquidem Meurſius ipſe Lib. II. c. 9. Diodori, Plutarchi, & Anonymi teſtimonio diſerte docet Piraeei munitionem anno 3. Olymp. LXXV. *Timoſthene* Archonte ſuſceptam eſſe, annoque proximo *Adimanto* Archonte abſolutam. Ac dubitari certe non poterit quin Piraeei conſtructio poſt Salaminiam pugnam ſuſcepta fuerit, quae anno 1. Olymp. LXXV. contigerat, ut praeter Diodorum, Plutarchum, Thucydidem Cornelius etiam Nepos, aliique plures teſtantur; ideoque, ſi Themiſtocles Neoclis filius Archon fuit dum Piraeei munitio primum ſuſcepta fuerat, ipſius principatus, ac Thucydidis verba ad Olympiadem LXXI. referri certe non poterunt. Id optime profecto

vidit

vidit Lydiattus [1], qui Themistoclem Marathoniae pugnae tempore, sive anno 3. Olymp. LXXII. adhuc iuvenem fuisse dicit, quippe qui vix 35. aetatis annum attingeret; ideoque Olympiade LXXI. contra Solonis leges supremam illam Athenis dignitatem obtinere non potuisse. Accedit etiam quod cum in Olympicis deinde ludis Themistocles Cimonis aemulus foret, Themistocles ipse adhuc, Plutarcho teste [2], ignobilis erat, quod fieri certe non poterat si Eponymi Archontis munere perfunctus esset. Denique sub Adimanto anno 4. Olymp. LXXV. Themistocles Athenis Choragus fuit: quod argumento certe esse poterit nondum supremam in Patria dignitatem illum obtinuisse. Itaque Themistoclem illum, qui a Sigonio, & Anonymo Olympiade LXXI. memoratur, non alium fuisse putat Lydiattus quam Themistoclem Neoclis fratrem, adeoque Themistoclis imperatoris patruum: cumque superiora tamen Thucydidis verba de Eponymi Archontis imperio intelligenda fore arbitretur, Themistoclem quoque Neoclis filium inter Eponymos recensendum esse contendit, ipsumque anno 4. Olymp. LXXV. in Fastis adscripsit; ac si Piraeei constructio, quae anno 3. Olymp. LXXV. *Adimanto* Archonte suscepta iam fuerat, anno sequenti *Themistocle* Athenis Archonte fuerit absoluta. Ea vero de caussa veterem illum Thucydidis Scholiastem Themistoclis huius imperium *ante Medica*, sive Marathoniam, ac Salaminiam pugnam retulisse putat Lydiattus, quod Themistoclis ille nomen in Fastis ad Olymp. LXXI. annum 4. offenderit, ideoque Themistoclis imperatoris principatum ad annum illum, sive ante Medica referendum esse temere existimaverit.

Ego vero Themistoclem quidem illum, qui Olymp. LXXI. Fastis inscribitur Eponymum Athenis Archontem fuisse non fluxa Anonymi, sive Scaligeri autoritate, sed gravissimo potius Dionysii testimonio fretus concesserim; Themistoclem tamen alterum Neoclis filium inter Pseudeponymos enumerandum, ideoque ex Archontum Fastis expungendum esse putaverim. Ac certe quod anno 4. Olympiadis LXXI. Themistocles quidam Eponymus Athenis Archon fuerit, diserte scribit Dionysius Halicarnassaeus Lib. VI. c. 34. παραλαμβάνουσι τὴν ὑπατικὴν ἀρχὴν Αὖλος Οὐιργίνιος Μοντάνος, καὶ Τι. Οὐετού-

 ριος

(1) Ad Marm. Oxo. Pag. 76. (2) In Themist.

ριος Γέμινος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Θεμιςοκλέυς, ἑξηκοςῷ κ̧ διακοσιοςῷ μετὰ τὴν κτίσιν ἔτει, μελλύσης εἰς τυπίον τῆς ἑβδομηκοςῆς κ̧ δευτέρας ὀλυμπιάδος ἣν ἐνίκα δέυτερον Στησικράτης Κροτωνιάτης *creati ſunt Conſules Aulus Virginius Montanus, & Titus Veturius Geminus Archonte Athenis Themiſtocle anno ab V. C. ducenteſimo ſexageſimo inſtante in ſequentem* annum *ſeptuageſima ſecunda Olympiade, qua Tiſicrates Crotoniates vicit iterum*. Conſules iſti, ut optime obſervavit Dodvellus [1], inierunt anno 4. Olymp. LXXI. iam affecto; ideoque Conſulibus ipſis iam magiſtratu fungentibus Olympias LXXII. erat incaeptura: ut proinde conſularis anni principium hoc loco olympici anni initium praeceſſerit: cum tamen alibi apud Dionyſium ipſum olympici anni principium ſemper conſularis anni initium preecedat; ſive Dionyſius V. C. annum ineuntem cum anno olympico non incaepturo, ſed iam affecto, ſive labente coniungat. Et ſane Themiſtocles Archon ille nonniſi ad annum 4. Oly. LXXI. ex Dionyſii calculo referri poteſt, cum Dionyſius ipſe Lib. VI. c. 49. aperte dixerit anno 1. Olymp. LXXII. *Diognetum* Athenis Archontem fuiſſe, *Hybrilidem* Archontem alium anno 2. eiuſdem Olympiadis collocaverit.

Itaque mirari iam ſubit quod eximium hunc Dionyſii locum Meurſius, ac Lydiattus praeterierint; ac Dodvellus ipſe, qui integrum illum exſcripſit in Chronologia Dionyſiana, in contexenda tamen Archontum ſerie Themiſtoclem ex Lydiatti hypotheſi in exeunte anno 4. Olymp. LXXV. & ineunte 1. Olymp. LXXVI. collocaverit; ſimulque Themiſtoclem iſtum ad annum 3. & 4. Olympiadis LXXI. retulerit, atque anno 1. & 2. Diognetum inſeruerit: perinde quaſi exeunte anno 4. Olymp. LXXI. & ineunte 1. Olymp. LXXII. inter Themiſtoclem, atque Diognetum Archon alius admitti debeat; cum tamen ex perſpicuo Dionyſii loco manifeſtiſſime demonſtretur quod Themiſtocles ille Archon fuit exeunte anno 4. Oly. LXXI. & ineunte 1. Oly. LXXII., ut ipſe quoque Dodvelli calculus, & obſervatio requirit. Atque iſta quidem de Themiſtocle illo veteri differenda fuerant, ut ipſius ἀρχὴ *principatus* perſpicuo certoque teſtimonio oſtenderetur, ipſiuſque ſedes Meurſio incognita, atque a Dodvello temere conſtituta accuratiſſime definiretur.

Quod

(1) In Chronol. Dionyſ.

Quod vero Themiſtocles alter Neoclis filius, atque Athenienſium imperator nunquam Eponymus Athenis Archon fuerit, perſpicue, ut opinor, ex ſuperioribus Thucydidis, Plutarchi, Diodori, aliorumque verbis inferri poteſt. Et enim, ſi Themiſtocles ipſe Archon fuit cum Piraeei conſtructio ſuſcepta fuit, principatus ille in ea tempora, vel annos incidit, quibus Archontum Faſti pleni ſunt, nulluſque proinde locus inter Eponymos eſſe poteſt, qui Themiſtocli concedatur. Certe Plutarchus [1] aſſerit Piraeeum muniri caeptum poſt Plataeenſem victoriam ἐκ δὲ τούτου τὸν Πειραιᾶ κατεσκεύαζε *deinde vero Piraeeum apparavit*; ſicuti Diodorus [2] aperte docet quod Athenienſes *poſt victoriam ad Plataeas acquiſitam ſtatim ad inſtauranda Urbis maenia opes, atque operam contulerunt* Archonte Athenis *Timoſthene* anno 3. Olymp. LXXV. Piraeei vero munitionem anno proximo *Adimanto* Archonte ſuſceperunt. Itaque Themiſtocles anno 4. Olymp. LXXV. Archon fuit, cumque ex Diodoro, ſimulque Dionyſio eiuſdem anni 4. Eponymus Athenis Archon *Adimantus*, anno ſequenti 1. Olymp. LXXVI. *Phaedon* in Faſtis occurrat, Themiſtocles ipſe nonniſi Pſeudeponymus haberi debet, ideoque ex Faſtis expungendus erit; cum inter Adimantum, atque Phaedonem prorſus immerito a Lydiatto inſertus ille fuerit, ut Diſſert. IX. oſtendetur. Ac certe quod in ipſis Eponymorum Archontum Faſtis unus ille Themiſtocles adſcriptus eſſet, qui *ante Medica*, vel Olympiade LXXI. imperavit, ſatis ut opinor oſtendit Thucydidaei Scholiaſtis error a Lydiatto obſervatus. Etenim, ſi Scholiaſtes ille Themiſtoclis ἀρχὴν *principatum* a Thucydide memoratum ante Medica, ſive Olympiadem LXXII. ideo retulit, quod *Themiſtoclis* Archontis nomen in Faſtis ad Olymp. LXXI. viderat, perſpicuum eſt certe quod in Faſtis illis Themiſtoclis alterius nomen Olymp. LXXV. minime reperiebatur; alioquin Scholiaſtes ipſe errandi occaſionem ex Faſtis illis arripere non potuiſſet. Ceterum quocumque demum ex fonte Scholiaſtis error profluxerit, ut Themiſtoclem Neoclis filium ante Medica imperaſſe diceret, perſpicuum eſt tamen quod Themiſtocles ille poſt Medica, atque Olympiade LXXV. Eponymus eſſe non potuit.

Itaque mirari quis poterit cur in definiendo Themiſtoclis Archontis anno Meurſius non modo ſibi non conſtet, ſed

(1) In Temiſt. (2) Lib. XI. c. 29.

insignem quoque Diodori locum immerito sollicitaverit. Etenim in Libro II. c. 1. *de Archontibus Atheniensium* cum Themistoclem anno 4. Olymp. LXXI. Fastis inscriberet, Piraeei constructionem eodem anno, & Archonte factam memoravit. Deinde vero cum Piraeei munitionem ab anno 2. Oly. LXXV. divelli non posse intelligeret (1), ad annum ipsum Themistoclem Archontem transtulit: cumque in Diodori, & Anonymi Fastis anno 2. Olymp. LXXV. *Timosthenis* Archontis nomen inspiceret, utrobique rescribendum esse putavit *Themistocles*. At in Scaligeri, Diodorique textu nihil omnino mutandum esse non modo plurima ostendunt, quae paullo superius exposui; sed ipsa quoque Marmoris Oxoniensis verba, quibus Eponymus ille, qui Xantippo successit, atque Adimantum praecessit, adeoque anno 2. Olymp. LXXV. imperavit *Timosthenes* appellatur: Α῎ρχοντος Ἀθήνησι Τιμοσθένους (2) *Archonte Athenis Timosthene*.

X.

Aristides.

Aristidem iustitia, bellicaeque virtutis gloria celeberrimum post Marathoniam pugnam Archontis Eponymi dignitatem Athenis obtinuisse nitide, diserteque tradit Plutarchus (3); ideoque Aristidis nomen anno 3. Olymp. LXXII. optime a Meursio, Lydiatto, Dodvello, aliisque Fastorum Scriptoribus, Fastis ipsis inscribitur, quamvis Demetrius Phalereus Aristidis principatum, Plutarcho teste, post Plataicam pugnam, adeoque annum 1. Oly. LXXVIII. transtulerit. Ita nimirum Plutarchus: μετὰ Φαίνιππον ἐφ᾽ ὧ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἐνίκων, εὐθὺς Α᾽ριστείδης Α῎ρχων ἀνεγέγραπται . . . καίτοι φησὶν ὁ Φαλερεὺς Δημήτριος ἄρξαι τὸν ἄνδρα μικρὸν ἔμπροσθεν τοῦ θανάτου, μετὰ τὴν ἐν πλαταῖς μάχην: *post Phaenippum, quo* Archonte *Marathonio bello vicerunt* Athenienses, *repente Aristides inscribitur . . . quamvis Demetrius Phalereus asserat illum paullo ante mortem, post Plataicam pugnam Archontem fuisse*. Itaque de Aristidis Archontis anno apud veteres Scriptores ipsos dissidium fuit; quemadmodum alii Aristidem ipsum sortis suffragio, aliorum Archontum instar, electum esse putarunt; alii vero, Idomeneo auctore, solo Populi suffragio dignitatem hanc illi tributam esse dixerunt,

(1) De Arch. Ath. Lib. II. c. 9. & in Piraeeo c. 2. (2) Epoch. 54. Lin. 69. (3) In Aristide.

runt, ut ex Plutarcho Dissert. I. Num. 15. iam monui. Ut dissidentes illas Scriptorum sententias Lydiattus componeret, Aristidem semel iterumque Archontem fuisse putavit; ideoque anno 3. Olymp. LXXII. iterumque anno 1. Olympiad. LXXVIII. Aristidis nomen Eponymorum Fastis inscripsit.

Doctissimi tamen Viri coniecturam probari vix posse putaverim; cum anno 1. Olymp. LXXVIII. *Phaedonis* nomen tanquam Archontis Eponymi in Diodori Fastis occurrat; ut proinde Lydiattus ipse *Aristidem*, atque *Phaedonem* veluti duos unius, eiusdemque anni Eponymos Fastis inscripserit. Itaque licet Aristidem Olympiade LXXVIII. Archontem fuisse ex Demetrii, simulque Plutarchi testimonio concedatur; dissidentes tamen illas Scriptorum sententias alia prorsus ratione componendas esse putaverim; ut ille nimirum post Plataicam pugnam inter Novemviros non sorte, sed Populi plausu cooptatus Polemarchi fortasse munus obierit, sed Eponymus tamen Archon non fuerit. Ita perspicuum certumque fiet Aristidis nomen nunquam in Fastis, nisi post *Phaenippum*, occurrere quod Plutarchus asseruit; simulque tamen Demetrio concedetur, quod Aristides paullo ante mortem imperaverit; quod facile fieri potuisse Plutarchus ipse testatur: καὶ μὴν ἄρξαιγε τὶν Ἀριστείδην ὁ Ἰδομενεὺς οὐ κυαμευτὸν, ἀλλ᾽ ἑλομένων Ἀθηναιων φησίν. εἰ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἐν Πλαταῖς μάχην ἦρξεν, ὡς αὐτος ὁ Δημήτριος γέγραφε, καὶ πάνυ πυθανόν ἐστιν ἐπιδόξῃ τοιαύτῃ, καὶ κατορθωμασι τιλικούτοις ἀξιωθῆναι δὶ ἀρετὴν, ἧς διὰ πλοῦτον ἐτύγχανον οἱ λαμβάνοντες. *Aristidem Idomeneus non sorte, sed suffragiis electum ab Atheniensibus imperasse dicit. Si vero etiam post Plataeensem pugnam Archon fuit, ut ipse Demetrius scripsit, & valde probabile est tanta gloria, & tot rebus praeclare gestis clarum, habitum fuisse dignum eo honore ob virtutem, quem alii propter divitias adepti sunt.*

Video quidem hic a Demetrio Aristidem veluti Eponymum memorari; ut optime proinde Plutarchus ad Eponymorum Fastos provocaverit, ut contra Demetrium ipsum ostenderet Aristidem post Plataicam pugnam Archontem non fuisse. Verum Demetrii autoritas aut Diodori, aut illorum Scriptorum Fastis, quos Plutarchus inspexerat, praeferri certe non poterit; atque in Demetrii Anagraphe, sive Archontum serie error fortasse irrepsit: sive quod Aristidis nomen

pro-

proximo poſt Plataicam pugnam anno in Faſtos retulerit, cum tamen ille poſt Marathoniam imperaverit; ſive quod Ariſtides Archon quidem poſt Plataeenſe bellum fuerit, atque Archon ſolum a Demetrio nominetur, id vero vel Demetrius, vel Plutarchus ipſe de Eponymo intelligendum eſſe temere exiſtimaverit; quemadmodum certe Plutarchus Chaerondam veluti Eponymum nobis exhibuit, qui tamen Pſeudeponymus haberi debet, ut Num. 23. mox oſtendetur.

XI.

Myronides.

Ariſtophanes *in Concionant.*

. . . . ἀλλ' ὀχί, Μυρωνίδης
Ὅτ' ἦρχεν ὁ γεννάδας, ὀδεὶς ἂν ἐτόλμα
Τὰ τῆς πόλεως διοικεῖν, ἀργύριον φέρων.

. . . . sed non, Myronides
Cum praefuit ille generoſus, ullus utique audebat
Rempublicam procurare argentum ferens.

Meurſius apud Gronovium in Praefatione ad Tom. IV. Graecarum Antiquitatum citato hoc ipſo Ariſtophanis teſtimonio Myronidem iſtum Eponymum Athenis Archontem fuiſſe, dicit, adeoque Eponymorum Faſtis adſcribit. Niſi tamen mea me fallit opinio, Myronides iſte ex Faſtis expungi, atque in Pſeudeponymis haberi debet. Siquidem Myronides ille hic ab Ariſtophane memoratus non alius eſſe videtur, quam Myronides Calliae filius, qui Olympiade LXXX. Athenienſium imperator egregias adeo victorias eſt conſequutus ut Miltiadis, Themiſtoclis, aliorumque gloriam ſuperaſſe videretur, ut fuſe deſcribit Diodorus Libro XI. c. 81., idque mirifice confirmari poſſe putaverim veteris Scholiaſtae teſtimonio, qui ad illa Comici verba notavit Μυρωνίδης τῶν εὐδοκιμέντων ὅτος ὁ ϛρατηγός *Myronides iſte ex Ducibus illuſtribus* fuit. Sed clarius & uberius id etiam ex alio Ariſtophanis loco deducitur *in Lyſiſtrata* ubi Myronidis eiuſdem mentio reperitur

= Καὶ

= Καὶ Μυρωνίδης γὰρ ἦν
= Τραχὺς ἐντεῦθεν, ...
. . . . τοῖς ἔχθροις ἅπασιν,
= Ὡς δε καὶ Φορμίων.

Nam Myronides etiam erat
Hostibus omnibus timendus
Ut etiam Phormion

Ubi vetus ille Scholiastes ait: Μυρωνίδης, καὶ Φορμίων δύο Ἀθηναίων στρατηγοὶ αγαθοίτε, καὶ ἀυστηροί. *Myronides, & Phormion duo Athenienfium Duces probi, aufterique*. Itaque, si Myronides ille ab Aristophane laudatus Στρατηγὸς *Dux* fuit, inter Novemviros haberi, multoque certe minus Eponymus Athenis Archon existimari non poterit; cum praesertim accuratissimus Scholiastes ille ubi Atheniensis Archontis alicuius nomen in Comico reperiret, semper ipsius dignitatem nitide exprimere, ipsumque Athenis Archontem vocare consueverit, ut in *Aminia*, *Lacratide*, aliisque pluribus observatur, quorum nuda quidem nomina ab Aristophane memorantur, sed Scholiastes, Fastos, ut opinor, prae oculis habens, illos Archontes esse observavit. Accedit etiam quod si Myronides ille ab Aristophane memoratus circa Olympiadem LXXX. floruit, iis nimirum temporibus, quibus ab Olympiade LXX. Eponymorum Archontum Fasti pleni sunt, nullus ipsi inter Eponymos Archontes locus iam esse poterit; ideoque, si vere Archon fuit, inter Pseudeponymos solum haberi ille potest. Ac certe, nisi plurimum fallor, Myronides ille, qui ab Aristophane, ipsiusque Scholiaste describitur, unus idemque fuit, qui in Megarensi bello anno 3. Olymp. LXXX. Atheniensium imperator, sive Strategus fuisse dicitur, ut Differt. IV. Num. 5. observavi; adeoque ipsius aetas, ac tempora, quibus imperium obtinuit, definiri facile poterunt. Myronidis autem huius, aliorumque etiam nomen ideo in Dodvelli serie desideratur, quod Dodvellus Archontes illos, qui ex Meursii autographo in Praefatione Tomi IV. a Gronovio sunt editi, minime inspexerit.

XII.

Agyrrhius.

Andocides in Oratione *de Mysteriis*: Α'γυῤῥιος γὰρ ὑτοσὶ ὁ καλὸς, κἀγαθὸς Α'ρχων, εἷς ἐγένετο τῆς πεντηκοςῆς τρίτον ἔτος, *Agyrrhius enim iste probus, honestusque Archon unus fuit quinquagesimae* exactor *in tres annos*.

Meursius Lib. IV. c. 20. citato hoc Andocidis testimonio Agyrrhium istum Eponymum fuisse putat, ideoque Fastis adscribit; atque in *Lectionibus Atticis* Lib. V. c. 28. Agyrrhium ipsum πεντηκοςόλογον fuisse dicit, sive *quinquagesimae exactorem*, quod Palmerio [1] quoque probatur Cumque Agyrrhii nomen apud Diodorum Lib. XIV. c. 100. Isocratem in *Trapezitic.* Aristophanem in *Concion* & *Pluto*, Demosthenem in *Timocrat.* Suidam, & Harpocrationem reperiatur, Meursius in *Lect. Atticis* Lib. VI. c. 4. unum, eundemque fuisse putat Agyrrhium, qui a Scriptoribus illis omnibus memoretur. Mihi vero suspicio suboritur quod Agyrrhius iste ab Andocide memoratus ab illo distingui debeat, qui ab Aristophane nominatur. Siquidem Agyrrhius ille, de quo Diodorus, & Xenophon quoque Lib. IV. loquitur, probatissimae virtutis fuit; atque Agyrrhius etiam ille, qui ab Andocide hic nominatur, καλὸς κἀγαθὸς Α'ρχων *probus, honestusque Archon*, vel *Magistratus* vocatur Agyrrhius autem ille, de quo Aristophanes, perditis moribus fuisse dicitur, ideoque liberius a Comico vituperatur.

Ceterum, sive unus idemque fuerit Agyrrhius iste, sive diversus, qui a Scriptorum illorum singulis memoratur, perspicuum est tamen contra Meursii, simulque Dodvelli sententiam quod Agyrrhius ille, de quo Andocides loquitur, Eponymus Athenis Archon esse non potuit. Integer enim Orationis contextus, ac superiora Andocidis verba nitide ostendunt quod Agyrrhius ipse tunc Archon fuit cum Oratio illa habebatur, ut proinde Andocides illum veluti praesentem indigitaverit. Itaque, cum Andocides ipse circa Olympiadem XC. floruerit, eamque Athenis Orationem habuerit, Agyrrhius ipse Archontis munere iis temporibus perfunctus erit, qui-

(1) Exercit. Pag. 668. ad Andocid.

quibus Eponymorum Archontum Fasti ab Olympiade LXX. pleni sunt, ideoque Fastis adscribi, vel Eponymus esse non poterit. At, nisi plurimum fallor, nec inter Novemviros quidem Agyrrhius ille ab Andocide memoratus haberi poterit. Suspicor enim Agyrrhium hunc unum eundemque fuisse cum Agyrrhio Colyttensi, quem Demosthenes ἄνδρα χρηστὸν, καὶ δημοτικὸν, καὶ περὶ τὸ πλῆθος πολλὰ σπουδάσαντα: *virum humanum, & popularem, plebisque commodorum studiosissimum* appellat; simulque publicae Civitatis pecuniae ministrum fuisse testatur. Nec ab illo certe distingui poterit, quem pecuniae publicae civibus distribuendae auctorem fuisse dicit Harpocration [1] διανομῶν, ὧν πρῶτος ἦρξατο Ἀγύρριος ὁ δημαγωγός *distributionum, quibus primus praefuit Agyrrhius Demagogus*: Itaque non Agyrrhium ab Aristophane vituperatum, sed Agyrrhium potius a Demosthene, Andocide, & Xenophonte laudatum describere videtur Scholiastes cum ait: Ἀγύρριος στρατηγὸς ἄρξας ἐν Λήμνῳ, καὶ τὸν μισθὸν δε τῶν ποιητῶν, συνέτεμε, καὶ πρῶτος ἐκκλησιαστικὸν δέδωκεν *Agyrrhius Strategus, qui in Lemno imperavit, ac mercedem Poëtarum imminuit, primusque concionalem pecuniam dedit*: nisi fortasse unus idemque Agyrrhius a ceteris merito laudatus ideo ab Aristophane traduci potuerit, quod ille mercede solita Poëtas *genus irritabile* fraudaverit. Ergo *magistratus* ille, vel ἀρχὴ, quae Agyrrhio ab Andocide tribuitur, non ad Novemvirorum dignitatem, sed aut ad bellicam in Lemno, aut ad theatralem, concionalemve pecuniam referri debet; cum certe pecuniae civibus ad spectacula, & conciones distribuendae Archon, vel Magistratus quidam praeficeretur, ut ex Aeschine [2], aliisque pluribus demonstratur.

Quid vero si Agyrrhium illum neque Eponymi Athenis; neque Strategi in Lemno, sed Regis potius munere in Dionysii Festis perfunctum fuisse, ideoque Scholiastae locum in mendo cubare quis dixerit? Certe quamvis Agyrrhii, vel Andocidis aetate Lemnus Insula Atheniensium ditioni subiecta foret [3], atque in Insulis illis, quae Atheniensium imperio suberant, Archontes, vel Magistratus eligerentur, qui in illis imperarent, ut ex Thucydide [4] deprehendi, non video tamen qui Agyrrhius iste στρατηγὸς ἄρξας ἐν Λήμνῳ *Strategus in*

 Lem-

(1) In Theorica. (2) Orat. adver. Ctesiph. (3) Vid. Athen. Lib. VI. Herod. VI. & Aeschyl. in Persis. (4) Lib. I. c. 115. vide infra Num. 32.

Lemno praefectus appellari potuerit, simulque repente subdit quod καὶ τὸν μισθὸν δὲ τῶν ποιητῶν συνέτεμε *ac mercedem Poëtarum imminuit*: perinde quasi Lemni Praefectus, aut Strategus distribuendae Poëtis pecuniae praesideret. Itaque suspicor non ἐν Λήμνῳ *in Lemno*, sed ἐν Ληναίῳ *in Lenaeo* legendum esse; ut nempe exprimatur Agyrrhium ipsum in Lenaeo certamine, seu Festo, quo Poëtae certare, victorique merces solvi consueverat, praefuisse (1) debitamque Poëtis ipsis mercedem tunc imminuisse. Certe qui Ludis, Festisque praeerat, is ἄρχειν, *imperare* dicebatur: unde Philostratus de Rufo dixit: τῆς τῶν Πανελληνίων Ἀθήνησιν εὐκλεῶς ἦρξε (2) *Athenis in Panathenaeis magnifice praesedit*: quod facile pluribus exemplis aliis ostendi posset. Quod si non in Lemno, sed in Lenaeo solum Festo Agyrrhius praefuerit, ut coniecturae innixus existimo, perspicuum fiet ipsum inter Novemviros non Eponymi, sed *Regis* potius munere perfunctum esse: cum, Polluce teste (3), Lenaea, aliaque id genus Festa curare, ipsisque praeesse Regis foret.

XIII.

Ctesicles.

Meursius Lib. IV. c. 12. ubi de Ctesicle accurate disserit, qui anno 3. Olymp. CXI. Archon fuit, repente subdit = *Est & mentio Ctesiclis cuiusdam Archontis apud Lysiam in Orat.* ὑπὲρ τῶ Στρατιώτω. Οἱ δὲ μετὰ Κτησικλέως τῶ Ἄρχοντος, ἀπεγγείλαντός τινος ὡς ἐγὼ λοιδοροῖμι, τῶ νόμω ἀπαγορεύοντος, ἐάν τις ἀρχὴν ἐν συνεδρίῳ λοιδορῇ παρὰ τὸν νόμον, ζημιῶσαι ἠξίωσαν *illi, qui a Ctesicle Archonte stabant, renunciante quodam me conviciis non abstinere (cum lex vetaret Magistratui in ipso Senatu convicium facere) multare me voluerunt, sed non potest iste esse; siquidem tunc Lysias annos fuisset natus centum, & viginti ... sine dubio aliquis fuerit, qui aetate ipsius Lysiae eo magistratu functus alio nomine apud Diodorum Siculum nuncupatur.*

Quod Ctesiclem istum a Lysia memoratum ipsi coaevum fuisse dixerit Meursius, ideoque ab alio Ctesicle distinguendum, laudari, probarique maxime debet. Quod vero Meursius ipse, ac Dodvellus etiam Ctesiclem istum, alterius instar, Epo-

(1) Hesych. in ἐπὶ Ληναίῳ (2) Vita Sophist. Lib. II. Num. 17. (3) Lib. VIII. sect. 90.

Eponymum Athenis Archontem fuisse, alioque nomine a Diodoro appellari putaverit, omnino refelli debet; cum nulla certe mendi suspicio, vel erroris occasio esse possit. Superiora sane Lysiae verba non de Archonte solum Eponymo, ut existimavit Meursius, sed de Stratego quoque, vel alio quolibet Magistratu intelligi possunt; ut ad solum proinde Eponymum referri non debeant. Itaque Ctesicles ille fortasse non Archon fuit, sed alterius potius generis ἀρχὴν *magistratum*, quicumque ille fuerit, Athenis obtinuit; & quamvis etiam Novemvirorum unus, vel Archon fuisse dicatur, inter Eponymos tamen haberi, ideoque Fastis adscribi non poterit; sed Polemarchi potius munere perfunctus erit; ut militi proinde infensus esse, atque ab illo contumeliis affici potuerit.

XIV.

Nicias.

Plutarchus *in Nicia* = Ἄρχων μὲν ἐν τῷ στρατηγίῳ διετέλει μέχρι νυκτός: *dum Archon esset in praetorio ad noctem usque perseveravit*. Meursius eiusmodi Plutarchi testimonio deceptus Niciam istum inter Eponymos habendum esse putavit Lib. IV. c. 20. ipsumque Dodvellus etiam Eponymorum Archontum Fastis adscripsit. Cum tamen Nicias ille celebris Atheniensium Imperator circa Olympiadem XC. floruerit, iis nimirum temporibus, quibus Archontum Fastos plenos esse conspicimus, inter Eponymos ille censeri non poterit; sed Pseudeponymis potius aliis adiungi debet. Et certe superiora Plutarchi verba non aliud innuere videntur nisi quod Nicias inter Novemviros cooptatus, cum Archontibus aliis in στρατηγίῳ *praetorio* morari consueverat; in quod non Eponymus solum, sed Archontes omnes convenire debebant, ut pluribus Veterum testimoniis ostendi posset, atque Meursius ipse Lib. I. c. 9. ex hoc ipso Plutarchi loco demonstravit. Ceterum haec ipsa fusius, atque opportunius Differt. I. num. 23 exposui, ubi de Eponymi Archontis sede, vel tribunali contra Meursium disputavi.

XV.

Calamio.

Cum Aeſchines in Oratione *De Falſa Legatione* Ἐννέα Ὁδοὺς *Novem Vias*, hoc eſt *Amphipolim*, memoraſſet, ineditus quidam Aeſchinis Scholiaſtes a Dodvello citatus adnotavit Athenienſes apud Amphipolim novies ſuperatos, vel adverſa fortuna uſos eſſe; cumque octavam cladem *Timocrate Archonte*, hoc eſt anno I. Olymp. CIV. contigiſſe dixiſſet, ſubdit: ἔννατον Τιμόθεος ἐπιστρατεύσας ἡττήθη ἐπὶ Καλαμιῶνος Ἄρχοντος: *nona vice* cum *Timotheus exercitum ducens ſuperatus eſt Calamione Archonte*. Itaque doctiſſimus Dodvellus, qui *Calamionem* hunc ceteris omnibus ignoratum in lucem extulit, ipſum in alphabetica Archontum ſerie poſt annum I. Olymp. CIV. hoc eſt poſt Archontem *Timocratem* imperaſſe dicit, nullibi tamen definiens an inter *Eponymos*, vel *non Eponymos* haberi ille debeat.

At, ſi Timotheus iſte, qui Athenienſium imperator *Calamione Archonte* fuiſſe dicitur, fuerit eximius ac illuſtris ille Timotheus Diodoro, Nepoti, ceteriſque Scriptoribus omnibus memoratus, ut ipſa temporum ſeries innuere, vel poſtulare videtur, dubitari certe non poterit quin Calamio inter Pſeudeponymos ſolum haberi debeat; cum Timothei ipſius aetate Eponymorum Faſti pleni ſint, adeoque Calamioni locus inter Eponymos eſſe nequeat. Itaque ſuſpicor Calamionis principatum, ad Olympiadem CV. neceſſario referendum eſſe, cum Timotheus anno I. Olymp. CVI. in iudicium vocatus, imperioque militari, quod hactenus obtinuerat, ſpoliatus fuerit. Cum vero Amphipolis a Philippo Macedone *Cephiſodoro* Athenis Archonte, hoc eſt anno 3. Olymp. CV. expugnata fuerit, ut diſerte ſcribit Diodorus (1), tunc facile Athenienſes, qui Amphipolim ſibi vindicare nitebantur, a Rege propulſari, adverſaque fortuna militare potuerunt; adeoque Calamionis Archontis annus ad annum illum ſpectaret. Fieri etiam potuit ut Calamionis annus, atque Athenienſium clades, vel infortunium in annum I. Olymp. CV. inciderit, quo Diodoro ipſo teſte, Athenienſes Amphipolim recuperare nitebantur-

(1) Lib. XVI. c. 8.

tebantur; ut proinde *Calamio* cum *Callimede* concurrat. Denique, ne hic quidpiam diſſimulem, fortaſſe Archon unus idemque eſſe potuit, qui a Diodoro, Dionyſioque *Callimedes*, a Laertio *Callidemides*, atque ab Aeſchinis Scholiaſte *Calamio* vocatus fuit, ideoque Calamio non inter Pſeudeponymos hic recenſeri; ſed cum Eponymo *Callimede* confundi poterit.

XVI.

Demonicus.

Demoſthenes in Oratione *De Corona* ſequens Decretum exhibet: Α'ρχων ἦν Δημόνικος Φλυεὺς Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ μετ' εἰκάδα ὅτε γνώμῃ βυλῆς, καὶ δήμυ Καλλίας Φρεάῤῥιος εἶπεν ςεφανῶσαι Ναυσικλέα τὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων [1]. *Archon erat Demonicus Phlyeus viceſima ſexta Boëdromionis* die *cum de Senatus, ac Populi ſententia Callias Phrearrhius retulit coronandum eſſe Nauſiclem armorum Praefectum*.

Demonicum iſtum velut Eponymum Faſtis adſcribit Meurſius Lib. IV. c. 20. Sed ex Eponymis expungendum eſſe, vidit Palmerius [2], ac Dodvellus etiam Demonicum, aliorum Archontum inſtar, qui hic a Demoſthene memorantur, fortaſſe non Eponymum eſſe putavit [3]. Uterque tamen coniecturis ſolum innititur, quod nempe, ut opinor, Demonicus iſte Archon fuerit annis illis, quibus ab Olymp. LXX. ad CXX. Eponymorum Faſti pleni ſunt, ideoque nullus Demonico locus inter Eponymos eſſe poſſit; neque tamen Archontis huius aetas aut a Palmerio, aut a Dodvello explorata fuit.

Ex integro tamen Orationis contextu facile definiri poterit; ideoque nitide oſtendi, quod Demonicus Archon ille Pſeudeponymus eſſe debet. Siquidem narrat ibi Demoſthenes quod Archonte Demonico corona Decreta fuit Nauſicli armorum Praefecto dum Athenienſes in Imbro obſidebantur. Itaque cum Imbrus a Philippo Macedonum Rege obſeſſa fuerit [4] anno 3. Olymp. CV. tunc facile Decretum illud ab Athenienſibus editum cenſeri poterit.

Acce-

(1) Pag. 329. (2) Exercit. Pag. 625. ad Demoſth. (3) Diſſer. III. ſect. 40. (4) Diod. Lib. XVI. c. 8.

Accedit etiam quod Nausicles ille, cui corona decreta fuit, unus idemque videtur esse cum Nausicle Demosthenis ipsius coaevo ac familiari, qui saepius a Plutarcho memoratur (1). Addi etiam poterit quod ab eodem *Callia Phrearrhio* corona decreta dicitur Charidemo, qui cum legionibus Salaminam missus fuerat. At Charidemus ille classem in Hellespontum duxisse legitur *Callimacho* Athenis Archonte, idest anno 4. Olymp. CVII. (2) atque a Demosthene (3) Navarchus fuisse dicitur Boëdromione mense antequam Olynthus a Philippo vinceretur, hoc est anno 1. Olymp. CVIII. ac demum in Perside occisus fuit (4) anno 4. Olymp. CXI. Ergo Charidemus, & Nausicles, quibus ab uno, eodemque Callia corona decreta fuit, eadem Demosthenis aetate floruerunt; ideoque Demonicus etiam ipsa Demosthenis aetate Archon fuit: ut proinde Eponymus existimari non possit, sed Pseudeponymis accenseri debeat.

Illud postremo observasse iuverit quod corona, quae Charidemo, simulque Diotimo decreta dicitur, *Panathenaeis magnis* (5) publicata fuit, ideoque paullo ante ipsorum Panathenaeorum festum decreta videtur. Itaque, cum Panathenaea magna singulis quadrienniis celebrarentur, atque in tertium cuiuslibet Olympiadis annum inciderent, facile tempus, quo Charidemo, ceterisque corona tributa fuerit, accuratius adhuc constare poterit.

XVII.

Mnesiphilus.

Mnesiphilus Archon iste bis a Demosthene memoratur in Oratione *De Corona* (6) ubi duo Psephismata, sive Decreta exhibentur *Mnesiphilo* Archonte facta; unum quidem 30. die Hecatombaeonis, alterum vero 21. Maemacterionis die, dum Phocensium clades Athenis audita fuit. Utrumque vero Decretum illud exhibui Differt. III. num. 16. simulque perspicuis argumentis ostendi quod in utroque Decreto, sive Demosthenis loco, mendum reperitur, atque ex ipso Orationis contextu manifestissime demonstravi quod utrumque Decretum

(1) In Vita Demosth. & X. Rhet. in Demost. (2) Diony. Hal. Ep. ad Am. (3) Olynth. III. (4) Diod. Lib. XVII. c. 30. (5) Demost. de Cor. Pag. 329. (6) Pag. 317. & 318.

tum illud anno 2. Olymp. CVIII. *Themistocle* Athenis Archonte factum fuit, primum quidem circa 20. Elaphebolionis diem, alterum vero 27. Scirrhophorionis die. Itaque, si Mnesiphilus ille Archon fuit anno 2. Olymp. CVIII., quo *Themistocles* in Fastis occurrit, dubitari certe non poterit, quin Pseudeponymus haberi ille debeat; quemadmodum sane Pseudeponymus etiam habendus esset, quamvis Phocensium clades sive Atheniensium faedera cum Philippo non anno 2. Olymp. CVIII., sed anno potius sequenti cum Diodoro (1), simulque Palmerio (2) tribuerentur: semper enim annorum illorum singulis Eponymus in Fastis Archon occurret, ideoque Mnesiphilus Eponymus esse non poterit: ut optime Dodvellus ipse iam viderat, quamvis ipsius aetatem, ac menda, quae in Demosthenis textum irrepserant, minime deprehendisset, ut Dissert. III. num. 16. demonstravi.

XVIII.

Polycles.

Demosthenes in Oratione *De Corona*: Ἐπὶ Ἄρχοντος Πολυκλέους, μηνὸς Βοηδρομιῶνος ἕκτη ἐπὶ δέκα, φυλῆς πρυτανευούσης Ἱπποθοωντίδος, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς εἰσήνεγκε νόμον εἰς τὸ τριηραρχικὸν ἀντὶ τοῦ προτέρου (3). *Archonte Polycle, Boëdromionis mensis decima sexta, Hippothoontide Tribu Prytaniae munus obeunte, Demosthenes Demosthenis Paeaniensis legem trierarchicam veteri substituit*.

Meursius Lib. IV. c. 14. Polyclem istum hic a Demosthene memoratum unum, eundemque fore arbitratur, qui anno 3. Olymp. CXIV. Archon fuit, atque a Diodoro (4) quidem, & Dionysio (5) *Philocles*, ab aliis vero *Diocles* appellatur (6). Sed plurimum profecto fallitur, sibique repugnat. Siquidem Oratio *de Corona*, ut ex Plutarcho (7), Dionysio (8), Theophrasto (9), aliisque pluribus manifestissime demonstratur, ac Meursius ipse testatur eodem Libro IV. c. 13. habita fuit anno 3. Olymp. CXII. *Aristophonte* Athenis Archonte, ideoque *Polycles* Archon ille, qui in ipsa memoratur, ab illo

(1) Lib. XV. c. 60. (2) Exercit. Pag. 135. ad Diodo. Sicul. (3) Pag. 327. (4) Lib. XVIII. c. 26. (5) Epist. ad Am. (6) Schol. Aristoph. (7) In Demosth. (8) Epist. ad Am. (9) Charact. c. 8.

illo manifestissime distingui debet, qui Olympiadis CXIV. anno 3. in Fastis occurrit, & quamvis etiam unus idemque Polycles esse potuerit, qui tum a Demosthene, tum in Fastis nominatur, Decretum tamen illud hic a Demosthene memoratum ad annum 3. Olymp. CIV. eiusque Archontem Polyclem referri non potest.

Quo vero tempore lex illa a Demosthene lata fuerit, quam a Dinarcho (1) quoque memoratam esse conspicio, ideoque Polycles imperaverit, definiri vix potest. Suspicor tamen id circa Olympiadem CIV. contigisse cum de instauranda Atheniensium classe, belloque maritimo ageretur. Cumque lex illa Boëdromionis 16. die, ac Hippothoontide Tribu praesidente lata dicatur, eademque Tribus in altero Decreto, quod *Nicocle Archonte* factum die 30. Boëdromionis conspicitur, praesederit, verisimile est certe quod utrumque Decretum uno eodemque anno editum fuerit, ut una eademque Tribus in Prytaniarum serie, quae omnino fortuita, singulisque annis diversa fuerat, eundem locum occupare, sive uno eodemque mense praeesse potuerit. Itaque cum Nicocles ille anno 3. Oly. CIX. certe Archon fuerit, ut mox ostendetur, Polycles etiam ipse hoc anno imperaverit, quo Eponymus in Fastis Archon occurrit *Sosigenes*, ideoque Polycles ex Eponymis expungi, ac Pseudeponymis adiungi debet. Denique cum Demosthenes ipse fateatur se legem hanc edidisse *ante belli tempus* (2); & bellum ipsum anno 1. Olymp. CX. dirempto faedere, quod Atheniensibus cum Philippo intercesserat, exarserit, fortasse superioris Olympiadis CIX. anno 4. lex edita censeri debet, adeoque Archon Polycles ad annum illum referri. Hinc Dodvellus ipse, qui Polyclem hunc a Demosthene memoratum *forte non Eponymum* fuisse dixerat, prorsus immerito in Archontum serie ad annum 3. Olymp. CXIV. ipsum retulit: ut enim argumenta cetera superius exposita hic omittam, si *Polycles* ad annum illum referri, adeoque cum *Philocle* eiusdem anni Eponymo confundi posset, verius Eponymus quam *non Eponymus* habendus esset.

XIX.

(1) Orat. adv. Demosth. (2) Pag. 328.

XIX.

Neocles

&

XX.

Nicocles.

Apud Demosthenem ipsum in Oratione *De Corona* (1) duo Psephismata nobis occurrunt, quorum unum *Neocle* Athenis Archonte, aliud vero *Nicocle* factum dicitur: Ἐπὶ Ἄρχοντος Νεοκλέους μηνὸς Βοηδρομιῶνος, ἐκκλησίας συγκλήτου ὑπὸ στρατηγῶν συναχθείσης, Εὔβουλος Μνησιθέου Κύπριος εἶπεν ... Ἐπὶ Νικοκλέους Ἄρχοντος Βοηδρομιῶνος ἕνη καὶ νέᾳ, βουλῆς γνώμη Πρυτάνεις, καὶ στρατηγοὶ ἐχρημάτισαν. *Archonte Neocle, Boëdromione mense, concione a Strategis extra ordinem convocata, Eubulus Mnesithei Cyprius dixit .... Nicocle Archonte, trigesima Boëdromionis die, de sententia Senatus Prytanes, ac Strategi retulerunt.*

Meursius Lib. IV. c. 20. Neoclem quidem illum inter Eponymos recenset, incertaeque aetatis fuisse dicit; Nicoclem vero ab alio cognomine distinguendum esse testatur Lib. IV. c. 17. qui post Demosthenis mortem anno 4. Olymp. CXIX. in Fastis occurrit.

Uterque tamen illorum Pseudeponymus esse debuit, atque anno 4. Olymp. CIX. imperavit, quo Eponymus Athenis Archon *Nicomachus* fuit. Siquidem in primo Psephismate, quod *Neocle* Archonte factum dicitur, perspicue memoratur 20. navigia Leodamante Navarcho in Hellespontum ab Atheniensibus missa fuisse, ut inde triticum in Lemnum deferrent, atque illa a Philippo Macedone praedata fuisse; simulque decernitur ut Legati eligantur, qui navigia a Rege repetant. In altero vero Decreto dicitur tres Legatos electos esse, eosdemque infecta re Athenas rediisse: quod Philippus Selymbrianos tunc obsidens caussatus esset eadem navigia ab Atheniensibus missa fore ut Selymbrianis opem ferrent; simulque Regem conquestum esse quod Athenienses pacem, & faedera iam constituta violarent. Eiusmodi vero temporum cha-

(1) Pag. 323.

characteres perspicue satis ostendunt quod haec omnia anno 4. Olymp. CIX. sive 1. Olymp. CX. contigerunt. Quamvis enim Selymbriae obsidio a nullo prorsus, quod ego quidem noverim, Scriptore memoretur, credibile est tamen illam eodem fere tempore contigisse, quo Perinthus Selymbriae finitima obsidebatur. Itaque cum ex Diodoro (1) Perinthus, atque Byzantium anno 4. Olymp. CIX. obsessum fuerint vel anno 1. Olymp. CX. ut Dionysius (2) aperte testatur, eodem etiam anno Selymbriae obsidio, navigiorum rapina, Atheniensium legatio, *Neoclis*, ac *Nicoclis* principatus contigisse debuit.

Accedit etiam quod Dionysius ipse ex Philochoro diserte docet pacem a Philippo *Nicomacho* Archonte, idest anno 4. Olymp. CIX. violatum esse; ideoque Demosthenem tunc XI. Orationem Philippicam recitasse, ut Byzantiis obsessis contra Philippum iam faedifragum auxilia mitterentur: quod Plutarchus etiam in *Demosthenis Vita* testatur. Demosthenes autem ipse (3) variis in locis asserit quod *pacem Philippus solvit navibus captis*. Ergo, si naves illae captae sunt anno, quo *Neocles*, ac *Nicocles* imperarunt, atque navium praeda, pacisque diremptio Nicomacho Archonte, sive anno 4. Olymp. CIX. contigisse debuit, Archontes illi eodem anno imperarunt; ideoque Pseudeponymi censeri debent.

Denique, ne hic quidpiam dissimulem, mihi suspicio suboritur quod unus idemque fuerit Archon ille, qui librarii vitio modo *Neocles*, modo *Nicocles* appellatur. Certe in Aldina Demosthenis editione anni 1554. utrobique *Neocles* appellatur; atque ex ipsa nominum similitudine facile erroris occasio haberi potuit. Atque hinc fortasse factum putaverim ut Dodvellus Neoclem quidem *non Eponymum*, incertaeque aetatis fuisse dixerit; non alium vero *Nicoclem* in Archontum serie memoraverit, quam qui anno 3. Olymp. CXIX. Eponymus a Dionysio ponitur, quamvis Dissert. III. sect. 41. *Nicoclem* a Demosthene memoratum ad Olympiadem CXIX. transferri non posse cum Meursio observasset. Ergo Dodvellus in contexenda Archontum omnium tum Eponymorum tum Pseudeponymorum serie Nicoclis non Eponymi oblitus fuit, aut ipsum cum Neocle, vel Eponymo Nicocle confundendum esse putavit.

XXI.

(1) Lib. XVI. c. 75. 77. (2) Epist. ad Amm. c. 11. (3) De Corona Pag. 322. 323.

XXI.

Nicias.

Demosthenes in eadem ipsa Oratione *De Corona Niciae* cuiusdam veluti Archontis meminit: Αὗται ἀπεδόθησαν αἱ μαρτυρίαι ἐπὶ Νικίυ Ἑκατομβαιῶνος τρίτῃ ἱςαμένυ (1). *Haec testimonia sub Nicia Archonte relata sunt, tertia Hecatombaeonis die*, ubi Meursius Lib. IV. c. 7. corrigendum esse putavit ἐπὶ Ἐλπινίκυ *sub Elpinice*: ut proinde Nicias iste Eponymus Archon fuerit, idemque cum *Elpine*, vel *Elpinice*, qui anno 1. Olympiadis CVI. in Fastis occurrit, quod Meursii vestigiis insistens probavit Dodvellus.

Ego vero nihil in Demosthene mutandum putaverim, ac Niciam istum hic a Demosthene memoratum ab *Elpine* quidem, vel *Elpinice* diversum, sed Pseudeponymum tamen fuisse dixerim. Siquidem ibi Demosthenes asserit quod *Nicia* Archonte testimonia adversus Aeschinem producta sunt, quibus ostenderetur Aeschinem ipsum cum Anaxino Philippi Macedonis exploratore in Thrasonis domo communicasse. Anaxinus autem ille, ut ex Demosthene aperte colligitur, Athenas venit postquam Python Byzantius missus fuerat a Philippo Atheniensibus exprobraturus: quod Amphipoli iam capta, sive post annum 1. Olymp. CV. contigisse Demosthenes ipse testatur in Oratione *de Halonneso*; atque Olympiade solum CIX. *Pythodoro* Athenis Archonte Pythonem illum Athenas advenisse narrat Dionysius *in Epistola ad Ammaeam*. Itaque, ut illa rerum series, temporumque ratio constare possit, Anaxinus ante Olympiadem CIX. Athenas venire, Aeschines occulto ipsum alloqui, ideoque *Nicias* Athenis Archon esse non potuit ante Olympiadem CIX., ut proinde cum *Elpinice* confundi, sive Eponymus haberi non debeat.

Denique cum Demosthenes ibi testatur Anaxinum veluti exploratorem *ab hoste* missum fuisse, ideoque Aeschinem veluti Patriae proditorem delatum esse, quippe qui cum hostis exploratore communicaverit, manifestissime inferri debet; quod Anaxini adventus, ac *Niciae* principatus ad illa tempora referri debet, quibus iam faedera cum Philippo dirempta

(1) Pag. 332.

pta fuerant, apertumque cum Athenienſibus bellum exarſerat; ideoque cum bellum ipſum anno 1. Olymp. CX. incaeperit, ut Num. 25. inferius oſtendetur, *Nicias* eodem anno, ſive ſequenti Archon fuit; adeoque ſemper ex Faſtis veluti Pſeudeponymus expungi debet.

XXII.

Mneſithides.

Demoſthenes in Oratione *De Corona* Ἄρχων Μνησιθείδης μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δεκάτῃ (1). *Archon Mneſithides ſexta decima Antheſterionis menſis* die.

Meurſius Lib. III. c. 18. Mneſithidem iſtum hic a Demoſthene memoratum unum eundemque fore putavit cum *Mneſithide*, ſive *Mneſitheo*, qui anno 4. Olymp. LXXX. in Faſtis occurrit: quamvis deinde huius opinionis immemor, Lib. IV. c. 20. Mneſithidem iſtum inter Eponymos incertae aetatis enumerat.

At Mneſithides iſte neque cum alio confundi, neque Eponymus exiſtimari, neque ignotae aetatis haberi poterit ſi integer Orationis conteſtus obſervetur, atque cum aliis Scriptoribus conferatur. Etenim Demoſthenes ibi narrat a Pylagoris, ſive Amphictyonibus, qui ad Pylas convenerant, bellum contra Amphiſſenſes decretum eſſe, qui regionem Apollini ſacram violaverant, ſimulque Macedonum regem Philippum belli ducem electum eſſe, ut iniuriam Apollini irrogatam ulciſceretur, atque in Amphiſſenſes ipſos arma ſuſciperet. Eiuſmodi vero belli decretum iis temporibus factum eſſe teſtatur Demoſthenes, quibus Aeſchines Athenienſium Legatus, ſive *Pylagoras* Concilio intererat, ut funeſtam proinde malorum ſeriem, quae Athenienſes, alioſque plures oppreſſit, ex nefario Aeſchinis, aliorumque conſilio repetendam eſſe demonſtret. Subdit enim Ἐπὶ ἱερέως Κλιναγόρου, ἐαρινῆς Πυλαίας, ἔδοξε τοῖς Πυλαγόραις, καὶ τοῖς συνέδροις τῶν Ἀμφικτυόνων, καὶ τῷ κοινῷ τῶν Ἀμφικτυόνων . . . καὶ διότι αὐτὸν Φίλιππον στρατηγὸν αὐτοκράτορα αἱροῦνται οἱ Ἕλληνες οἱ μετέχοντες τοῦ συνεδρίου τῶν Ἀμφικτυόνων. Λέγε δὴ καὶ τοὺς χρόνους, ἐν οἷς ταῦτ' ἐγίγνετο εἰσὶ γὰρ καθ' οὓς ἐπυλαγόρησεν οὗτος. Λέγε. Χρόνοι. Ἄρχων Μνησιθείδης. *Sacerdote Clinago-*

(1) Pag. 335.

nagora, verno Conventu. Visum est Pylagoris, & Assessoribus Amphictyonum, communique Amphictyonum caetui .... *Philippum Ducem creari a Graecis, qui ius habent Concilii Amphictyonum. Age, recita & tempora, quibus haec facta sunt; fuere enim ea, quibus iste Pylagoram egit. Recita. Tempora. Archon Mnesithides.*

Itaque, ut ostendatur annus, quo Mnesithides iste, quem incertae aetatis fuisse dicit Dodvellus, Archontis munere perfunctus fuit, id unum inquiri debet quo tempore Decretum illud a Pylagoris editum fuerit, atque Philippus Amphictyonum dux, & imperator electus. Id vero nitide partim ex Aeschine, partim ex Demosthene collegi. Siquidem Aeschines in Oratione quidem *de Legatione* (1) ter Pylagorae munere se defunctum esse testatur; sed in altera tamen Oratione *contra Ctesiphontem* (2) superiora illa tempora respiciens, quibus bellum illud exarsit, asserit se Pylagoram electum esse ἐπὶ Θεοφράστου Ἄρχοντος, ἱερομνήμονος ὄντος Διογνήτου Ἀναφλυστίου *Theophrasto Archonte, cum Sacer Scriba*, vel Hieromnemon *esset Diognetus Anaphlystius*, dum Philippus apud Scythas ageret (3); exactoque Conventu Athenas rediisse antequam Mysteria celebrarentur (4): Philippum vero belli ducem electum esse in altero Amphictyonum Conventu, qui deinde Pylis est habitus, cui neque Aeschines, neque ex Atheniensibus ullus interfuit. Demosthenes vero Philippum non in primo Conventu, quo bellum in Amphissenses conflatum fuerat, sed *in sequenti* belli ducem electum esse testatur (5) *Clinagora Sacerdote, verno Conventu;* sed, ut ostenderet Aeschinem Amphictyonum consilio suffragatum esse, temere, ut opinor, ipsique ab Aeschine obiicitur, tempora confudit; iisdemque temporibus Aeschinem *Mnesithide Archonte* Pylagoram, & *Clinagora Sacerdote* Philippum Amphictyonum ducem electum esse narravit. Itaque, si Decretum illud *Mnesithide Archonte* 16. Anthesterionis factum est illud, quo Aeschines se Pylagoram electum esse fatetur, Mnesithides ille anno 1. Olymp. CX. imperasse debuit; cum se Pylagoram *Theophrasto* Athenis *Archonte* renunciatum esse dixerit Aeschines; & verno quidem Conventu, cum peracto iam Pylagorae munere Athenas redierit ante Mysteria, quae Boëdromione mense celebrari consueve-

(1) Pag. 266. (2) Pag. 290. (3) Pag. 291. (4) Pag. 292. (5) Pag. 334.

fueverant. Sin vero fuerit decretum aliud, quo Aeſchines ipſe Pylagoras iis temporibus, eoque verno Conventu electus fuit, quo *Clinagora Sacerdote* Philippus Amphictyonum imperator eſt renunciatus, ut innuere videtur Demoſthenes, tunc Mneſithides iſte ad annum 2. Olymp. CX. referri debet, quo *Lyſimachides* Archon Eponymus eſſe conſpicitur. Mihi vero ſuperior illa ſeries ab Aeſchine expoſita longe accuratior, ac veriſimilior videtur eſſe; ut proinde Mneſithidem ad annum 1. Olymp. CX. referendum exiſtimem, quo *Theophraſtus* Archon Eponymus, & Diognetus Hieromnemon fuiſſe dicitur. Philippum vero belli ducem ſequenti verno Conventu, Clinagora Sacerdote electum eſſe conſtituo, quo *Lyſimachides* in Faſtis occurrit.

Ac certe Philippus ab Amphictyonum Concilio electus comparato exercitu repente Atticae fines invaſit, atque Elateam occupavit, ut Demoſthenes ipſe teſtatur (1). Itaque cum Elatea *Lyſimachide* Archonte capta fuerit, ut ſemel, iterumque Dionyſius aſſeruit (2), hoc eſt anno 2. Olympiad. CX., & quidem Scirrhophorione menſe, ut ſequenti loco oſtendetur, cum Elaphebolione menſe Philippi exercitus Atticae iam finibus immineret, dubitari certe non poterit, quin Amphictyonum decretum Clinagora Sacerdote factum ad annum ipſum referri debeat; ideoque, ſi decretum illud in ſequenti verno Conventu factum fuit, poſtquam Aeſchines Pylagorae munus *Theophraſto Archonte*, *Diogneto Sacerdote*, ſimulque *Mneſithide Archonte* ſuſceperat, Mneſithides iſte ad ſuperiorem annum 1. Olymp. CX. referri, adeoque Pſeudeponymus haberi debet.

XXIII.

Chaerondas.

Archontis Chaerondae nomen frequenter a variis, graviſſimiſque Scriptoribus memoratur, quorum perſpicua teſtimonia Meurſius Lib. IV. c. 11. diligenter, accurateque congeſſit; cumque Chaerondas Eponymus anno 3 Olymp. CX in Faſtis occurrat, ſingula veterum teſtimonia de hoc uno Chaeronda intelligenda fore putavit, quamvis ille *Chaerondas* ab aliis *Cha-*

(1) De Corona Pag. 334. Vide Diſſert. III. Num. 20. (2) Epiſt. ad Am.

Charondas, ab aliis denique *Chaeronidas* appellatur. Ita quoque Dodvellus ipſe tenuem hanc quidem nominum varietatem in alphabetica Archontum ſerie obſervavit; ſed unum tamen in illis omnibus Chaerondam expreſſum eſſe putavit, qui anno 3. Olymp. CX. Eponymorum Faſtis inſcribitur.

Ego vero omnium primus contra Meurſii, Dodvelli, Petiti, aliorumque ſententiam Diſſert. II. Num. 13. manifeſtiſſime demonſtravi quod decreta ſingula, vel teſtimonia, quibus Archontis Chaerondae nomen inſcribitur, ad annum 3. Olymp. CX, adeoque ad Chaerondam ipſius Eponymum referri certe non poſſunt: ut proinde Chaerondas alius admittendus ſit, qui anno 1. iterumque 2. eiusdem Olympiadis imperaverit, ac Pſeudeponymus eſſe debeat; vel ſi fortaſſe unus etiam, idemque civis in decretis omnibus memoretur, aliquando tamen *Eponymi*, ſimulque aliquando *Pſeudeponymi* ſolum Archontis munere perfunctus fuerit. Itaque Chaerondas ille, quo Archonte vigeſima quinta Gamelionis die corona Demoſtheni a Cteſiphonte decreta fuit, ſimulque mox tertia Scirrhophorionis die Demoſthenes murorum reficiendorum curator electus fuit, ad annum 1. Olymp. CX. manifeſtiſſime referri debet, quo *Teophraſtus* Archon Eponymus imperavit: Chaerondas autem ille, ſive Chaeronidas, quo Archonte Cteſiphontis decretum ab Aeſchine tanquam legibus contrarium ſexta Elaphebolionis die delatum fuit, ad ſequentem annum ſpectavit, quo *Lyſimachides* in Eponymorum Faſtis occurrit; antequam Chaerondas Eponymus anno 3. eiusdem Olympiadis magiſtratum ſuſciperet, ipſoque imperante Chaeronenſis clades ſeptima Metagitnionis die contingeret, ut Diſſert. II. Num. 13. atque in hac ipſa Diſſertatione Num. 25. fuſius oſtendi. Ac certe quod Aeſchinis accuſatio, ſeu celeberrima quaeſtio *de Corona* anno 2. Olympiadis CX. ſub Chaeronda quidem, ſed Pſeudeponymo, inſtituta fuerit, non perſpicua ſolum temporum ſeries, & argumenta cetera, quae laudato loco iam protuli, ſed illuſtria quoque Scriptorum teſtimonia demonſtrant, quae modo ſubiiciam, ut opportune corrigi, vel illuſtrari ipſa poſſint. Aeſchines ergo de hoc ipſo litis inſtitutae tempore cum Demoſthene diſſerens ait ἀπηνέχθη ἡ κατὰ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος γραφὴ ἔτι Φιλίππου ζῶντος πρὶν Ἀλέξανδρον εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῆναι . . . τῆς μαχῆς ἐπιγενομένης οὐκ ἐσχολάζομεν

περὶ

περὶ τὴν σὴν ἔιναι τιμορίαν, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως ἐπρεσβεύομεν (1) *huius quidem decreti actio instituta fuit Philippo adhuc vivente ante susceptum ab Alexandro principatum... cum praelium supervenisset nobis non fuit ocium paenas de te sumendi, sed legationes pro civitatis incolumitate fuere obeundae*. Quis hic aperte non videat actionem illam ab Aeschine institutam esse antequam Chaeronense bellum exsurgeret? ideoque cum bellum ipsum Lysimachide Athenis Archonte, desinente iam anno 2. Olymp. CX. exarserit, tandemque septima Metagitnionis die anno 3. eiusdem Olympiadis, Chaeronda Athenis Eponymo, diremptum fuerit, Aeschinis accusationem, quae sexta Elaphebolionis die instituta fuerat, simulque Pseudeponymi Chaerondae principatum ad annum 2. referendum esse? Ita propemodum Cicero diserte docet quod *hanc multam Aeschines a Ctesiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem, sed iudicium factum est aliquot annis post, Alexandro iam Asiam tenente* (2); ergo cum Philippus e vivis excesserit anno 1. Olymp CXI., Aeschinis accusatio, & Chaerondae illius principatus, ut *quadriennium* saltem incaeptum esse potuerit, ab anno 2. Olymp. CX. dimoveri, atque ad Elaphebolionem sequentis anni transferri certe non poterit. Plutarchus ipse memorata Lacedaemoniorum clade, Agidisque morte subdit *εισήχθη δὲ τότε ἡ περὶ τῦ ϛεφάνυ γραφὴ κατὰ Κτησιφῶντοε, γραφεῖσα μὲν ἐπὶ Χαιρώνδυ Α'ρχρντος μικρὸν ἐπάνω τῶν Χαιρωνικῶν . . . κριθεῖσα δ' ὕϛερον ἔτεσι δεκα ἐπ' Α'ριϛοφῶντος* (3); *tunc agitata fuit actio de Corona adversus Ctesiphontem instituta quidem Chaeronda Archonte paullo ante Chaeronica, iudicata vero post annos decem sub Aristophonte* Archonte, hoc est anno 3. Oly. CXII. Insignem hunc Plutarchi locum depravatum esse contendit Meursius (4), ac *omnino rescribendum* asserit *ἔτεσι ὀκτὼ annis octo*, quod nimirum ab anno 3 Olymp CX., quo Chaerondas in Fastis occurrit, ad annum 3. Olymp CXII. sive Aristophontis annum, non *decem*, sed *octo* solum anni intercesserint. Doctissimo tamen viro ambiguum illud Chaerondae nomen a Demosthene, simulque Plutarcho memoratum imposuit; cumque Scriptores illos de Chaeronda Eponymo intelligenda esse censeret, ab anno 3. Olymp CX. calculum subdu-

(1) Pag. 305. 306. (2) In Argum. Orat. Aeschin. & Demosth. (3) In Vita Demosth. (4) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 13.

ſubduxit. At ſi Pſeudeponymi ſolum Chaerondae nomen intelligatur, annorumque numerus a ſexta Elaphebolionis die anni 2. ineatur, qua actionem inſtitutam eſſe iam dixi, *decimus* tandem annus a ſexta Elaphebolionis die anni 3. Oly. CXII. incipiet, quo decimo ineunte, ſimulque Elaphebolione menſe exeunte Orationes habitae ſunt, iudiciumque *de Corona* diremptum fuit: cum Aeſchines ipſe diſerte dixerit κὴ τὸν καιρὸν μέμνησθε, ἐν ᾧ τὴν ψῆφον φέρετε. ἡμερῶν μὲν ὀλίγων μέλλει τὰ Πύθια γίνεσθαι (1), *etiam temporis eſt habenda ratio, quo ſuffragium feretis. Intra paucos dies Pythia ſunt futura*: Pythici vero ludi anno 3. cuiuſque Olympiadis, ineunte Munychione menſe, celebrari conſueverant. Itaque nihil in Plutarchi textu corrigi, mutarique debet. Error autem ille, qui in Dionyſii textum irrepſit, facile ex ſuperioribus, riteque emendari iam poterit. Aſſerit ille quod Oratio *de Corona* εἰς δικαστήριον εἰσελήλυθεν μετὰ τὸν πόλεμον ἐπ' Ἀριστοφῶντος Ἄρχοντος μὲν ἐνιαυτὸν μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην, ὀκτὼ δὲ μετὰ τὴν Φιλίππου τελευτὴν (2) *in iudicium venit poſt bellum, ſub Ariſtophonte Archonte, uno quidem anno poſt Chaeronenſe praelium, octo autem annis poſt Philippi mortem*. Meurſius hic reſcribendum exiſtimat ἐπὶ Ἀριστοφῶντος Ἄρχοντος, ὄγδοον μὲν ἐνιαυτον μετὰ τὴν εν Χαιρωνείᾳ μάχην, ἕκτον δὲ μετὰ τὴν Φιλίππου τελευτήν *ſub Ariſtophonte Archonte, octavo quidem anno poſt Chaeronenſe praelium, ſexto autem poſt Philippi mortem*; longeque, ut opinor, accuratius Bentleius ὀγδόῳ μεν ἐνιαυτῷ . . . ἕκτῳ δὲ legendum hic aſſerit, cum in Codicibus non ἐνιαυτὸν, ſed ἐνιαυτῷ potius occurrat. Quinetiam facile ἐννάτῳ μὲν ενιαυτῷ *nono quidem anno* reſcribi poſſe putaverim, non modo quod ipſa vocum ſimilitudo librarium fallere potuerit ut priorem vocem illam ἐννάτῳ *nono* omitteret; verum etiam quod a Chaeronenſi praelio ad iudicium *de Corona* diremptum integri fere novem anni interceſſerint, ac Dionyſius ipſe in ſubducendis annorum numeris labentis etiam anni rationem habere conſueverit.

Denique nunc alium Plutarchi locum opportune reſtituam, levioremque errorem, qui irrepſerat, Plutarchi ipſius praeſidio corrigam. Aſſerit ille Demoſtheni ſaepius honores decretos eſſe: Πολλάκις ἐστεφανώθη. πρότερον μὲν ὑπὸ Δημοτέλους, Ἀριστονίκου, Ὑπερίδου, χρυσῷ στεφάνῳ, τελευταῖον δέ ὑπο Κτησιφῶν

Z z τος,

(1) Pag. 310. (2) Epiſt. ad Ammae c. 12.

τος. κ̓ γραφέντος τῦ ψηφίσματος παρανόμων ὑπὸ Διοδότυ, κ̓ Αἰσχίνυ, ἀπολογύμενος ἐνίκησεν (1) *saepius coronatus fuit a Demotele, Aristonico, Hyperide, coronis aureis, tandem a Ctesiphonte: Cuius decretum cum ut contra leges factum accusarent Diodotus, & Aeschines, ipse defendens vicit.* At ibi perspicue non Διοδότυ *Diodoti*, sed Διώνδυ potius, aut Διώνδα *Diondae* rescribi debet. Siquidem Plutarchus ipse mox subdit πρῶτος δὲ ἔγραψε ςεφανωθῆναι αὐτὸν χρυσῷ ςεφάνῳ Ἀριςόνικος Νικοφανυς Ἀναγυράσιος, ὑπωμόσατο δὲ Διώνδας: *primus de eo aurea corona donando retulit Aristonicus Nicophanis Anagyrasius; quanquam Diondas iureiurando dato intercessit*, quemadmodum in *Hyperidis Vita* ait ἔγραψε κ̓ Δημοσθενυς τιμὰς, κ̓ τῦ ψηφίσματος ὑπὸ Διώνδα παρανόμων γραφέντος, ἀπέφυγε *rogationem etiam tulit de bonoribus Demostheni deferendis; cumque illud decretum Diondas, ut contra leges factum, intercessione iurata impugnaret, absolutus est.* Quin & Demosthenes ipse (2) Demomelis quidem Hyperidisque decretum a *Dionda*; Ctesiphontis vero decretum ab Aeschine solo delatum esse, testatur; ut immerito proinde, minusque accurate Plutarchus *Diondam*, sive *Diodotum* una cum Aeschine veluti Ctesiphontis adversarios coniunxerit.

XXIV.

Euthycles.

Demosthenes in eadem ipsa Oratione *De Corona* asserit honores sibi, aureamque coronam a Ctesiphonte decretam esse ἐπὶ Ἄρχοντος Εὐθυκλέυς Πυανεψιῶνος ἐννάτῃ ἀπίοντος *Archonte Euthycle vigesima secunda Pyanepsionis die*. Meursius Lib. IV. c. 20. hunc Euthyclem Eponymorum Fastis adscripsit, ipsumque incertae aetatis fuisse dixit. Longe accuratior Dodvellus hunc *non Eponymum* diserte vocat; sed incertum tamen fuisse putat quo potius anno Euthycles iste imperaverit. At nitida rerum, temporumque series, quam Dissert. II. Num. 13. opportunius exposui, manifestissime, ut opinor, ostendit quod Euthycles ille ad annum 2. Olymp. CX. referri debet, quo *Lysimachides* in Eponymorum Fastis occurrit, ut proinde merito Pseudeponymis aliis accenseatur.

XXV.

(1) Vita X. Rhet. in Demosth. (2) De Corona.

XXV.
Heropythus
&
XXVI.
Nausicles.

Demosthenes in Oratione *De Corona* Decretum exhibet (1) *Heropythe* Archonte factum die 25. Elaphebolionis, in quo statuitur ut Philippus Macedonum rex Atticae iam imminens legatione missa rogetur ut pacem, ac faedera cum Atheniensibus iam constituta servare velit, aut saltem inducias facere usque ad Thargelionem mensem; moxque decretum aliud subiicit (2) eodem *Heropythe* Archonte factum die 30. Munichionis, quo legati sunt electi. Memorat deinde Demosthenes Philippum ipsum iis precibus, ac legationibus superbientem cum exercitu properasse; atque Elateam repente occupasse: cumque Philippi fraudes, atque periuria Athenis perspecta forent, die 16. Scirrhophorionis concionem habitam esse testatur (3), in qua *Nausicle* Archonte decretum fuit ut Philippo pacem violanti resistatur, legatique ad Thebanos, aliosque Atheniensium faederatos mittantur; cumque Demosthenes ipse, ac Mnesithides Phrearrhius Atheniensium Legati Thebas venissent, Thebanos ipsos contra Philippum incitarunt: quo factum esse dicit Demosthenes ut maximo Atheniensis Reipublicae bono *bellum non in Attica esset, sed* 700. *stadia ab Urbe in finibus Boeotiae committeretur* (4), nimirum in Chaeronensi regione ubi Thebani, ipsorumque socii a Philippo superati sunt. Itaque, ut *Heropythi*, & *Nausiclis* etiam Archontis annus definiatur, inquiri debet quo anno Elatea capta fuerit, & Chaeronensis illa Atheniensium clades contigerit.

Diodorus quidem Lib. XVI. c. 85. utramque pugnam illam *Chaeronda* Archonte contigisse memorat, hoc est anno 3. Olymp. CX. cumque singula superius exposita narrasset, repente subdit = *Demosthenes mittendos Legatos hortatur qui Boeotos*

(1) Pag. 336. (2) Pag. 336. 337. (3) Pag. 339. (4) Pag. 345. & 341.

tos ad resistendum hortentur : mittitur ipse : iter summa celeritate peragit, Boeotis persuadet, Athenas redit, Populus duces bello Charetem, & Lysiclem praefecit . . . ideoque raptim confecto itinere Chaeroneam Boeotiae pervenere . . . Philippus non obtenta Boeotorum societate dimicat. Subditque Diodorus quod *eodem die, ac hora*, qua Chaeronensis illa clades Athenienses oppressit, *pugnatum est inter Tarentinos, & Lucanos ubi Archidamus Lacedaemoniorum rex Tarentinos adiuvans interiit*.

Sed utramque pugnam illam, qua Elatea capta, atque Athenienses, illorumque socii Chaeronensi praelio superati sunt, Diodorus hic temere coniungit: cum diversis tamen annis illae contigerint. Siquidem Elatea *Lysimachide* Archonte capta fuit anno 2. Olymp. CX. Chaeronensis vero clades in sequentem annum referri debet, quo *Chaerondas* Athenis Archon fuit. Ac certe quod ad Chaeronaeam anno solum 3. Olymp. CX. sive *Chaeronda* Archonte pugnatum fuerit perspicue docet Plutarchus in *Isocratis Vita* (1) Ἐτελεύτα δὲ ἐπὶ Χαιρώνδου Ἄρχοντος, ἀπαγγελθέντων τῶν περὶ Χαιρωνείαν ἐν τῇ Ἱπποκράτους παλαίστρᾳ πυθόμενος *Mortuus est Chaeronda Archonte, cum in Hippocratis palaestra nuncium de Chaeronensi clade accepisset*: sicuti Dionysius etiam *in Isocrate* conceptis verbis asseruit quod ille ἐτελεύτα τὸν βίον ἐπὶ Χαιρώνδου Ἄρχοντος ὀλίγαις ἡμέραις ὕστερον τῆς ἐν Χαιρωνείᾳ μάχης *vita excessit sub Chaeronda Archonte paucis diebus post Chaeronense praelium*. Cladem autem illam 7. Metagitnionis die contigisse docet Plutarchus ipse *in Camillo* ὁ δὲ Μεταγειτνιὼν Ἕλλησιν οὐκ εὐμενὴς γέγονε. τοῦτο γὰρ τοῦ μηνὸς ἑβδόμῃ ἐν Χαιρωνείᾳ μαχόμενοι πρὸς Φίλιππον ἠτύχησαν. τῆς δ' αὐτῆς ἡμέρας ταύτης ἐν τῷ Μεταγειτνιῶνι κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν οἱ μετ' Ἀρχιδάμου διαβάντες εἰς Ἰταλίαν ὑπὸ τῶν ἐκεῖ βαρβάρων διεφθάρησαν. *Metagitnion parum fuit Graecis secundus. Huius mensis die septimo signis collatis ad Cranona Antipater victos funditus evertit; & fuerant ante iuxta Chaeronaeam afflicti a Philippo. Hoc eodem die, eodem mense, & anno Archidami copiae, quas transportaverat in Italiam, a barbaris incolis caesae sunt*.

Ergo Chaeronensis pugna, & Isocratis etiam mors, quod observari maxime debet, Metagitnione mense contigit anno 3. Olympiadis CX. ideoque Elateae expugnatio, quae Chaeronen-

(1) Vita X. Rhet. in Isocrate, sic Pausan. Attic. c. 18.

ronense praelium longe praecesserat, anno 2. eiusdem Olympiadis adscribi debet, *Lysimachide* Athenis Archonte, ut ex Dionysio iam demonstravimus, qui legationes etiam a Demosthene obitas, initamque Atheniensibus cum Thebanis societatem eiusdem Lysimachidis anno consignat (1), quippe quae ante Chaeronense bellum, ideoque ante anni 3. Olymp. CX. principium contigerint. Ergo *Heropythus*, & *Nausicles* ille anno 2. Olymp. CX. imperarunt, quo *Lysimachides* in Fastis expungi, ac Pseudeponymus haberi debet; quemadmodum certe Dodvellus utrumque ex illis *non Eponymum* fuisse dixit; quamvis ipsorum aetatem *incertam* esse putaverit.

XXVII.

Xenias.

Plutarchus in Vita X. Rhetorum *in Hyperide* sic ait = *γραψάμενος δὲ κ̔ τὴν Φωκίωνος δωρεὰν, ἣν εἶπε Μειδίας Μειδίȣ Ἀναγυράσιος, ἐπὶ Ξενίȣ Ἄρχοντος, Γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ φθίνοντος, ἡττήθη. Cum autem sententiam de donando Phocione a Midia Midiae filio Anagyrasio latam accusasset, succubuit, Archonte Xenia vicesima quarta Gamelionis die.*

Meursius Lib. IV. c. 16. Scaligerum, vel, ut appellat ipse, Anonymum sequutus existimat Xeniam hunc unum, eundemque fore, qui *Xenippus* ab aliis, vel *Euxenippus* vocatur, atque in Fastis occurrit anno 4. Olymp. CXVIII. Sed Scaliger ibi deceptus Meursium quoque, ac Dodvellum ipsum in errorem abripuit. Siquidem Phocion anno 3. Olympiad. CXV. e vivis excessit, ut ex Anonymo Meursius ipse iam dixerat Lib. IV. c. 15. & quidem 19. Munichionis die, ut Plutarchus in eius Vita testatur. Quinetiam Hyperides quoque ante Phocionem obierat anno 3. Olymp. CXIV. Plutarchus enim (2) asserit illum paullo ante Demosthenem obiisse: Demosthenes autem Archonte Philocle, hoc est anno 3. Olymp. CXIV. defunctus est, ut Laërtius (3) *in Aristotele*, & Plutarchus ipse fatetur asserens Hyperidis mortem 9. Pyanepsionis die, Demosthenis vero 16. mensis ipsius contigisse. Ergo, si Phocion, atque Hyperides etiam ante Olympiadem CXVIII. e viris excesserant, *Xenias* ille, quo Archonte Hyperi-

(1) In Epist. ad Ammae. (2) In Demosth. (3) Lib. V. seg. 10.

perides Phocioni honores decrevit, ab *Euxenippo*, ſive *Xenippo* diſtingui debet, qui anno 4. Olymp. CXVIII. Archon fuit; cumque praecedentibus annis omnibus Eponymorum Archontum Faſti pleni ſint, Xenias ipſe e Faſtis expungi, ac Pſeudeponymus haberi debet.

XXVIII.

Phocion.

Plutarchus in Phocionis Vita: *ὁ δὲ εἰς πατρίδος ἀποκινδυνεύων σωτηρίαν, καὶ ταῦτα ϛρατηγὸς, καὶ Ἄρχων, ὐκ οἶδα μὴ μεῖζόν τι παραβαίνει, καὶ πρεσβύτερον τὸ πρὸς τὺς πολίτας δίκαιον. At qui ſalutem patriae in praecipitem caſum adducit, atque is Dux, & Magiſtratus, haud ſcio anne maius violet, & antiquius erga cives ius.* Aemilius etiam Probus, ſive Cornelius Nepos de Phocionis interitu loquens ſic ait: *Concidit autem maxime hoc uno crimine, quia cum apud eum ſummum eſſet imperium populi, & Nicanorem Caſſandri Praefectum inſidiari Piraeo Athenienſium a Dercyllo moneretur .... hinc audiente populo Phocio negavit eſſe periculum.* Ex duobus eiuſmodi Veterum teſtimoniis coniicit Meurſius Lib. IV. c. 15. Phocionem Eponymum Athenis Archontem fuiſſe paullo ante mortem anno 3. Olymp. CXV. ipſique ſublato Archippum ſuffectum eſſe, qui ad annum illum in Faſtis occurrit; idque Dodvellus etiam in Archontum ſerie veriſimile exiſtimavit.

Ego vero Phocionem iſtum fortaſſe quidem Archontem, ſive ex Novemviris unum, ſed non Eponymum tamen fuiſſe iudico. Siquidem Plutarchus ipſe in Phocionis Vita tantum abeſt ut *clare narret illum non diu magiſtratum illum tenuiſſe* quod Meurſius hic aſſerit, ut ibi potius Phocionem *Strategi* munere perfunctum eſſe demonſtrat. Cum enim narraſſet Nicanoris inſidias, nimiamque Phocionis deſidiam Athenienſibus demum compertas eſſe repente ſubdit Concionem indictam eſſe, *ἐν ᾗ τὸν Φωκίωνα τῆς ἀρχῆς ἀπολύσαντες ἑτέρυς εἵλοντο ϛρατηγύς, in qua Phocionem ex magiſtratu ſummoventes Strategos alios elegerunt*: ergo, ſi Phocione exauctorato, vel in ordinem redacto, non Eponymus Archon, ſed *Strategus* alius electus fuit, quis aperte non videat quod Phocion Strategi quidem, ſed non Eponymi Archontis munere fungebatur?

tur? Accedit etiam quod Phocion ipse, ut ibi fuse Plutarchus commemorat, atque Cornelius etiam testatur, ubi Nicanoris insidias aperte noverat, copias Athenis educere nitebatur: id vero non ad Archontem Eponymum, sed ad Strategum potius, atque unice spectare debuit. Denique, cum Phocion 19. Munichionis die sublatus fuerit, si eo anno Eponymi Archontis munere perfunctus esset, in Fastis non Archippi, qui duobus solum mensibus imperasset, sed Phocionis potius nomen adscriptum foret; cum praesertim brevi post Phocionis mortem Athenienses Phocionem ipsum erecta statua, aliisque honoribus sint prosequuti.

XXIX.

Epicrates.

Cicero filius in Epistola ad Tyronem ait: *Multam mecum est Epicrates princeps Atheniensium* (1). Itaque *Epicratem* hunc, laudato Ciceronis testimonio, inter Eponymos Atheniensium Archontes habendum esse putat Meursius, ideoque Epicratem Archontum Fastis adscribit in Additionibus illis, quae in Graecarum Antiquitatum Thesauro Tomo IV. conspiciuntur.

Tantum tamen abest ut ex superiori Ciceronis loco inferri possit Epicratem istum Athenis Eponymum fuisse, ut ille ne Archon quidem fuisse videatur. Siquidem non aliud hic Cicero innuere videtur, nisi Epicratem illum ex primoribus, spectatissimisque Civibus fuisse, qui familiariter cum Cicerone adhuc iuvene versaretur: quod certe non facile de Archonte, praesertim Eponymo, concedi potest. Perspicuum est etiam quod graecam Ἄρχοντος *Archontis* vocem ita Latini reddere, vel interpretari consueverunt, ut aliquando *Praetoris* (2) aliquando (3) *Magistratus* nomine uterentur: nullibi vero, quod noverim *Principis* nomine appellarunt. Id vero omnium maxime Ciceroni perspectum esse debuerat, quippe qui graecam ipsam *Archontis* vocem a Patre usurpatam esse jam viderat *de Fato* differens ait *Morietur Epicurus cum duo & septuaginta annos vixerit Archonte Pytharato* (4): quemadmodum posteris

(1) Lib. XVI. Epist. 3. (2) Cic. ad Attic. Lib. V. Epist. 11. (3) Senec. Epist. 18. Plin. Lib. III. c. 5. & Lib. XXXIII. c. 7. (4) Cart. 9.

ris etiam aetatibus Trebellicus (1), ac Spartianus (2) Ciceronis exemplum, ut opinor, sequuti *Archontis* nomen usurparunt (3). Itaque, si Epicrates ille solum *Atheniensium princeps* vocatur, certe non Archon, aut Eponymus haberi poterit, sed ex Eponymorum Archontum Fastis expungendus erit, atque inter nobiliores Atheniensium cives recenseri ille poterit, ut ipso quoque Ciceronis loco satis innuitur. Ait enim: *Multum etiam mecum est Epicrates princeps Atheniensium, & Leonides, & horum ceteri similes:* quemadmodum fere eo plane sensu Nepos de Attico disserens ait *hic autem Athenis sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur:* quo certe loco *principum* nomine non *Archontes* ipsi, sed Civium primores, ac nobilissimi intelliguntur. Ceterum, quicumque demum fuerit Epicrates ille, Ciceronis Epistola, ut eruditi Viri observarunt, exarata fuit anno V. C. 709. sive 3. Olympiade CLXXXIII. adeoque Epicratis principatus, si fortasse ita libeat, aut ipsius cum Cicerone consuetudo ad annum illum referri debet.

XXX.
&
XXXI.

Aurelius Ancharenus

&

Bentidius Sota.

Rheinesius Pag. 313. sive Classe III. Num. 36. Inscriptionem exhibet, in qua diserte legitur ἐπὶ Ἄρχοντος Βεντιδίου Σώτα, *sub Archonte Bentidio Sota;* paucisque interiectis vocibus ἐπὶ Ἄρχοντος Αὐρ. Ἀγχαρήνου *sub Archonte Aurelio Anchareno*. Eadem quoque Inscriptio apud Sponium occurrit in *Miscellaneis Eruditae Antiquitatis* Pag. 369. Sectio. X Num. 116. ipsamque Cl. etiam Gorius exhibuit Tomo I. Pag. 22. Num. 41. cumque Sponius, ac Rheinesius illam *Florentiae in Atrio Richardi* extare dixerit, optime Gorius ipsam in Atrio Musaei Medicei conspicuam esse testatur, simulque varios

rios

(1) In Gallieno. (2) In Hadriano. (3) Vid. Differt. I. Num. . .

rios errores, qui in Rheinesii exemplar irrepserant, accurate emendavit.

Itaque Dodvellus in Alphabetica Archontum Atheniensium serie, laudato Sponii testimonio, *Bentidium Sotam*, & *Aurelium Ancharenum* Eponymorum Fastis inseruit; ipsosque Severi Caesaris aetate imperasse dixit.

Sed nullus tamen duobus Archontibus istis aut inter Eponymos, aut inter alios etiam Atheniensium Magistratus locus esse potest. Etenim ex plurimis, qui in Marmore nominantur, nullus omnino vel Attici Populi notam, vel characterem alium adiunctum habet, ex quo Marmor ipsum, atque Archontes illos ad Atheniensem Urbem spectare posse videatur; ut optime proinde dixerit Rheinesius *Archontum* nomine Praesides illos hic designari, qui Agonis musici in Dionysii Festis curam gerebant: quemadmodum certe huiusmodi prorsus Archontes *L. Sentium Agrippinianum*, & *M. Mettium Amerimnum* in alio Marmore apud Sponium (1), & Rheinesium ipsum (2) memorari conspicio quos nemo sane ad Eponymorum Atheniensium Fastos retulerit.

Quandoquidem vero in superiori Inscriptione

L. Septimius Severus Pius Pertinax
M. Aurelius Antoninus
L. Septimius Geta Caesar.

nominantur, optime Dodvellus existimavit, Archontes illos Severi Caesaris aetate vixisse. Sed accuratius adhuc Archontum illorum aetas definiri facile poterit, cum Severus in Marmore *Adiabenicus*, & *Parthicus* & *Arabicus* appellatur, ac Geta non *Augustus*, sed *Caesar* solum nominatur. Itaque, cum Getam anno Christi 208. *Augusti* nomine iam decoratum ostenderit Panvinius, ac Severus in Parthos, atque Adiabenos exercitum duxerit anno 201. Archontum illorum annus duobus terminis istis includi, vel definiri debet, si uterque eodem anno imperaverit. Sin vero prius *Bentidius*, quam *Aurelius* Archontis munere perfunctus fuerit, ut ex ipso Marmore deduci potest, annus Aurelii superioribus quidem terminis circumscribetur; sed Bentidii Archontis annus non multo alterius Archontis annum praecesserit.

(1) Spon. Miscel. Erud. Antiq. Sect. X. Num. 104. (2) Classe V. Num. 41.

XXXII.

Phaedrias.

Ariftaechmus, Zeno, Diognetus.

Quatuor Archontes iftos hic una complecti libuit, non quod uno eodemque tempore dignitatem illam, quaecumque ea fuerit, occupaverint; verum potius quod una prorfus eademque ratio nobis oftendat illorum fingulos ex Eponymorum Athenienfium Faftis expungendos effe. An vero temere immeritoque Archontes etiam iftos Pfeudeponymos effe putaverim, quod fufpicari fortaffe quis poterat, facile deprehendi poterit ubi Marmoreas Infcriptiones illas fubiecero, quarum praefidio Archontum iftorum nomina a doctiffimis Viris Athenienfium Faftis infcripta funt, fimulque characteres, & argumenta protulero, quibus Archontes illos non Athenienfium, fed Deliorum, Smyrnaeorumque Faftis inferendos effe conieci.

Atque, ut a *Phaedria* exordiar, Sponius in *Mifcellaneis Eruditae Antiquitatis* Sect. X. Num. 70. Pag. 343. integrum hoc Marmor edidit, cuius periodos aliquas fubiiciam.

Ἐπὶ Φαιδρίȣ Ἄρχοντος, ἐλαφηβολιῶνος ὀγδόῃ, ἐκκλησίᾳ, ἐν τῷ ἱερῷ τȣ̃ Ἀπόλλωνȣς Διονύσιος Διονυσίȣ Ἀρχιθιασίτης εἶπεν

. . . .

Ἀγάθῃ τύχῃ δεδόχθαι τῷ κοινῷ τῶν Τυρίων . . . . τῶν ἐμπόρων, ϗ ναυκλήρων ἐπαίνεσαι Πάτρωνα Δωροθέȣ ϗ ςεφανῶσαι αὐτὸν κατ' ἐνιαυτὸν χρύσῳ ςεφάνῳ ἐν ταῖς συντελησμένȣις θυσίαις τῷ Ποσειδῶνι . . . . παρεκάλεσεν τὸ κοινὸν ἐξαποςεῖλαι πρεσβείαν πρὸς τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων . . . αἱρεθεὶς πρεσβευτὴς πρὸς τὴν βȣλὴν, ϗ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων ὅπως δόθῃ . . . κατασκευάσȣσιν τέμενος Ἡρακλέȣ τȣ̃ Τι. . . . ϗ ἐδέξατο δὲ τὸν θίασον ἐφ' ἡμέρας δύο . . . .

. . . .

Ἐπὶ

Ἐπὶ Ἀρχιθιασίτου
Διονυσίου τοῦ Διονυσίου
Ἱερατεύοντος δὲ τοῦ
Δωροθέου

Δῆμος Ἀθηναίων ἡ Σύνοδος
τῶν Τυρίων
ἐμπόρων, καὶ
ναυκλήρων

Archonte Phaedria, *Elaphebolionis octava* die, *Ecclesia in Templo Apollinis* convocata, *Dionysius Dionysii* fil. *Archithisiasites dixit*

. . . .

Quod faustum sit, placuit communi Tyriorum & *Mercatorum*, & *Nautarum laudari Patronem Dorothei* fil. & *coronari ipsum quotannis aurea corona in iis, quae peragentur Neptuno Sacrificiis* . . . quia *hortatus est commune mittere Legatos ad Populum Atheniensium* . . . atque *electus Legatus ad Senatum, Populumque Atheniensium* ut . . . *concederetur* quo *aedificarent Templum Herculi Tyrio, simulque administravit Thiasum in dies duos* . . . .

. . . .

sub Archithiasite
Dionysio Dionysii filio
Sacerdote vero
Dorotheo

Populus Atheniensium *Synodus*
Tyriorum
Mercatorum, &
Nautarum

Illud autem hic obiter observari velim quod cum nullus Atheniensis Civis, sed Mercatores solum Nautaeque Tyrii ter in Marmore nominentur, decretum illud non ab Atheniensi Populo, sive Senatu, qui in Delo reperiebatur, sed a

Communi potius, aut Synodo Tyriorum editum fuit; quamvis ab Atheniensi deinde Populo confirmatum videatur. Observari etiam debet quod (1) *Herculi Tyrio* Templum in Delo aedificatum in Marmore memoratur. Sic enim Marmoris lacunam supplendam, atque explicandam esse coniicio; quod Herculis Tyrii cultus non modo Tyriis ipsis, sed exteris quoque Gentibus solemnis esset. Ac, nisi plurimum fallor, Inscriptio quae a Rheinesio profertur Classe I. Num. 64.

Sanctissimo Herculi
Tyr. invicto sacrum

De Hercule *Tyrio* intelligi profecto debet; quamvis Rheinesius ipse *Tyrannum*, hoc est *Regem*, ac *Dominum* intelligendum esse putaverit.

Alterum Marmor a Gronovio profertur Pag. 405. Num. 1. sed *biulcum*, *lacerum*, *&* *in multis vitiatum*, ut testatur Montfauconius in Diario Ital. pag. 43. qui Marmor ipsum ita accuratissime exscripsit (2).

Ἐπὶ Ἀριςαίχμȣ Ἄρχοντος
Γαμηλιῶνος δεκάτει ἱςαμένȣ
ἐκκλησια κυρία ἐν τῶι ἐκκλησιαςηριῶι
Μ'νανδρος Μενάνδρȣ Μελιτεὺς εἶπεν
Ἐπειδὴ Εὔβȣλος Δημητρίȣ Μαραθώνιος

. . . .

τό τε πρῶτον Παναθηναίοις ἐποιήσεν τὸν
δῆμον τῶν Ἀθηναίων τῶν ἐν Δήλω τιμηθῆ
ναι χρύσωι ςεφάνωι . . . πολλὰ τῶν χρη
σίμων Ἀθηναίοις τοῖς ἐν Δήλωι περιεποίησεν
ἱερεύςτε γενόμενος τῶν μεγάλων θεῶν κ̧
πάλιν τȣ̃ Ἀσκληπίȣ κ̧ πάλιν αἱρεθεὶς ὑπὸ τȣ̃
δήμȣ κ̧ λαχὼν τȣ̃ Διονυσίȣ κ̧ ἐκ τῶν ἰδίων πάσας
δαπανήσας τὰς πομπὰς κ̧ τὰς θυσίας ὑπὲρ Ἀθηναίων
ων κ̧ Ῥωμαίων συνετέλεσεν ἀγαθεῖ τύχει δε-
δόχθαι τεῖ βȣλεῖ τȣ̀ς λαχόντας Προέδρȣς
εἰς τὴν ἐπίȣσαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι
περι τȣ́των γνώμην δὲ ξυμβάλλεσθαι τῆς
βȣλῆς εἰς τὸν δῆμον ὅτι δοκεῖ τεῖ βȣλεῖ ςε-

φανῶ-

(1) Vid. Arrian. de Exped. Alex. Lib. II. pag. 125. (2) Vid. Murat. Pag. 663.

φανῶσαι Εὔβυλον Δημητρίυ Μαραθώνιον
. . . . χειροτονῆσαι
δὲ κ̀ πρεσβεῖς ἤδη τρεῖς οἵ τινες ἐπέλθον
τες ἐπὶ τὴν Ἀθήνησιν βυλὴν κ̀ ἐκκλησίαν
παρακαλέσυσι τὸν δῆμον συνεπιχωρῆσαι
τοῖς ἐψηφισαμένοις Εὐβύλωι φιλανθρώποις
ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα κ̀ εἰς ϛήλην
λιθίνην κ̀ ϛῆσαι ἐν τῶι Ἡρακλείωι πρεσβεῖς
εἰς Ἀθηνᾶς κατὰ τὸ ψήφισμα οἵδε κεχειρο
τόνηται Ἀνθεϛήριος ἐκ Μυῤῥυνέττης
Ξενόφιλος Οἰναῖος Δημήτριος Μαραθώνιος
Επεψηφίσθη κ̀ Ἀθήνησιν

ἡ βυλὴ κ̀ ὁ δῆμος	ἡ βυλὴ κ̀ ὁ δῆμος	ἡ βυλὴ κ̀ ὁ δῆμος

Sub Ariſtaechmo Archonte
Gamelionis menſis *decima* die
concione legitima in concionis loco convocata
Menander Menandri Melitenſis dixit.
Quandoquidem Eubulus Demetrii Marathonius
. . . .
& primum in Panathenaeis id effecit, ut
Populus Athenienſium, qui in Delo ſunt, hono-
raretur aurea corona . . . . & *multa uti-*
lia Athenienſibus, qui in Delo ſunt, procuravit
Sacerdos etiam factus magnorum Deorum, &
deinde Aeſculapii: rurſuſque electus a Populo
nactuſque Bacchi Sacerdotium *proprio ſumptu*
pompas, & ſacrificia pro Athenienſi
bus, & Romanis peregit . . quod bene vertat, pla-
cuit Senatui, ut qui ſortito Proëdri eligentur
in proxima Concione, loquantur
de his, referantque ſententiam Sena-
tus ad Populum quod ſcilicet *placuit Senatui co-*
ronari Eubulum Demetrii Marathonium
. . . . *eligique*
legatos tres, qui adeuntes
Senatum, & Concionem, quae Athenis eſt,
rogent Populum, ut annuat

decre-

decretis Eubulo honoribus
inscribique hoc Decretum in cippo
lapideo, ac in Heracleo collocari. Legati
Athenas, iuxta Decretum, hi sunt ele-
cti: Anthesterius ex Myrrhynunte,
Xenophilus Oenaeus, Demetrius Marathonius
Decretum Athenis etiam confirmatum est.

Denique Marmor aliud inter Arundelliana Num. CXXXII. Pag. 270. nobis occurrit, quod Rheinesius etiam Clas. I. Num. 55. exhibuerat

Ἀθηναίων καὶ (1) Δηλίων οἱ
κατοικοῦντες ἐν Δήλω
καὶ οἱ ἔμποροι, καὶ ναυκλῆροι
Ἀλέξανδρον Πολυκλείτου Φλυέα
. . . .
ἐπιμελητὴν Δήλου γενόμενον
ἐν τῷ ἐπὶ Ζήνωνος Ἄρχοντος ἐνι-
αύτῳ
Ἀπόλλωνι

Athenienses, & Delii, qui
incolunt Delum, &
Mercatores, & Naucleri
Alexandrum Polycliti f. Phlyasium
. . . .
Curatorem Deli factum
eo, quo Zeno Archon fuit, an-
no
Apollini

Itaque ex tribus Marmoribus istis tres Eponymos Atheniensium Archontes doctissimi Viri exsculpserunt, quos Eponymorum Fastis insererent. Etenim Dodvellus, laudato Sponii Marmore, *Phaedriam* in Eponymorum serie recenset; ipsumque *post Hadrianum* Caesarem imperasse putat, ut mox ostendetur. *Aristaechmus* vero non a Dodvello solum, sed a Meursio quoque Lib. IV. c. 20., citato Gruteri Marmore, Fastis inscribitur. Denique, laudato Oxoniensi Marmore,
ac

(1) Rhein. male Σαμίων.

ac Rheinesio, *Zenonem* quoque Dodvellus enumerat; ipsumque tamen *Archontem Delium* fuisse dicit, incertumque qua aetate imperaverit.

Quid doctissimos Viros illos impulerit ut Phaedriam, atque Aristaechmum Eponymorum Atheniensium Fastis inscriberent, ac Dodvellus ipse, qui Zenonem non Atheniensium, sed Deliorum Archontem esse coniecerat, ceteros non Deliis, sed Atheniensibus accenseret, definiri vix potest. Suspicor tamen hic illos Atheniensium, non Deliorum Archontum nomina cogitasse, quod Insula Delos Atheniensium imperio subiecta foret, iisdemque proinde legibus, Archontibus, temporisque characteribus uteretur. Accedit etiam, quod in Gruteriano praesertim Marmore mensis, & Populi Atheniensis nomen, Athenienses etiam Cives, Atticae Populi, Concionis ritus, Proëdri, Sacerdotes, Senatus Atheniensis, aliaque id genus plura memorantur; quibus veluti characteribus ostendi possit Archontem illum, qui Decreto inscribitur, non Delium, sed Atheniensem potius habendum esse; nec alia certe de caussa factum putaverim ut Zenonem Dodvellus Delium potius, quam Atheniensem Archontem fuisse diceret, nisi quod varii characteres illi in Oxoniensi Marmore desiderentur.

At, nisi vehementer hic ego fallor, non *Zeno* solum; sed *Aristaechmus* etiam, & *Phaedrias* ex Atheniensium Fastis expungi, Deliique solum Archontes censeri debent. Quamvis enim Delus Atheniensium imperio pareret, atque Atheniensibus etiam, si libeat, legibus, sacris, ac ritibus uteretur, incertum est tamen an Delii Atheniensis Archontis nomina, veluti temporis notam Decretis inscriberent; longeque, ut opinor, verisimilius haberi debet, Delios etiam non modo proprios Archontes Eponymos habuisse, quod a Prideauxio (1) quoque observatum esse conspicio; verum etiam istorum nomina & Fastis, & publicis etiam Decretis inscribere consuevisse. Certe ex ipsa Marmoris serie manifestissime deprehendi potest quod in Delo *Ecclesia*, vel concio, *Ecclesiasterium*, vel legitimus Concionis habendae locus, *Senatus*, *Proëdri*, *Esculapii*, *Dionysiique Sacerdos*, aliaque id genus plura eodem prorsus modo, iisdemque ritibus

bus

(1) Notae ad Mar. 132. Pag. 271.

bus reperiebantur, quibus Athenis ipsis haberi consueverant; quemadmodum certe in Marmoribus aliis (1) Athenienses Cives *Sacerdotis*, & *Gymnasiarchae* munere in Delo perfunctos esse conspicitur. Quid ni ergo & *Archontes* etiam in Delo extiterint, qui vel ab Atheniensibus Delum incolentibus eligerentur, vel Athenis ipsis electi Atheniensium nomine in Delo imperarent, proprioque nomine Deliorum Fastus, atque Decreta insignirent? Certe Timarchus, ut testatur Aeschines (2), ἦρξεν ἐν Ἄνδρῳ πριάμενος την ἀρχὴν τριάκοντα μνᾶς *Archon fuit*, sive imperavit *in Andro, cum magistratum illum triginta minis emisset*; atque Agyrrhius etiam, de quo superius Num. XII. disserui, ἄρξας ἐν Λέμνῳ, *Archon in Lemno* fuisse dicitur. Quod si in Gruteriano illo Marmore Senatus, ac Populus ille nominatur, qui *Athenis* erat, adeoque *Archon* ipse non Delius, sed Atheniensis videri fortasse possit, in duobus tamen Marmoribus aliis nulla Athenarum mentio, nullum Atheniensis civis nomen occurrit: quemadmodum prorsus in Marmoribus aliis (3) ὁ δῆμος ὁ Δηλίων *Populus Deliacus* nominatur, qui statuas erigit, honores decernit, iisdemque omnino ritibus conciones peragit, etsi nulla Athenarum mentio iniiciatur: quod argumento sane esse poterit Delios ipsos proprium Archontem habuisse: idque de Chiis etiam, Lemniis, Samiis, Sigeis, Smyrneaeis, aliisque Populis ostendi posset, qui Atheniensium imperio, Deliorum instar, obnoxii fuerant (4). Sic, ut exemplum unum hic proferam, in Marmore, quod Sponius (5), & Montfauconius (6) exhibuit, Pariorum Decretum reperitur editum Ἀπολλοδώρε τε Ἀπολλωνίε Νησιαρχεντος *Apollodoro Apollonii filio Insulam gubernante*. atque in alio (7) Pariorum foedus cum Allariotis confirmatur ἐπὶ Κόσμων τῶν περὶ Φιλόνβροτον τὸν Εὐθυμάχε *Philombroto, Euthymachi filio Magistratum gerente*. At ne coniecturis aliis hic immorer, ac ne suspicari quis possit eiusmodi Decretorum temporibus Parios Atheniensium imperio minime paruisse, perspicuum aliud argumentum ex Arundelliano Marmore, quod *Chronicon Marmoreum* vocari solet, deprehendisse videor. Marmor illud in Paro, iisdemque

(1) Spon. Itin. Tom. I. pag. 178. & 185. vid. Marmora Oxon. pag. 302. (2) Orat. in Timar. pag. 15. (3) Marm. Oxon. XLII. Pag. 277. & in Append. Marm. III. & IV. (4) Vid. Thucy. Lib. I. c. 115. (5) Miscell. Erud. Antiq. pag. 336. (6) Pag. 38. Diar. Ital. (7) Pag. 72.

que omnino temporibus excitatum esse, quo Paros Insula Atheniensibus subiecta foret, Eruditi viri observarunt (1); atque exinde quoque ego factum crediderim ut Marmoris Auctor in singulis Epodiis Atheniensium Regum, Archontumque nomina veluti perspicuam temporis notam expresserit, quod Auctor ipse, eiusque Patria Atheniensium imperio pareret, adeoque id honoris Atheniensibus ipsis concesserit, ut illustriora Graecanicae Historiae capita non aliis quam Atheniensium Fastis designaret. Eximius hic tamen, atque accuratissimus Marmoris Auctor nitide, diserteque nobis ostendit anno 1. Olymp. CXXIX. quo Marmor sculptum fuit, Parios ipsos Archontem proprium ab Atheniensi Archonte distinctum habuisse: asserit enim se tempora describere ἕως Ἄρχοντος ἐν Πάρῳ Ἀστυάνακτος, Ἀθήνησι δὲ Διογνήτου *usque ad Archontem in Paro quidem Astyanactem*, *Athenis vero Diognetum*. Ergo, si Paros insula, quamvis Atheniensibus subiecta foret, proprio tamen Archonte, & quidem Eponymo fruebatur, dubitari certe non poterit quin in Delo quoque Archontes alii ab Atheniensibus distincti reperirentur; adeoque *Zeno*, *Phaedrias*, & *Aristaechmus*, qui in Deliorum monumentis occurrunt, ad Deliorum potius quam Atheniensium Fastos referri, sive ex Eponymorum Atheniensium Fastis expungi debeant.

Quod vero ad Archontum illorum aetatem attinet, Cl. Dodvellus *incertum* esse putavit qua aetate *Zeno* imperaverit. Aristaechmum vero *sub Romanis* floruisse merito existimavit, cum certe *Romanorum* nomen in ipso Marmore memoretur. Phaedriam denique post Hadriani Caesaris imperium vixisse dicit; quod Sponii vestigiis hic, ut opinor, institerit, eademque Sponii coniectura in errorem abreptus fortasse fuerit. Etenim Sponius, cum ex Stephano observasset Hadriani Caesaris pecunia Olympicum in Delo ab Atheniensibus aedificatum, ipsumque *Novas Athenas Hadrianas* appellatum esse, *Atheniensem Populum*, qui in his Marmoribus memoratur, non alium esse contendit, quam qui Deliacas, vel Novas Athenas illas incoleret; quo certe fieret ut Archontes illi, qui Atheniensibus in Delo praeerant, post Hadrianum ipsum vixisse debuerint. At suspicari fortasse quis pote-

(1) Prideaux. Pag. 89.

poterit Olympicum illud, Novasque Athenas non in Delo, sed Athenis ipsis exstructas fuisse. Dion certe diserte scribit quod *Templum Iovis Olympii* Hadrianus *Athenis aedificavit*; ac Spartianus asserit quod ille *multas Civitates Adrianopolis appellavit, ut ipsam Chartaginem, & Athenarum partem*; nullibi vero aut *Olympicum* illud, aut *Novae Hadrianae* memorantur, quae in Delo constructae fuerint. Quin etiam Pausanias ipse, qui Hadriani Caesaris aetate floruit, ac singula ipsius munificentiae monumenta accuratissime est prosequutus, non modo Deliacas Athenas illas prorsus coluit; sed testatur etiam Delum Insulam, si Delios tantum numeres, omnino desertam fuisse, solumque in illa Templi praesidium extitisse, quod Athenis ipsis in Insulam mittebatur (1). Itaque a vero fortasse abhorret quod in tanta incolarum raritate Atheniensis Populus Delum incolens *Ecclesiam*, *Senatum*, *Proëdros*, *Sacerdotes*, *Gymnasiarchas*, *Archontas*, aliaque id genus honoris insignia habere potuerit, quae in his Marmoribus memorantur. Sed quamvis etiam *Novae* ille *Athenae* sub Hadriano in Delo conditae admitti debeant, quis tamen Sponio, Dodvelloque concesserit Atheniensem Populum in Marmoribus memoratum ex solis Atheniensibus illis conflatum esse, qui Novas Athenas incolerent, adeoque Atheniensis huius Populi nomen, & Marmora ad Hadriani tempora referri oportere? Certe Delos insula ab antiquioribus longe temporibus Atheniensium imperio subiecta fuerat, atque Strabonis etiam, vel Augusti aetate *Athenienses* illam *tenebant* (2); ut nihil proinde fuerit cur doctissimi viri Delios Archontas illos post Hadriani Caesaris aetatem Fastis inscribendos esse putarent; nec alium in Marmoribus illis Atheniensem Populum cogitarent, quam qui Novas Athenas aedificaverat. Etenim Atheniensis etiam Populus in alio Marmore diserte conspicitur, quod ante Hadriani tempora Augusto Caesari circa annum V. C. 725. consecratum a Chisullo profertur Pag. 200.

ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων
κ̓ οἱ τὴν νῆσον κατοικοῦντες
αὐτοκράτορα Καίσαρα

Θεοῦ

(1) Lib. VIII. c. 33. (2) Lib. X. p. 486.

Θεῦ Ἰουλίου υἱὸν
Ἀπόλλωνι, Ἀρτέμιδι, Λητοῖ

Populus Athenienſium,
& Inſulam incolentes
Imperatorem Caeſarem
Divi Iulii filium
Apollini, Dianae, Latonae.

Itaque ſuſpicor Archontas illos ad Auguſti ipſius, vel propiora tempora referendos eſſe, quibus Inſula Delos Athenienſium civium copia, Tyriorum, aliarumque Gentium frequentia maxime florebat, poſtquam excuſſo Mithridatis Regis imperio in veterem Athenienſium ditionem redierat.

Quod ſi inter Eponymos Athenienſium Archontas Zenoni, Ariſtaechmo, Phaedriaequae locus eſſe non poteſt; multo certe minus Eponymis ipſis inſcribi poterit *Diognetus* ille, qui apud Rheineſium Claſſe I. Num. 206. memoratur.

Smyrnae effoſſus ſtylobates

Ἀσκληπίῳ Παιηο	*Aeſculapio Paeoni*
νι Διόγνητος	*Diognetus*
Ἀπολλωνίου τοῦ	*Apollonii* fil.
Διογνήτου Ἄρχων	*Diogneti* nep. *Archon*
καθιέρωσε	*excitavit*

Quamvis enim Smyrnaeorum Inſulam aliquando Athenienſibus paruiſſe concedatur, perſpicuum eſt tamen quod ipſi propriis Archontibus, vel Magiſtratibus utebantur, quorum nomina Decretis, publiciſque monumentis inſcriberent. Ita in Smyrnaeorum ac Magnetum Foedere anni 1. Olympiad. CXXXIV. quod inter Oxonienſia Marmora reperitur (1), initio legitur Ἐπὶ Ἱερέως Ἡγησίου, Στεφανηφόρου δὲ Πυθοδώρου *ſub Sacerdote Hegeſia, Stephanephoro vero Pythodoro* ubi perperam fortaſſe Prideauxius (2) *Stephanephorum* quidem Magnetum, *Sacerdotem* vero Smyrnaeorum Magiſtratum fuiſſe dicit. Etenim in alio Smyrnaeorum Marmore (3), quod Hadriani Caeſaris aetate ſculptum fuit, Θευδίανος Στεφανηφόρος *Theudianus Stephanephorus* Smyrnaeorum nominatur; atque Philoſtratus in Heraclidis Vita teſtatur, quod ille Στεφανηφόρον ἀρχὴν παρ' αὐ-

(1) Num. I. Pag. 8. (2) Pag. 34. (3) Pag. 93.

αὐτοῖς ἦρξεν, ἀφ' ἧς τοῖς ἐνιαυτοῖς τίθενται Σμυρναῖοι τὰ ὀνόματα: Coronigeri, vel *Stephanephori dignitatem apud eos obtinuit, a qua annis ſuis Smyrnaei* (1) *nomina imponunt :* quemadmodum certe *Strategorum* nomina in Smyrnaeorum Nummis frequentiſſime occurrunt, ut Diſſertat. I. Num. 39. & Diſſ. XII. opportunius oſtendetur. Itaque Dodvellus ipſe, qui in Athenienſium Eponymorum ſerie Diogneti nomen memoravit, optime tamen obſervavit illum *Smyrnaeum forte, non Athenienſem* fuiſſe; nulluſque dubito quin nitide, diſerteque ex Eponymorum Athenienſium ſerie Diognetum iſtum expungere potuiſſet, ſi accuratius obſervaſſet *Archontis* nomen a plurimis Graeciae Civitatibus varioque ſubinde ſenſu uſurpari conſueviſſe; quemadmodum certe apud Coos, Delphos, Theras, alioſque plures in Marmoribus Archontis nomen occurrit (2), quod nemo certe ad Archontum Athenienſium Faſtos revocaverit.

XXXIII.

Flavius Prylades.

Apud Gruterum Pag. 464. Num. 7. ſequens Inſcriptio reperitur, quae Athenis olim poſita fuerat.

Τὸν λαμπρότατον
Ἀνθύπατον τῆς Ἑλλάδος
Ῥούφιον Φῆστον κ̀ Ἀρε-
οπαγέτην ἡ ἐξ Ἀρεοπάγου
βουλὴ καὶ ἡ βουλὴ
τῶν τριακοσίων καὶ ὁ
δῆμος ὁ Ἀθηναι ν εὐνο-
ίας ἕνεκα καὶ εὐεργε-
σίας τῆς περὶ τὴν πόλιν
ἀνέστησεν προνοῦντος
Φλαβί.υ πρυλάδου (3)
Α"λου (4) διασεμνοτάτου
Ἄρχοντος

Splendidiſſimum
Proconſulem Graeciae

Ru-

(1) Vit. Sophiſt. Lib. II. (2) Spon. Miſcell. ſect. X. Num. 51. 64. 66. Cyriac. Num. 200. & ſequ. (3) Rhein. An Πυλάδου? (4) Gruterius notat Α · ΥΟΥ.

Rufium Festum, & Areopagitam Areopagi
Senatus, & Senatus
Tercentorum, &
Populus Atheniensium ob benevolentiam, ac beneficentiam ipsius *erga Vrbem*
erexit curante
Flavio Prylade
Alo honoratissimo
Archonte

Haec eadem Inscriptio a Muratorio quoque exhibetur Pag. 560. Num. I. cum hac epigraphe.

Athenis in Columna marmorea. E Schedis meis, & Schedis Barberinis Cyriaci.

Sed hic ita desinit.

.... προνοῦντος
Φλαβίου τȣ̃ δαδούχȣ τȣ̃ σεμνοτάτου
Α"ρχοντος

.... *curante*
Flavio Facifero honoratissimo
Archonte

Quinetiam apud Muratorium ipsum Pag. 567. aliud Inscriptionis huius exemplar reperitur acceptum *ex Museo Kempiano*; quod in ceteris superiori prorsus consentit, nisi quod in Inscriptionis fine ita legitur

.... προνȣ̃ντος	.... *curante*
Φλαβίρυ Πρυλάδου	*Flavio Prulade.*

& Muratorius inquirendum aliis relinquit, cur exemplum istud ab alio differat.

Si una, eademque foret Inscriptio, cuius exemplum a Grutero, & ex Musaeo Kempiano exhibetur, ideo in exemplis illis postrema Inscriptionis verba diversa fore putarem, quod librarius ille, qui Inscriptionem excepit, cum in penultimo, ultimoque versu literas iam evanidas, & exesas esse conspiceret, utrumque versum illum praeteriit. Sed al-

tera tamen Inſcriptio, cuius exemplum ex Cyriaci Schedis profertur, ita a ſuperiori differre conſpicio, ut alia prorſus Inſcriptio videatur, ideoque varietatis origo minime ſit inquirenda. Certe apud Sponium in Itiner. Tom. III. pag. 18. alterius Inſcriptionis exemplum occurrit, quae iisdem omnino verbis, ac ſuperiores illae, conſpicitur, ſed ab iis tamen omnibus tum in verſuum ordine diſſidet tum ita deſinit

. . . . ἀνέστησεν
προνοίᾳ Φλαβίου Πομ.
δᾳδούχου τοῦ διασημο-
τάτου καὶ ἀπὸ Κομίτων

. . . . erexit
Cura Flavii Pom.
Faciferi honoratiſſi-
mi, & ex Comitibus

Itaque vel Inſcriptiones illae diſtinctae, variiſque temporibus, aut locis poſitae cenſeri debent; vel ex ſcriptorum vitio tribuendum erit, quod illas adeo diſſidentes exhibeant, cum praeſertim in Cyriaci Inſcriptionibus, quae Romae typis excuſae ſunt, perſpicue legatur

. . . . ἀνέστησεν προνοίαι
Φλαβίου δαδουάλου τοῦ διασημοτάτου
Ἄπρχοντος
καὶ ἀπο Κομίτων (1)

Quodcumque tamen ex variis exemplis illis eligatur, *Flavius Prylades* Archon in illis memoratus inter Eponymos haberi non poterit; quamvis Dodvellus citata Gruteri Inſcriptione *Pryladem* Archontum Eponymorum Faſtis adſcripſerit. Siquidem Flavius ille Prylades poſt Conſtantini Caeſaris aetatem vixiſſe debuit, ut *ex Comitibus* ἀπὸ Κομίτων appellari potuerit; cum Comitum dignitas, ac nomen Conſtantini Caeſaris aetate uſurpari caeperit (2).

Eadem quoque Pryladis Archontis aetas ex *Rufi Feſti Proconſulis* nomine, atque temporibus inferri poteſt. Cum enim IV. Eccleſiae Seculo tres *Feſti* floruerint, & Feſtus alius

(1) Num. 73. Pag. 10. (2) Euſeb. Vita Conſt. Lib. IV.

alius anno 439. Consul fuerit, ut ex Gothofredo Muratorius hic observavit, facile superior Inscriptio ad illorum aliquem spectasse potuit; ideoque Prylades etiam ad IV. Ecclesiae Seculum referri poterit. Quinetiam Fabricius (1) subdubitat an Festus ille qui in Marmore memoratur, ac Festus etiam ille, qui in alio Marmore apud Sponium (2) *Rufus Festus Avienus* dicitur, unus idemque fuerit cum *Rufo Festo Avieno* Arateorum Carminum Metaphraste, qui Theodosii iunioris, Marcianique Caesaris aetate floruit, hoc est circa annum Christi 450 Id vero mihi longe verisimillimum videri solet. Etenim, ne coniecturis aliis immorer, *Rufus Festus Avienus*, qui in Sponiano Marmore memoratur, diserte dicitur:

Romam habitans gemino Proconsulis auctus honore
Carmina multa serens.....

Itaque Proconsulis dignitas, Poëticaeque artis studium satis, ut opinor, ostendunt in utroque Marmore celebrem illum Avienum Arateorum Interpretem memorari, adeoque Pryladis Archontis annum ad Theodosii Caesaris aetatem referendum esse, qua Eponymorum Archontum dignitatem sublatam esse variis in locis ostendimus, ac Meursius ipse fatetur Libro I. c. 9. Exinde vero manifestissime inferri debet quod in superiori Marmore, aliisque id genus monumentis Α῎ρχοντος *Archontis* nomen latius usurpatur, ut Vrbis *Praefectum* exprimat, qui *Strategus* etiam, Στρατηγὸς appellari consueverat, ut ex Modestino iam demonstravi (3), qui in Lib XXVII. digest. Tit. 1. de Excusat leg. 15. ait ὁ τῆς πόλεως Α῎ρχων, τουτέστιν Στρατηγός *Vrbis Praefectus, hoc est Strategus* vel *Magistratus*, qui Vrbi praeerat, supremique in illa Moderatoris munere fungebatur, quamvis Provinciae Praesidi, sive Proconsuli subesset. Hinc leg. 1. §. 2. 3. 5. digest. de Magistrat. conven. *Magistratus* a *Praeside*, ita distinguitur, ut *Praeses* quidem Provinciae, *Magistratus* vero Vrbi praeesset: ac Modestinus ipse, qui Vrbis Praefectum *Strategi*, *Archontis* vel *Magistratus* nomine designaverat, Provinciae Praesidem Leg. 13. ἡγούμενον appellavit. Quamvis tamen eius-

(1) Biblioth. Lat. Lib. III. c. 11. (2) Miscell. Erud. Antiqu. Pag. 99. (3) Dissert. I. Num. 38.

eiusmodi *Archontis Praesidisque* discrimen in pluribus Iuris Civilis locis observatur; subinde tamen *Praeses* etiam ipse, qui non Vrbi, sed Provinciae praeerat, Ἄρχων *Archon* vocatur: unde Philostratus Hadrianum Sophistam παρὰ τῷ τῆς Ἑλλάδος Ἄρχοντι (1) *apud Graeciae*, vel *Achaiae Praesidem* caedis accusatum esse testatur. Haec autem obiter quidem, sed opportune tamen hic indicasse iuverit, ne ex solo *Archontis* nomine, quod alicui tributum esse conspicitur, repente inferatur illum Eponymis Atheniensium Archontibus inserendum esse: quod a Meursio tamen, aliisque Scriptoribus subinde factum esse iam diximus.

XXXIV.

Theagenes.

Postremo tandem loco in *Pseudeponymorum*, sive, ut accuratius loquar, *non Eponymorum* Archontum serie Theagenes iste recensendus occurrit; quem Meursius ipse in Archonticis quidem Fastis praeterierat, sed ceteris tamen accensendum esse putavit in auctario, quod ex Meursii autographo Antiquitatum Graecarum Thesauro Gronovius inseruit. Ac nitide quidem, diserteque Theagenes iste a Suida, quem Meursius hic protulit, *Archontis*, atque *Atheniensis* nomine decoratur, cum ait Θεαγένης Ἀθηναῖος Ἄρχων φιλότιμος ἀνὴρ, καὶ μεγαλοφυὴς *Theagenes Atheniensis Archon vir honoris cupidus, & magno ingenio praeditus*. At, si doctissimi Scriptoris verba cum ceteris pone sequentibus conferantur, perspicuum fiet Theagenem istum iis temporibus floruisse, quibus Athenis Eponymorum Archontum dignitas, ac nomen omnino sublatum fuerat; ut proinde Eponymus ille censeri, vel Eponymorum Fastis inscribi nequeat. Certe Suidas Theagenis indolem, studia, ac mores exprimens ait illum Marini coaevum fuisse; nullusque dubito quin Marinum illum intelligat, quem Suidas ipse (2) Procli Philosophi discipulum, atque in Platonica Schola Successorem fuisse dicit. Porro Marinus iste, ut optime Vossius (3) ostendit post annum Christi 500. floruit, adeoque ducentis fere annis postquam Eponymi

(1) Dit. Sophist. Lib. I. Num. 10. c. 3. (2) In Marino, & Proclo. (3) De Scient. Mathem. c. 33. Num. 26.

nymi Archontis dignitas Athenis extincta fuerat, ut Differ. I. Num. 35. ostendi, ac Meursius ipse Lib. I. de Archontibus Athen. c. 9. testatur. Ergo Theagenes iste Eponymorum Archontum Fastis inscribi certe non poterit; ac ne Novemviris quidem, qui scilicet ipsius aetate nulli Athenis erant, accenseri; sed Senatorio solum munere, aut alio quodam Magistratus genere perfungi ille potuit; cum praesertim Suidas aperte dixerit: ϗ γαρ ἦν τῶν Ρωμαϊκῶν πατέρων εἷς, ϗ πρῶτος τῆς περὶ τὰ βασίλεια συγκλήτου βουλῆς *etenim erat unus ex Romanis Patribus, & Senatus, qui in Palatio convocari solebat, primus*. Itaque *Archontis* nomen latius hic sumi debet ut Magistratum, munus, ac dignitatem omnem, quaecumque illa fuerit, exprimat: quemadmodum certe hoc ipso sensu a Graecis scriptoribus vocem ipsam frequenter usurpatam esse conspicimus. Sic, ut in re perspectissima exemplum unum hic proferam, Etymologus *Ephoros*, qui eximiam apud Laecedemonios dignitatem, ac imperium obtinebant, Ἄρχοντας *Archontes* vocavit: Ἔφοροι, ἄρχοντες ἦσαν ἐν Λακεδαίμονε ἐννέα ἀπο τοῦ πάντος ἐφορᾶν. ἦν δε μεγίστη ἡ ἀρχή. *Ephori*, vel Inspectores: *Archontes*, vel Magistratus *erant Lacedaemone novem*, *quod singula inspicerent. Erat autem* Ephororum *dignitas maxima*. Quo certe loco Ethymologus ipse perspicue fallitur dum Ephoros *novem* fuisse dicit; cum ceteri Scriptores omnes illos quinque solum fuisse diserte, constanterque dixerint ut fuse Craigius (1) ostendit. Itaque vel in Etymologi textum ἐννέα *novem* irrepsit; vel πεντε *quinque* rescribi debet; vel novenarius Archontum Atheniensium numerus hic Etymologo fraudi fuit, ut totidem prorsus Ephoros Lacedaemoni quot Archontas Athenis tribueret.

Quandoquidem vero Etymologi locum hic opportune laudari, simulque Craigio duce corrigi, vel emendari contigit, quid prohibet quin eximii Scriptoris nomen, quod Eruditorum hominum diligentiam hactenus fugerat, ego omnium primus nunc e latibulo, tenebrisque in lucem proferam? Ac varias quidem doctissimorum Virorum Sententias de Etymologi nomine circumferri Fabricius (2) observavit, illarumque singulas aut falsas, aut levissimis solum ludicrisque subinde conjecturis innixas esse demonstravit; ut proinde Etymologici

(1) De Republ. Laced. Lib. 2. c. 4. (2) Biblioth. Graec. Lib. V. c. 40. Num. 5.

gici Auctorem Fabricius ipse neque *Megalem* aut *Megalum* cum Goldasto, neque Nicam cum Politiano, ac Vossio; neque Suidam cum Ephemeridum Trevoltiensium Scriptoribus; neque Marcum Musurum cum Schotto, sed *Anonymum* potius vocandum esse putaverit. At nisi plurimum fallor, verum Etymologi nomen deprehendisse ego videor, ipsumque *Andromachum* vocandum esse existimo. Primam huiusce nominis suspicionem, ac indicium mihi iam pridem iniecerat Fabricius ipse, qui varios Auctores illos enumerans (1), qui in Homericis Scholiis memorantur, ceteros inter etiam *Andromachum* ἐν Ἐτυμολογικοῖς *in Etymologicis* recenset; cuius testimonium in Scholiis ad Iliadis N. versum 730. proferatur. Itaque laudatum Homeri versum, simulque Scholiastae locum consului: ubi diserte legitur.

Φράξαντες δόρι δουρὶ, σάκος σάκει προθελύμνῳ. Προθελύμνῳ. ἐπάλληλοι. πυκνοί. Ἀνδρόμαχος ἐν Ἐτυμολογικοῖς φησὶ κυρίως λέγεσθαι τὰ ἐπαλληλους κλαδους ἔχοντα δένδρα διὰ τὸ θηλυμανεῖν.

Munientes lanceas lanceis, clypeum clypeo denso. Προθελύμνῳ *denso* quod nimirum *superimpositi, conferti forent Andromachus in Etymologicis ait* προθέλυμνα *proprie arbores illas vocari, quae ramos alios aliis superimpositos habent propter* θηλυμανεῖν, hoc est *faeminas* arbores *appetere*. Denique in Etymologo vocem illam sic explicatam inveni Προθέλυμνος. πρόῤῥιζος, ἢ πυκνός. παρὰ τὸ τέλος τέλυμνος, καὶ θέλυμνος. Θέλυμνα λέγεται τὰ ἐπαλλήλους ἔχοντα τοὺς κλάδους δένδρα διὰ τὸ θηλυμανεῖν, μεταφορικῶς. Ἰλιάδος N

Φράξαντες δόρι δουρί, σάκος σάκει προθελύμνῳ

Itaque, cum perioche, vel testimonium illud, quod ab Homerico Scholiaste tanquam ex *Andromachi Etymologicis* desumptum exscribitur, in Etymologo nostro totidem fere verbis occurrat, maximo, ut opinor, id argumento esse poterit Etymologicum ipsum, quod circumfertur, a Scholiaste citatum fuisse, adeoque Etymologici nostri Auctorem *Andromachi* nomine vocandum esse. Cum tamen Scholiastis illius aetate Etymologica plura, lexicorum instar, extare potuerint, ac eadem prorsus verba, quae ab Etymologo quodam expressa fuerant, in alio quoque Etymologo reperiri, ut in Hesychio, Harpocratione, ac Suida factum conspicimus, fieri fortasse etiam potuit, ut vel Andromachus Ety-

(1) Lib. II. c. 4. Num. 1.

Etymologi noſtri, vel Etymologus ipſe Andromachi verba tranſcripſerit; ideoque ex ſola verborum conſenſione nitide, certoque inferri non poterit Etymologum noſtrum ab illo minime diſtinguendum eſſe, qui ab Homerico Scholiaſte Andromachus appellatur; cum praeſertim Etymologus noſter antiquius aliud Etymologicum citare conſueverit *ἄλλο Ἐτυμολογικόν*. Ceterum ſi rem hic acu tetigerim, veruſque Etymologici Auctor Andromachus ille cenſeri debeat, plurimus exinde ſplendor effulgere poterit, ut Etymologi, ſimulque Scholiaſtis, qui ipſum exſcripſerat, aetas accuratius definiatur, quam mirifice incertam eſſe Fabricius obſervavit. Interim vero mihi non immerito fortaſſe laetandum duxerim quod coniecturam hanc meam ceteris omnibus facile accuratiorem eruditis hominibus propoſuerim, quae clarioribus aliquando characteribus aliis illuſtrari, vel confirmari fortaſſe poſſit.

FINIS.

Etymologi nostri, vel Etymologus ipse Andromachi verba transcripserit; ideoque ex sola verborum collatione [illegible] certoque inferri non poterit Etymologum nostrum ab illo minime distinguendum esse, qui ab Homerico Scholiaste Andromachus appellatur; cum praesertim Etymologus noster antiquius aliud Etymologicum citare consueverit ἄλλο Ἐτυμολογικόν. Ceterum si rem hic acu tetigerim, verusque Etymologici Auctor Andromachus ille censeri debeat, plurimus exinde splendor effulgere poterit, ut Etymologo, sic ipsis Scholiastis, qui ipsum exscripsere, aetas accuratius definitur, quam hactenus incertam esse Fabricius observavit. Interim vero mihi non immerito fortasse lectorum dixerint quod conjecturam hanc meam ceteris omnibus facile accuratiorem eruditis hominibus proposuerim, quae clarioribus aliquando characteribus aliis illustrari, vel confirmari fortasse possit.

FINIS.